6
19-c
61

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 C
37

6. 19. c. 61

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ITER LAVRETANAE DOMVS SIVE PAX CASTRA MOVENS

AVTHORE

CAROLO FRANCISCO DELVCA

E SOC · IESV

CARMEN

Romæ Typis Varesy. 1661 Superiorum Permiſs.

A. Clouwet sculp.

BIBL · DOM · PROF · ROM · IHS

[illegible]

Digitized by Google



EMINEN.MO ET REVER.MO

PRINCIPI

IOANNI BAPTISTAE CARD. PALLOTTO

CAROLVS FRANCISCVS DELVCA FEL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVidquid Lauretanæ Virginis titulum præfert, tibi iure debetur E. P. qui Virginis corde viuis, Virginis amorem ſpiras; &, qui dignitate Regibus æquipararis, præſtita Reginæ Cælitum ſeruitute, Regibus antecellis, & regnas. Regio planè corde, grandium operum, & Imperio terrarum capaciſſimo, Principum, & Regum dominaris in cor. Nunquam ad publica commoda non actuoſus, nuſquam non par rebus ac tibi, miſericordi, ac ſeuera iuſtitia Præfecturam Vrbis exerces:

Digitized by Google

vt Eccleſiaſtica ſpolia colligas in Luſitania, ſpoliari ſæpè vita non times: Pontificis à latere Legatus Eccleſiæ iura impenetrabili conſtantia tueris in Germania: Ferdinandi II. beneuolentiam non adulatione aucupatus ſed virtute; non diuitijs auctus ſed amore populorum; in ipſo Septentrione ambitus, quæſitus, & prænſatus à purpura; non corporum victor ſed animorum, Romam redis vt triumphes. Hinc in purpura referens operoſam ignis naturam, obis legatione Ferrariam; & quam impleueras fama tui nominis, impenſis tuis imples annona. Quid? quòd factus omnibus omnia, te impendis omnibus; tui copiam omnibus facis: ſanctiſſima in Vrbe comitia, quæ de Regularium cauſis habentur, conuertis in theatra prudentiæ tuæ: D. Auguſtini familiæ patrocinium geris: religioſorum controuerſias auctoritate dirimis & conſilijs: ampliſſimis Romæ finibus non definitus, Solis inſtar Orbem terrarum ſparſis muneribus peragras & ardore Pietatis: Bononiæ Seminarium ſapientia tua tutaris, &

re-

regis: omnem Piceni Prouinciam, ſinguloſque Prouinciæ viros humanitate complecteris & beneficijs: remotiſſimas etiam regiones, tuis olim vel legationibus vel itineribus illuſtratas, Romæ ſedens, negotioſa caritate percurris; tuoque cordi, de illarum ciuibus benemerendo, coniungis; quorum nonnullos, exemplis tuis & doctrina ortos & altos ad Fidem, auro quoque alis ad vitam. Et in tanta negotiorum ſibi ſuccedentium vertigine, eius inſtar Intelligentiæ, quæ cæli ſedet ad cardines, adeo in Lauretana Domo, tuo velut in cælo, quieſcis, vt ibi videaris agere quod agis, & ſedere. Ad hanc pertinaci podagra lecto affixus curis volas & votis: ad hanc morbo ſolutus excurris: hanc donis cumulas: in hac, dum cæleſtia per ſolidos dies meditaris, ruſticaris vſque ad delicias. Huius cultum & amorem Romæ, hoc eſt in Mundi corde, ſuccendis; vt hinc in cætera Regna, ceu calor in membra, percurrat. Hìc ſupplicationes inſtituis & ordinas, quibus podagra licèt reluctante, inclementi ſæpè cælo, nudo capite,

intereſſe non dubitas magna pompæ ſolemnis appendix, motuſque non tam greſſibus, quàm amore: hìc Lauretanam Domunculam ingenti machina, artis ne an pietatis miraculo, repræſentas: hìc eius nomini Templa condis: hìc eiuſdem laudes ſingulis annis in Gregoriano Lyceo, ſingulis menſibus ad purpuratorum Patrum coronam recoli iubes in Templo. Igitur quando Virginem Lauretanam adeo geris in oculis & in corde; patere meum quoque de illa carmen tuo prodire ſub patrocinio, quod, ſi minus laurea poëſis, lauro certè Lauretanæ Virginis gaudet ornari. Ex agreſti poëta regalis eſt partus, quia de Regina Cælitum Virgine. permitte vt more Græcorum Regum tua naſcatur & lucem videat in purpura. Non mollis eſt ſuauis ac læuis, ſed piloſus villoſus ac planè ruſticus: ſed vt in veteri quondam Tabernaculo, ſic in Domo Lauretana, quod eſt Tabernaculum Dei cum hominibus, non malè fortaſse iungetur villus & purpura. Vale, & Chriſtianæ Reipublicæ bono diù viue.

Ar-

Argumentum, & totius operis Oeconomia.

VIRGO parens Apoſtolis in vnum mirè collectis patriam Domum moritura commendat. Illi poſt eius obitum, ab Angelis dedicationis ritus edocti, virginale Cubile ſacrant in Templum. A Tito Palæſtina poſt aliquot luſtra vaſtatur, Sacra Domo tamen intacta; quam, reddita tandem Religioni pace, Conſtantini M. mater inuiſit, Temploque ſplendidè includit. Per Arabes Syriam inuadentes turbatur iterum pax; ſed Sanctorum virorum ad ſacra loca peregrinantium pietas non tardatur; donec aleâ bellorum ancipiti iactata diù recuperandæ Palæſtinæ ſpes, ſupremâ tandem Ptolemaidis clade profligata penitus eſt. Ea propter Nazarenæ Domus hoſpita beata Mens, cui à pacificandis mortalibus Paciferi nomen eſt inditum, illam aſportare deliberat in Europam. Quatuor anni tempora, Venti, Vndæ, Elementa, Sidera depoſcunt ſibi Domus vehendæ negotium: ſed dum beatis Mentibus ambita diù cura mandatur, inter Gabrielem & Michaëlem oritur controuerſia. Contendit alter è Palæſtina non eſſe dimouendam; vt dilecta Deo quondam Regio, mala inter extrema, hoc ſaltem ſolatio non careat, & tam periculoſi difficultas itineris æſtimationem augeat in Peregrinis & meritum: Alter verò transferendam aſſerit in Italiam; vt in gente bellicoſa bellica Domus Caſtrum ſit, & ſalutarium arena bellorum. Euictâ denique à Michaële cauſâ, itineris apparatus, & illuſtris comitatu ſiderum pompa diſponitur. Potiores in Triumpho partes

tes

tes ſibi vindicant Angeli; quorum minores acies ſcuta præferunt, inſculptis Sacræ Cellæ miraculis inſignita: Michaël verò, Gabriel, Raphaël, & Vriel eius quatuor angulis pennata dorſa ſubijciunt, iterque canendo leuant. Michaël, ſiue, quis vt Deus, deuictum hac in Sede Luciferum; Gabriel, ſiue, fortitudo Dei, corporati Verbi factam in Brachio potentiam; Raphaël, ſiue medicina Dei, morbos mortemque Lauretanæ Virginis ope depellendam; Vriel, ſiue, ignis Dei, exhibita ibi caritatis portenta decantant. Pacifer Angelus, virginali domo deuectus, ab vrbe Nazareth egreſſus, cognominem ſibi Hieroſolymam, dum pertranſit, eius ſcelera deteſtatur, lamentatur excidia; Lucifer aëreas Poteſtates, excitata in aëre tempeſtate, contra Paciferum & ſocios obarmat: ſed à Michaële victus, mole Domus atteritur; & iter ad mare Superi proſequuntur. quos incubare ſibi Mare dum videt, enixè rogat, vt ſuas in vlnas onus cæleſte deponant. exauditur ad tempus, & imminente Adriaticis vndis in monte Terſactum inter & Flumen, Dalmatiæ oppida, ſua illi Caſtra metantur; Deiparæque admonitu, & miraculis agnoſcitur aſportatæ Cellæ miraculum. Cum Antiſtite ciues accurrunt; Amorem, Timoremque ſtare pro foribus vident; deterrentur; mox inuitantur; ſubeunt limen, ſupplicesque venerantur, & colunt. Poſt quadriennium non totum, irritatus ciuium ſuperbia vaniſque ludis, ſtatuit Pacifer ex Illyrio demigrare, ſuoque aduentu graſſata diù in Italia bella componere. Præmiſſis ad terrorem ſignis, tandem migrat. Remanet ad ſolatium cæleſtis Amor; &, Dalmatis vbertim lacrymantibus, ad ſuæ ſonitum citharæ in ipſis Sacræ Cellæ veſtigijs conſimilem ædem B. Virgini miro excitat artificio. Inde Meſſanam citato volatu feſtinat, vt in proxima Italiæ vrbe ſub ſpecie

Co-

Columbæ Templum magnæ Matri deſignet ac ponat, ideam vicini muneris & argumentum. Interim cum Sacra Domo Pacifer Italiam ingreditur à Guelphis Ghibellinisque, quorum factio narratur, diù miſerèque concuſſam. Dum hæc ita Regio diſtrahitur, & Nazarena Domus ad Picenum propiùs accedit, abſcedit à Pontificatu Cæleſtinus: cuius fugâ Roma turbata, dum Orbem peragrat, vt inueniat, ac reuocet; ſedenti deniquè plorantiq;in ſolitario Laureti monte Cæleſtinus apparet, eamque ſolatur,Dei ac Virginis promiſsâ Domo; quam futuram prædicit Sanctiſſimorum Pontificum Seminarium, qui, propagato Cælitum Reginæ cultu, ſui quoque deſiderium, & Romæ Imperium implerent. Amantiſſimi Paſtoris ad promiſſa dum Roma cor & oculos eleuat, Sacram Ædem venientem videt è mari; ſalutat; & de genu geſtiens adorat. Pronos toto trunco ramos vicina ſilua deflectit; Paſtores quid ſit addubitant, & paſtorali carmine plura diſceptant. Diſcordia interim è Germania quaſſata bellis, Italiam, ſedem ſuam, repetit onuſta ſpolijs, & cruenta. Ex Anconæ iugo dum latè cuncta circumſpicit, miratur ridere cælum, omnia ſilere. Exploratura rem vndique, Recinetum volat. Viſa Sacra Domo, ſed non Pacifero, qui conſulto latebat in nube, timet; vltimum ſibi præſagit exitium; animum tamen non ponit, ſed conuertit ad fraudes. Ad Anconæ montem reuerſa, vt ſuo pellat è regno peregrinam Domum, Auaritiam, & Inuidiam cum ſocijs Dolis vocat è Tartaro. Induit Auaritia ſuis cum Satellitibus latronum vultus: ſiluam, vbi Cella conſederat, latrocinijs infeſtat, & ſolitudinem facit. Pacifer iniuriam ex arte diſſimulat; diſcedit, floreſque perpetuos occupata linquit in area; quos dum Diſcordia conculcat, in enſes ac tela vertuntur, quibus illa cruentatur, & ſtimu-

latur

latur ad rabiem. In colle duorum fratrum ſtationem facit. Vt hinc etiam ſubmoueatur, ſub doloſa beatarum Mentium perſona, alterum fratrem Inuidia, alterum Auarities inuadit: ſuſpiciones, metus, ac odia ſerunt, ſpecie boni perſonata. In arma inſitus furor erumpit: ſed dum ſacrum Limen cruore reſpergunt; torpeſcunt brachia, atque ampliùs arma non apparent. Excubitor Angelus digladiantes enſe terret ignito: Tartari fraudes aperit, vicinumque pronunciat violatæ Cellæ diſceſſum. Dum ſe fratres amplexibus, illam oſculis petunt, ſanguinolento migrat è ſolo, lento ſed gradu. Gradientem illi ſequuntur; lymphatique timore, ne cæleſte ab Italia munus auferatur, dum diſcurrunt, auditis in via Michaëlis & Gabrielis vaticinis cantibus, luctus abſtergunt, & lacrymas. Michaël enim ſtabilem canit in Piceno S. Cellæ ſtationem; donec in vltima Mundi periodo igne in omnia bacchante conſumpta, rurſus à Sole non ampliùs opaca ſed lucida reparetur (quod tamen aliaque ſimilia poëticè dicta velim non hiſtoricè) Gabriel artes omnes ad eam ornandam, populos omnes ad eandem muneribus cumulandam præcinit acceſſuros, largitoreſque recenſet ac dona, doniſque largè repenſa à Virgine beneficia. Vbi ventum Lauretæ ad Collem, atque adhuc pendet Domus in aëre, innumeri è Cælo Cælites & pueri confluunt ab Herode interfecti cum lauri ſurculis, quos è cæleſti Villa translatos intimo abditoque Laureti ſerunt in monte, facturos coæuis pueris vmbram è vita cum prima labe ſublatis, & poſt vniuerſale Iudicium ea terreſtris cæli vireta culturis. Septempedanis è montibus ſpectatura ſuam Domum adeſt cum Cælitum cœtu Virgo Regina: iiſdem prædicit cæleſtem Picenorum Sanctorum familiam ſuæ cultui Domus addictam futuris ſeculis propagandam. Rebus

ita

ita compoſitis, Pacifer Angelus ſui ſocios itineris allo-
quitur, & laudat. Mouendas deinde à Diſcordia machi-
nas timorum bellorumque commemorat, vt ab Italia,
ſua cum Regia, Regina Pax abigatur; ceſſuraque
omnia Lauretanæ Domus, & Italiæ totius, tandem ſub
Alexandro Septimo quieſcentis, in gloriam. Poſt hæc
ſua ſingulis præmia rependit, & Cæli Terræque plauſu
Nazarena Domus, vectorum Cælitum ab alis humeriſ-
que depoſita, in via Lauretæ militari, ſede fundatur
æterna.

AD

by Google

AD LECTOREM.

TVtanda proles à parentibus eſt, à quibus genita. Mentis effœtæ partum excipis: ſi mancus eſt, caue ne laceres. vel, vt reformes, amicâ lambe linguâ, vel deſere. Virginis titulum præfert: Virginis ex amore conceptus eſt: hoc ſe nomine tuetur ac protegit. Miphiboſeth pede claudus vtroque, quia regio natus erat è ſanguine, Dauidis adrepſit in gratiam. Cum aliquot abhinc annis Rhetoricam Romæ docerem, Eminentiſſimi Cardinalis Pallotti cultor pietatis, auiduſque præſentiæ, nonnulla deſcripſi hoc ſuper argumento non tam poëmata, quàm diſiectæ membra poëſis; quæ cum literaturæ politioris in Præfectura maiori cum otio recognoſcerem, ea quoquo modo colligere ſimul, & augere venit in mentem. Sed, cum ab ipſa claudicauerint genitura, ſoccos addere potui, non ſanitatem. Habebis ergo multa quæ carpas, & præſertim epici carminis grauitatem, argutijs frequentiſſimè delumbatam, membra inconcinna, & longè ductis epiſodijs inæqualia, narrationes beatarum Mentium, prædictioneſque fortaſſe iuſto longiores. Vt vt ſe res habeat; nullum ſine defenſore crimen, nulla eſt ſine amatore deformitas. Liberaliter argutijs indulſi; vt genio meo, & ſeculi palato ſeruirem: beatas Mentes, licèt vno breuique mentis obiectu colloquantur, plura tamen minutè vel referentes, vel prædicentes induxi; quia totam ferè Lauretanam hiſtoriam, metri numeris aſtrictam, non ſeiunctis à corpore Spiritibus, ſed tibi per illas in animo erat exponere, quæ cum hominibus more vtuntur humano. Ad epiſodia denique di-

uer-

uerti; ſed vt bella, alijs fortaſſe poëtis intentata, non ſine aliqua occaſione, percurrerem: aliquot cecini Palæſtinæ certamina; vt ad vltima deuenirem, quibus & Regio tota penitus concidit, & Nazarena Domus abſceſſit: primos attigi Eccleſiæ Romanæ turbines, & hoc primo propagatas è ſemine Ghibellinorum, Guelphorumque factiones; quia ſuo illas aduentu peregrina Cella compreſſit: Conſtantinopolis excidium repræſentaui; quia totius Italiæ ruina, ex eo certiſſimè deuoluenda, implorata Lauretanæ Virginis ope, depulſa eſt: nonnullorum Sanctorum geſta recenſui, quia omnes ex eadem Domo duxere vel vitæ vel ſalutis auxilia. Quid? ſi authoritate Principum Poëtarum ipſa epiſodia defendo, crebrò vſurpata, latè producta? Fallor, niſi, quidquid præter epiſodia in magnis eorum poëmatibus eſt, gemino diſticho geminum epigramma concludat? Non diffiteor noſtra eſſe longiora, & lectorem ab hiſtoriæ, vel fabulæ vnitate longè ſeducere: ſed huius voluntariæ culpæ veniam dabis, vt ſpero, ſi maneat id in re noſtra: dare me tuæ mentis ad tribunal non epicum carmen, ſuis numeris abſolutum, non heroicam viri virtutem, actione vna, vel multarum conſonantia definitam, ſed inclytam miraculis Domum, quacum terra marique vagante, & diuerſa in loca diuertente, vagari volui, digredi, peregrinari. Et vt omnem præcidam penitus anſam criminandi, voca, ſi placet, Saturum carmen, hoc eſt fecundum, & multa hinc inde complectens; antiquum nomen, ſed recentiſſimè à doctiſſimo Petauio in titulo ſui carminis vſurpatum. Poëſeos errata rerum varietas, & multiplex eruditio fortaſſe compenſabit; quam vt à fabula ſecernerem, vt plurimùm nomen authoris eam atteſtantis appoſui: item infinita penè deſcriptionum ſeges & formularum; quam vltro

vo-

volui luxuriari, vt tyronibus in hac arte dicendi ſuffi-cerem vbertatem. Quòd ſi me ſatis hæc non abſoluunt; à ſeueritate cenſuræ ad tuam prouoco, lector, humanitatem. Si excludis, appello ad Virginem, cuius ſi ego ipſe poëma ſim, vinctum non metri legibus,ſed caritatis,omne tuli punctum;nec tanti facio peccaſſe in carmine;dummodo illi, quæ veræ Sapientiæ Mater eſt, & Amoris diuini Poëma, benè compoſito placeam in corde.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P.M.S.P.

O. Ep. Patracen. Viceſg.

Ioannes Rhò Prouinciæ Romanæ Societatis Ieſu Præpoſitus Prouincialis.

CVm opus quod inſcribitur Iter Lauretanæ Domus à P. Carolo Franciſco Deluca noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint (poteſtate nobis facta ab admodum R. P. N. Goſvvino Nickel præfatæ Societatis Generali Præpoſito) facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur, cuius rei gratiâ has litteras manu noſtrâ firmatas noſtrique officij ſigillo munitas dedimus. Romæ 1. Maij 1657.

Ioannes Rhò.

Imprimatur,

Fr.Raimundus Capiſuccus Ord. Præd. S.P.A.Mag.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

Placatus Palæſtinæ Deus ſeptem Angelorum ſibi adſtantium è numero nobiliſsimum eligit, cui & PACIS nomen, & pacis adminiſtrandæ prouinciam, & Sedem Imperij in Sacra Nazarethi Domo deſignat. Hanc ille cum choro virtutum adit, & incolit; donec, ortis in Syria ſubinde bellis, meditatur inde diſceſſum. Hæc per epiſodium bella narrantur, ducto initio à morte B. Virginis, quæ moritura ſuam Apoſtolis Domum commendauit.

NAZAREIS auulſa iugis, vigil addita cuſtos
Italiæ regnis MARIÆ Domus, Aula Tonãtis,
Per terræ, cælique vias, pelagiq; per vndas,
Aligerûm pennis ad fœdera peruolat Orbis.
Hoc mihi carmen erit; quo non ſalientia Thebis
Mœnia, ſed Martis figam in ceruice rebelli
Caſtra Dei, quibus in Bellum Pax bellica pugnat.
Aëris arua nouo dimenſa, Domuncula, motu,
Te votis, te corde ſequor: nam Virgo volatum, *Datæ ſunt mulieri alæ duæ Apoc. c. 12.*
Quo volat illa, docet; geminas dum concutit alas
Odryſio procul à colubro, qui Regna Sionis
Alligat amplexu, fraudumque volumine cingit.
Claudite Pierides Helicona, viretaque Pindi
Claudite: Finde volans, cortinaque Apollinis, Ædes
Paruula diuini, facili me dirige curſu,
Et vatem Aligeris, muſis melioribus, adde.
Non audita priùs da pandere monſtra: profanis

Quæ vis immotam, Solymæ dimouerit oris,
Verrere & aëreum ſine remige iuſſerit æquor,
Naturâ trepidante, Erebique vlulantibus antris.
Poſtquam fidei ei victor Capitolia Mundi
Rex Superûm tenuit trabeatus corpore; & aſtris
Addidit ardorem diuini Sanguinis æſtu,
Cæde parentauit cruciati Numinis iræ,
Incubuitque ſibi, ſcelerum ſub pondere, Idume,
Grāde decus quondā, magni modò nominis vmbra.
Cædibus at ſaturo Pietas diuina Furori
Oppoſuit ſua tela. iubet poſt fata cadauer
Seruari Solymæ extinctæ; rurſuſque foueri
Non vitam, ſed vitalis veſtigia flammæ.
Quin etiam vt noto tetigit cor Numinis igne,
Arſit amor, doluitque ſuæ decora omnia gentis
In glebas confuſa videns, æquataque campis.
Auerſor ſcelus, inquit; amo, quos ardor Auerni
In ſcelus extimulat. ſic vulnera, mitis in ægrum,
Pæonius reſerat ſenior, telique latebras
Cuſpide reſcindens, iras accendit amore.
Dulciter iraſcor: lacrymas, non ſanguinis vndas
Ducere verberibus cupio de corde nocentum.
Supplicijs doceo ſontes, & commodo pœnas,
Vt mihi ſe reddant. hæc ille; & mitior enſem
Deponit. vocat Aligerum, quo nullus Olympo
Numinis è vultu maiores haurit amores.
Pro pennis agitat flammas: ſunt lumina flammæ,
Labra, genæ, crines; ſunt dulcia fulmina voces.
Si loquitur, tonat igne; gradus ſi promouet, ignes
Seminat, & Solem calidis fulgoribus vmbrat.
Quà Verbū ſedet Omnipotens, & ſanguinis oſtro
Purpurat humani; dextramque Parentis auito
Occu-

Poſt Chriſti aſcenſum diruta Hieroſolyma.
Deus dirutæ Hieroſolymæ miſeretur.
Angelus è primoribus cui nomen Pacifer ad Chriſti ſolium adſtat.

Occupat imperio, vigil excubat ille, Tonantis
Armiger & miles, cui tela miniſtrat Amoris.
Hunc Pater Aligerum Nato dedit, Æthera poſtquā
Ingreſſus, terras æterna in fœdera, ad aram
Pectoris, ad flammam ſtabiliuit ritè paternam.
Hunc, circumfuſo volitant dum milite bella, *Eius munus pacificare Orbem terrarū, & partam Chriſti ſanguine pacem conſeruare.*
Atque odijs homines certant, iubet ire per Orbem,
Numinis & flammis bellorum extinguere flammas.
Ipſe ſinu Pacem portans, per regna, per vrbes
Procurrit, caroque oneri timet: omnia pacat,
Si molles aditus Pax inuenit: arma, faceſque
Huius ad aſpectum migrant in ſceptra; tumultus
Vertitur in Pacis, modulantis carmina, plauſum.
Aëra ſi tranat, cælo ſol vectus aperto
Lucis ob inuidiam detruditur vmbra ſub vmbras;
Cæli lingua ſilet turbati fulmen; & omnis
Aura ſerenatur: Si permeat æquora, ponunt
Bella Noti: campos ſi peruolat, omnia rident
Floribus arua nouis: ſi pennas flectit ad vrbes,
Pectora miteſcunt; ſuccedunt otia bellis.
Aliger è CHRISTI ſolio telluris ad oras
Dum Pacem defert, quino de vulnere natam, *Pacem, quam defert, haurit è Chriſti vulneribus.*
Millia vulneribus fert oſcula, & inde nitores
Ebibit & flammas; Pacemque cruoris alumnam
Extrahit amplexu; quo lætus pondere, curſus
Corripit, & ventis, & fulminis ocyor alis.
Dum maturat iter, ſecat arcum in nube ſerenâ,
Et florum nimbis & roris depluit æther.
Ille refert Pacis mores; gerit ora, colorem,
Pacis & ingenium. Superûm Rex inde vocauit *Chriſti ad Angelū imperiū, & vox.*
Aligerum Pacis; quia flumina pacis inundant
E CHRISTI corde, obſequio famulantis Ephebi.

Digitized by Google

Ergo hunc demiſſas vt vidit ſiſtere pennas
Ad ſolium, ſic alloquitur. Fidiſſime noſti,
Et legis in noſtris, deſcriptum ſanguine, membris,
Altius & clauis cælatum, Pacis amorem.
Hæc noſtri ſoboles cordis, ſata vulnere, pœnis
Alta meis, ſudore, oculis, & rore cruoris.
Huic poſtrema dedi pallentibus oſcula labris:
Hanc Crucis in cunis excepi; atque otia curis,
Gaudiaque è noſtro iuſſi libare dolore:
Hanc medio nunc corde parens amplector, & vlnis
Arceo, queis totum cum cælo metior Orbem.
Hanc tibi credo, animi pignus: tecum illa, fugatis
Nubibus armorum, communi nomine regnet.
PACIFERVM Populi, & Reges, teque omnia latè
Regna ſalutabunt. arbor, quam paſcitur ignis,
Atque ſuâ veſtit formâ, ſic ignis ab igne
Dicitur. ardenti vectabis pectore Pacem;
Et faber igne tuo ferrum conflabis in aurum,
Seculaque ex auro cudentur. Nunc age; pectus
Suge meum, Pax quo roſeis exuberat vndis.
Pax eris, Aligeri mutato nomine. perdunt
Nomina ſic fluuij, pelago dum labra propinquant.

Chriſtus Angelo Paciferi nomen imponit, & pro regia domo, illi deſtinat domunculam Nazarenam.

Aliger admouit lateri os. hinc protinus ardor
In vultus, inque ora fluit: flamma ipſa quietem
Irrequieta parit. reſonant cæli atria Pacem:
Neſcio qua tellus dulcedine geſtit; Auernus
Inſoliti luctus demergitur incremento.
Pacifer, efferuet dum flumine Pacis, in omnes
Pectoris è latebris incendia iactat amoris.
Mox CHRISTI redit ad ſolium, pedibuſque beatis
Oſcula mille premit, flammiſque recentibus ardet.
Olli Rex Superûm ſurgenti, talia mandat.

Vade:

Vade: Palæſtinis gere ſceptra vicaria regnis,
Rex vbi pro ſceptro clauos in Tartara moui,
Et Cruce regnaui. tecum Pax roſcida nimbos
Inde voluptatum ſpargat, quâ vulnere pectus
Immaduit noſtrum, curiſque impalluit atris.
Nazarei ſurgit Domus alto in culmine montis,
Aligeris dilecta Domus, Dominoque ſuperba;
Parua ſitu, ſe magna tamen maiorque; ſupernis
Inuidioſa plagis, totoque capacior Orbe.
Non hæc marmoreis conſurgit in aſtra columnis;
Non minitatur apex cælo; non fulgurat auro.
Temnit opes, opulenta DEO; fulcitur Olympo;
Lumine inardeſcit virtutum. hanc diues Egeſtas
Condidit; æquauit ſuperis Demiſſio; nodis
Iunxit Amor lapides arcanis. oſtia ſeruat,
Innocuaſque iacit metuenda Modeſtia flammas.
Stant puræ circum Charites, poſteſque coronant
Floribus, è ſuperis quos Gratia colligit hortis.
Dulcia parthenij ſtillant opobalſama muri;
Exundantque voluptatum per limina riui.
Hæc mihi prima fuit ſedes, dum miſſus ad Orbis
Imperium, cenſus in Paupertate locaui;
Omniaque in nihilo ſtabiliui. Nudus ad aram
Hanc DEVS acceſſi, ſcelerati victima mundi;
Eluuio poſtquam ſcelerum terram obruit omnem.
Hanc ſuper affulſit bona flamma, & filia Pacis
Iris; vt Armeniæ præcinxerat aurea montes
Luce nouâ quondam, pluuijs poſt perdita nimbis
Tecta virûm, ſparſoque mari poſt obruta regna.
Alitis in morem niueæ ſuperadſtitit Ardor
Et meus, & Patris, mea Spiritus aura Patriſque,
Perflabatque alis incendia; totaque in ignes

Nazarenæ Domus laus.

S. Domus poſt ſcelerum diluuium Ara pacis illi ſimilis, quam Armeniæ in montibus Noëmus erexit.

Victima feruebam, Cruce denique conſumenda.
His Pacator Amor flammis dum fœdus alebat,
Lumine inumbrabat fœcundæ Virginis aluum,
Septa Pudicitiæ, ſuperi compendia Regni.
Ergo age pernices molire per aëra curſus
Pacifer, & noſtris ſuccede Penatibus. arma,
Arma inimica mihi, ſuperiſque inuiſa theatris
Inde fuga: ſceleris, Bellum indę faceſſere, partum
Imperio metuende iube. Sit grandior arce
Sidereâ turris, diuina Domuncula; Pacis
Sit munimentum; ſit inexpugnabile vallum.
Quòd ſi Aſiæ fines, pacataque regna Sionis
Mars ferus inuadet, pugnácique otia ferro
Dulcia diuellet Solymæ florentibus agris,
Robora ſufficiam, facileſque Penatibus alas;
Aëris vt certis per ſuda volatibus errent,
Inquirantque nouas ſedes; vt crimina terris
Mole ſua, ſparſique premant incendia belli;
Mota vbicumque noui ponant veſtigia curſus.
Sic Domus in currum peregrina migrabit, & Orbem
Ardua prodigijs implebit, ſydera votis.
Dixerat Omnipotens, volucrique citatior Euro
Pacifer ima petit, quà cælitis alma Parentis
In patrio florens ſe Cellula colle ſupinat.
Affuſæ Superûm numeroſis cœtibus alæ
Expediunt curſus; & nablia. cantibus Æther
Attonat; & lituis cithariſque admurmurat echo.
Dum ſe caſtra mouent, Pacis fremit vndiq; nomen.
Pax, memorant, ſudata armis, & vulnere; ſalue,
Quam Pietas enixa Dei; ſed prodiga fœtu
Fudit in amplexus hominum, Superûmque Virago,
Eluctata per arma, ſubis cæleſtia reptans
Mœnia.

Olim fœdus igne fiebat ex Virg. lib. 12. & alijs.

In Nazarena Domo Dei Verbum Sancti Spiritus inumbratione Conceptum.

Pacifer ad Nazarenam Domum deſcendit.

Angeli Paciferi Comites Pacis laudes cantu concelebrant.

Mœnia. tu ſolium, cæli ſuper ardua ponis;
Et pede tellurem dum proteris, otia florent
Sub pede ſanguineo; cruor aret, & impia torpent
Prœlia; ſuſpirat fracto Bellona flagello.
Tu Mundi riſus, quem Numinis vnda cruenti
Læta colorauit: tu labilis vnda bonorum
E torrente voluptatum, quo mergimur, imam
Guttatim perfundis humum; ſed flumine largo
Arua ſuperna rigas: miſeram tamen vnica terram *Pacis effecta.*
Gutta licet roret; beat vnica guttula terram.
Ex hac lætitiæ Sol exerit aureus ortum,
Precipites ceu Phœbus equos, currumque ſonantem,
Fronte diem referens, è marmore ducit Ibero.
Mergitur hac mœror; dolor occidit; ora voluptas
Explicat: illecebris veniunt ſolatia caſtis.
Hac floret Virtus; regnat Sapientia, regnum *In pace regnat Virtus & Sapientia.*
Quæ Virtutis habet fundatum corde. Sorori
Iungitur, vt Soli radius. Sapientia Veri
Forma, Boni Virtus: micat illa: hæc ardet. honoris
Fons immortalis rutilo fluit vtraque fluctu;
Vtraque imago DEI, fœcundâ mente vibrantis
Flumina flammarum, communis & æquota lucis.
Altera mente venit: calido venit altera corde;
Innectuntque manus manibus; parilique labore,
Nil breue molitæ, æternis dant carbaſa regnis.
Has ligat amplexu dum Pax, efferuere campis
Cernuntur Sophiæ Iuuenes, & condere mella, *Florent artes ingenuæ præſertim. Poeſis.*
Ingenij ſudata fauis, & rore pudico.
Ora ſonant Phœbo: gaudent heliconide lymphâ
Partheniæ Muſæ, fœdo non Cypridis æſtu,
Spumea quæ pelago generata, in carmina ſordes
Egerit, & ſpumas, tempeſtateſque pudoris.

Philoſophia. Altiùs aſſurgunt mentes. arcana latentis
Naturæ indagant: quærunt primordia, finem,
Euentus, elementa, ortus, ſemperque fluentes
Nexus atque modos, compoſita,relata; quid vnum?
Voce quid ambiguum? quid tempus,corpus, & ipſa
Corporis atque animæ quid mutua vincula?quantũ,
Quale,quid,ingenitũ,genitumq;? quid actio,motus,
Quid locus,& vacuũ?quid fictũ mente?quid inſtans,
Materies & agens, rerum diſcrimina, formæ?
Quid ſine fine?quid oppoſitum,commune,reflexum?
Soluere confuſos nexus, morſuque ligare
Argumenta ſuo; duplicique ligamine Verum
Texere; fallaces rurſuſque retexere nodos;
Diluere obiectis obiecta; repellere tela,
Contorta ingenijs bellantibus; acta rotare;
Rurſus in aduerſos collectis viribus ire;
Quidquid Ariſtoteles ſonuit, naturaque vulgi
Viſibus eripuit, iuuenes congreſſibus horas
Furati noſcunt; vitæque crepuſcula, mentis
Eſſe diem cupiunt, melioris origine lucis.
Theologia. Ad Solis rurſus radios ſua mollia fingunt
Pectora, ne curis torpeſcat inertibus ætas.
Rimantur iubar æternum; Superiſque vacantes,
Occultiſque Sacris Fidei; cælique theatris,
Maturant Sophiæ diuino lumine fructus.
Has alit ingenuas artes Pax vbere cordis,
Otia qua pereunt, qua viuit Candor, Honeſtas,
Religionis amor, rectrix Prudentia regum,
Temperies menſura Boni, perque aſpera Virtus
Nititur ad laudem rigido quæ viuida cliuo.
Virtutum reuocat dum Pax pulcherrima pubem,
Crimina truduntur: ſpatium laxatur Honori:

E ne-

E nebulis Aſtræa redit fugitiua ſolutis;
Et noſtras pulſat lætis terroribus auras.
Si Pax compoſitis modulatur carmina bellis,
Spicula non ſtrident, Libitinæ lingua loquentis;
Non ſomnos metus abrumpit; non turbat Erinnys
Impete confuſo diuinis peruia curis
Pectora: lætitiam ſacra per ſolemnia iactat
Cerea lux; Superûm populi dum templa frequentāt.
Numen adoratur: feruent altaria donis:
Libertas deuincta Deo, nexuque tenaci
Liberior, dura ſtringit formidine Ditem.
Extruit in menſas cerealis imagine frugis
Relligio niueas aras, dulcique latentem
Apponit populis epulandum errore Tonantem.
O Pax, ò nutrix Superûm, Pax lactea, volue,
Volue tuas vndas telluris in arua, nec vnam
Funde ſinu guttam, ſed flumina. Virginis Ædes
Ripa tui torrentis erit. Thaumantide cincta
Hac è ſede rota felicia ſecula: labes
Areat amne tuo cocytia: diuite fluctu
Exupera bellorum iras; tumidaſque procellas
Gurgite caſtiga meliori. haud bella precamur
Omnia finiri; ſed poſcimus arma, viroſque
In Thracum exitium, Fideique rebellia regna
Æternis odiis, & fauſto Numine verti
Exitiale nefas, nam poſtquam affinxit Auernus
Atque ignominiam generi peccantis Adami;
Prœlia ſemper erunt, nullo ſaturanda cruore;
Nec prius abſiſtent, quam decidat Orbis in ignes.
Omnis terra tumet, ſata monſtris, anguibus, hydris,
Vt lue tænaria veterator polluit Anguis
Primæui pectus Genitoris; & vndique pronam
Fomi-

In pace fiunt ſupplicationes & vota religioſa nuncupantur.

Sacramenta frequentātur.

Ex Adami culpa perpetua in terris apud homines bella.

Fomite cum turpi ſaniem eructauit in omnes.
Hinc ardent iræ populorum; odia aſpera creſcunt;
Lactaturque fibris furor implacabilis imis.
Corporibus graſſata diù, ſic aëre peſtis
Poſtquam perſedit, viruſque aſpergitur, in ſe
Cuncta trahit morbo collapſa; aliturque tegendo.
Sæpè recrudeſcit, ſiccataque rurſus abundat;
Morte virûm viuit, taboque repullulat atro;
Sæuior inque dies morborum examina ducit;
Fata cateruatim agglomerat; caput altiùs effert
In mutos pelagi partus, in ouilia, fruges,
Fluminaque, & fontes; atque exedit omnia latè.
Crimina prona ruunt; ſcelerumq; exépla trahuntur.
In fragili fundata domus dilabitur. alta
Si radice ſedet vitium, fruſtrà vritur vlcus.
A patre progenies vitiato naſcitur, hæres
Et patris, & vitij, primi Genitoris imago
Heu genitis impreſſa manet; ſeſeque redonat
Numinis imperijs ſternacem in prole malignâ.
Fortunata tamen tellus, ſi munera Pacis,
Pacis & Aligerum, domitorem Martis & iræ,
Virgineiquc Laris cuſtodem amplecteris: ille,
Ille ſedens curam Reginæ Pacis obibit;
Bella premet, Martemq; iugo. hinc victricibus hoſtē
Propellet furijs pacatus, & agmina ſolus
Millia detrudet, metuendus Pace, tuetur
Belligera quam Sede potens. nam prœlia Thraces
Tentabunt quoties; vel iniquo numine ducti
Chriſtiadæ; aut Fidei coaleſcent fœdere monſtra,
Aliger hanc Ædem, & Pacis Penetrale recludet,
Orantumque fauens votis, vota impia franget;
Ibit in aduerſos, velletque à ſtirpe nocentes.

Pacifer è Lauretana Domo opprimet certe bella, ſi non extinguet à Turcis, ab hæreticis, à perfidis Chriſtianis intentata.

Non

Non ſecus in cæca ſi nocte ſepultus & vndâ
Sol promit vitale iubar; luciſque tributum
Diribet in colles, & mollia germina florum,
Mitis amore, furore idem ſtimulante ſereno,
Paciferas in tela faces iubet ire, lupoſque
Et prædatores malè fida luce reuelat;
Atque reos damnat tenebris, quos lumine mergit.
Dum Superi cantus agitant, è montibus echo
Nazareis, MARIÆque Domo geminata reſultat,
Pacis & euoluit nomen. Sic rupe ſub alta
Bethlemis, modulante DEO noua cantica fletu,
Aligerûm plauſere Chori, tacitaſque per vmbras
Nocturnumque chaos ſonuit pax reddita cantu,
Nænia plorantis pueri, ſomnumque bibentis.
Hos inter Comitum plauſus ſata lumine Regna,
Proxima telluri, ſulcabat Pacifer alis.
Iam fines Galilæa tuos; iam proſpicit Ædes,
Florida Nazarei quæ culmina montis opacant.
Spectandi ſtudio iam deuolat aurea pubes:
Se circum agglomerat: tunc Pacifer ore nitores
Verbaque laxauit. Cæli fulgentis imago, *Pacifer ſacrā Domum ſalutat.*
Ditis formido, terræque timentis Aſylum,
Aula, Forumque magiſtratus, & Curia Diuûm
Plena DEO, Superiſq; frequens, Domus hoſpita, ſalue.
Excipe me, Pacis dum ſceptra æterna repono
Sede tua, bellique moras, populoſque rebelles
Regna fatigantes hac fulmino ab arce togatus.
Non armata meo vehitur Pax corde: Tonantis,
Purpureo generata ſinu plagiſque cruentis, *Quæ ſint Pacis bella.*
Armigero micat illa DEI generoſa cruore,
Et mihi, nuda licet, ſua flammea tela miniſtrat;
Tela, quibus placidum ſine cædibus vrgeo bellum.

Bella

Bella geram, noua bella? Quies clangore tubarum
Martia ſigna canet: ſtabit pro milite Virtus.
Vulnera, terribili dulcique minacia luce
Corpore quæ rutilant Domini, vt vexilla, pauorem
Hoſtibus incutient, & noſtræ gaudia Pubi.
Profluet vnda voluptatis pro ſanguinis vndâ;
Et ceſſiſſe meis erit vnica gloria telis.
Militiæ hanc artem docuit DEVS: arma mouebo
In populos hac arte: feram cæleſtia victis
Munera: ſubiectus qui pacem poſcit, habebit.
At qui criminibus mea dulcia tela retundit,
Et vocat arma odijs, referam reſponſa vocanti.
Sentiet ille ſuis fœcunda hæc Limina pœnis,
Et ſine ferrato ſtridentes cardine poſtes
In ſua damna patere. Procul, procul exulet omnis
Interea terror, bellatorumque tumultus.
Ingreditur cum ſociarum choro virtutũ. Hæc ait; ingrediturq; Domum. Comitantur euntem
Candor, Relligio, Pietas; imâque receptæ
Montis in Æde, liquant diuino è gutture cantus,
Vrbis floriferæ Muſæ, quibus otia fecit
Ille puer, puer ille DEVS, cui Barbita cedit,
Quia Deus & homo. Telaque Apollo, Patri Magno par natus, & impar,
De face fax eadem, vigor Omnipotentis & ardor,
Qui terræ irradians florentem Virginis aluum
In citharam vertit, carmen modulantis Amoris.
Sed breuis eſt hominum pellacia mentibus: ipſa
Nec ſeruare quies, mox diſceſſura, quietem
Edidicit; tantùmque manent in ſecula fluctus:
Bellaque perpetuis fundata tumultibus hærent.
Dum tranquilla DEI Pax Ædibus otia carpit,
IterumHieroſolyma bellis turbatur. Regia ſceptra tenens, longam indignata quietem,
Irruit è ſtygijs Bellona cruenta cauernis,

Belli-

Belligeraſque faces, & pila minantia torquens,
Perfida Idumæos fœdauit ſanguine campos,
Aurea quà partæ diffluxerat vnda ſalutis.

Aliger, euerſæ quondam defenſor Idumes,
O ades, & memora, quæ cauſa indigna Latinum
Abſcidit è Syriâ imperium, Numenque Fidemque
Inuiſis tandem procul externauit ab oris.
Magnum opus aggredior, dum belli exordia, cauſas,
Sopitaſque ſubinde faces, rurſuſque calentes,
Martis & impauidas animas mortiſque, per ignes
Virginis itantes ad Limina, & vnde per Orbem
Relligio ſit ſparſa loci nomenque, reuoluo.

Angelus Hieroſolymæ tutelaris inuocatur.

Virgo parens terræ longis exercita curis,
Iam vicina aſtris, & Amoris ſaucia telis,
Fata morabatur. Superûm manus impigra lectum
Strauerat, & niueas ad pondus amabile pennas.
Illa thoro compoſta, oculis quærebat Olympum,
Corde Devm: pupilla vndas, incendia pectus
Fonte vno, at gemino dulcedinis amne ferebant.
Lacryma ridebat malis; ardebat in vndis
Flamma; dabant flammis Diuæ ſuſpiria vires.

B. Virgo morti proxima.

Aligerûm circumfuſas moritura cohortes
Vt vidit; cubitoque caput ſubnixa leuauit:
Ducimus, ò Superi, dixit, poſtrema laboris
Fila: ſecabit Amor, qui pectore conditur imo,
Atque ſinum votis, collectiſque ignibus implet.
Sed mea proſequitur deformis puluere tellus
Gaudia: me lacrymis luctuque retardat euntem.
Pugnâ congredior geminâ; Terræque dolentis,
Et Cæli plaudentis amor, vox læta vocantis,
Lacryma plorantis, ſuſpiria, barbita, cantus
In diuerſa trahunt animam diuortia; rectâ

Beatæ mentes circa morientis lectum affuſæ.

B. Virgo illas alloquitur.

Cæli, Terræq; circa ſe vota diuerſa proponit.

Dum

Dum properat ſuper aſtra viâ. Me Regia poſcit
Ætheris Auguſtam; ſed inhæret Terra Parenti,
Complexuque tenet: rapit Æther: Terra reuellit:
Obijcit ærumnas Tellus, & præmia Cælum.
An Superis animus, Telluri corpus, Amoris
Pignus erit; tumuloque ſatum, dum lacryma rorat,
Lætitiæ viuas ſegetes, & gaudia fundet?
Aſt Aurora diem ter poſtquam luce retexet,
Adſcribi Cælo corpus, tua Nate, voluntas.
Ex me nil Terræ ſupereſt niſi luctus & vmbra.
Hæc mea magna fides! atq; hæc promiſſa! Prementi
Eliſabes ad tecta viam, mihi flore tenello
Strauit agros, fruticumq; vmbra radiante, coronam
Impoſuit, Solis radijs obuerſa. puellum
Illa meum quoties, peteret dum regna Canopi,
Et peluſiacas tereret dum feſſus arenas,
Vernanti ſolata thoro, ſubiecta iacenti,
Ardorem bibit, irriguum ſudoris in imbres,
Ambitioſa ſuos pauiſſe hoc nectare flores!
Illa meas hauſit lacrymas, Natique cruore
Roſcida gemmauit. memorem quid cætera? corpus,
Exanimum Nati corpus complexa, ſepulchro
Seruauit, Solique iterum, matrique fidelis
Reddidit. at Cæli quia mox euaſit in oras
Filius, ægra vadem me detinet: illius ora
In noſtro quærit vultu, ſolatia luctus.
Quid referam Terræ meritis? aduertite mentes;
Expediam curis dum quâ ratione dolentem
Vos, Superi, edoceo, noſtri diadema triumphi.
Connubij dos, & noſtri dos ampla pudoris,
Non ignota cano, patriæ Domus incubat Vrbi.
Hæc mihi pro Cælo terris fuit: omnia Cæli
Dum

Suum in cælũ corpus breui aſſumendum prædicit.

Accepta à Tellure beneficia commemorat.

In ſui pignus amoris meditatur Nazaream Domũ Terræ relinquere.

Dum bona collegit, paruo latiſſima circo.
Aligero vix annueram, tituloque parentis
Vix ancilla ſalutabar; cum lumine, & vmbra
Hæc Domus vndauit; lumenq; immiſit, & vmbram

Quæ in ea ſint geſta recenſet.

Lux de luce Devs; Patris, Natique beato

In eam primo deſcendit Deus.

Afflatus gremio, de corde reciprocus vno,
Æqualis Patri, & Nato, qui protegit vmbrâ,
Dum face ſuccendit. Devs adfuit inter Amoris
Fulgentes vmbras, & opacæ fulgura lucis.

Deo deſcendente verſa in Empyreũ eſt, ideoque velut in Cælo Dei vnius Eſſentiam, proceſſioneſque perſonarũ in ea ſe vidiſſe B. Virgo teſtatur quæ Franc. Suar. & aliorum grauiſſimorum Theologorum opinio eſt. Suar. in 3. par. q. 30 ar. 4. ſect. 3 ſ. 2 & alibi.

Aduentante Deo mea paruula protinus Ædes
Æthera concepit: tellus euanuit omnis.
Tollimur in Cælum: mens ardua ſidera pulſat,
Inſeriturque Deo, qui noſtra inſertus in aluo,
In me nube latens, dimouerat omnia vultu
Nubila mortali, viſuſque acuebat amore.
Et vidi! O memori ſpectacula prodita menti,
Nunc ſpectanda iterum! Superi, me tollite pennis,
Ardeo. viſa oculus, cor, linguaque promere neſcit:
Se ſtimulat; ſeſeque fugit; mens orbaque mente,
Cor & corde, ſilet. Loca nocte immerſa decorâ,
Numen & in tenebris latè clareſcere vidi.
Curarum hinc ſubito, terræque obliuia poto:
Obruor Oceano dulcedinis: ardeo flammis,
Quas rotat ore Devs, totus quibus æſtuat Æther.
His vigil in flammis, radijſque animata beatis,
Aſpicio Patris qua ſe ratione Poteſtas,

Verbum caro factum.

Fons de fonte, ſinu ſe per compendia noſtro
Colligat, immenſa Pietate profuſus, & intra
Littoris exigui, maria ampla coerceat, oras:
Vtque vigor Devs ipſe Dei, mens, robur, & ardor,
Et proles æterna, fluens de flumine flumen,
Viuida Imago, manus, ſpecies, ſapientia, virtus,

E ge-

Digitized by Google

E Genitore vno genitus, Genitore beatus
In cælo ſine matre vno, ſine Patre Parentem
Deligat in terris vnam Pater vnus, & idem
Filius, & ſplendor matris, lux abdita nube,
Solibus innumeris vel ab ipsâ clarior vmbrâ,
Artubus humanis quæ luminis obrudit ignes.
Et vidi Patris, & Nati concurrere vultus;
Diuini Spiritus inſpiratio. Conſpirare pari complexu; pectore in vno
Æternum flagrare rogum immortalis Amoris.
Flamma Devs, Devs ardor erat; ſimul ignis & aura;
Par Patri Genitoque Devs, ſed nomine diſpar;
Ordine ſecretus; naturâ diues eâdem;
Flexus & è ſpeculo radius, ſpeculoque receptus;
Sed non Sole minor radius, quo funditur; vnda
Non minor Oceano, quo ſpargitur; igne, fauilla
Non minor immenſo, riuuſque, atq; æquor honorum,
Diuinæque voluntatis vis, impetus, ardor,
Veri forma, Patris digitus, cor, lingua, voluptas,
Halitus, vbertas virtutum, gratia, vita,
Suſpirantis amore Dei feruentior Auſter,
Conſumptor ſcelerum, quadriga, auriga ſalutis.
Hunc vbi proſpexi, velut æquore naufraga puppis,
Mergor, & exurgo, flammâ impellente per æſtus,
Molliter atque animam vectante. exulto per ignes:
Naufragio vitam inuenio: placet vndique flammis
Immergi; fontemque Devm indagare natatu,
Piſcarique Tonantis opes. in lumine certo
Spectandi ſitis ingeritur; nec deficit hauſtu.
Gaudia dum poto, ſimul expleor, æſtuo: viſu
Te, prædator Amor, populantem corda fauillis
Prædor, & ad furtum rurſus feror, incita furto.
Videt beatas mentes. Vos etiam vidi rutilas innare per vndas,

Et

Et deſiderijs afflare incendia lætis,
Diuinæ ſcintillæ oris, miſſuque remiſſuque,
Inſtabili occurſu ſtabiles, & viuida cordis
Vincula Diuini, Superi, cui nectitis Orbem.
Sed fugit Superos pupilla, iterumque rapinis,
CHRISTE, tui vultus inhiat melioribus. Heu me!
Scena patet Nati morituri: triſtis imago
Me tenet illuſtri curâ, doleoque doloris
Orba: carent omni nam cæli gaudia luctu.
At diuina pati nebulas ſi gloria poſſet,
In mediâ tunc luce animus, mœrore ſepultus;
In vitæ Regno dominantis, ad intima mortem
Protinus hauſiſſet præcordia. Solis ab igne
Vt cadit, & ſurgit camporum florida pubes;
Sic perij,& vixi. diſiecit nubila cordis,
Luce ſerenauit curas, animauit & idem
Fata DEVS vultu, quo viuimus. Ecce per vrbes
Nate trahebaris, cui circum tempora dumi,
Crux humero ſedet immerito,qua Tartara claudas,
Æthera recludas. ceu raptum lucida Solem
Excipit, & reddit fracto velamine nubes;
Lætitiâ minor ipſa meâ ſic ebibo ſoles,
Æternumque diem Nati de morte dolentis.
Cerno renaſcentem lethi de carcere Vitam,
Crimina calcantem, & ſpolijs Acherontis onuſtam,
Inde leues video librare ad ſidera greſſus,
Et ſpirare genis charites, & nube curuli
Ad patrias remeare plagas, obſtructaque Natum
Cælicolûm, victore gradu, perrumpere clauſtra.
Sole coronatum mox æquora fundere lucis
In Patris gremium de quino vulnere, vt amnes
In mare contorquent cumulato gurgite fluctus.

Videt futura Chriſti patientis, reſurgentis, & in cælũ aſcendentis myſteria.

Flores ſole ſiccantur, & ſole vernant, & viuunt.

Poſt viſam mortem, filij ſpectat Anaſtaſim & Aſcẽ ſum.

Hinc ego perpetuis incendia currere riuis,
Nati paſta mei diuino ſanguine, vidi,
Terrigenûm quæ iactat amor,ſpargitq; per Orbem.
Aſpectu dignata Dei tunc dulcia curis
Gaudia miſcebam, ſpe læta & mœſta futuri.

Nazarena Domus, in qua ſpectauit velut in cælo cæleſtia, cælū B.Virgini ſufficiet in terra.

Talia diducti ſpectacula pandis Olympi,
Auguſtoque Dei das lumina paſcere vultu,
In cælum conuerſa, Domus. Devs vnde refulget,
Seque ſuo retegit manifeſtum lumine, cælum eſt.
Queſtibus ergo modum tellus imponat. Olympum
Telluremque ſimul ſolabor. inhæreo terræ,
Quanuis eripiar terris: nam patria Sedes,
Quæ cælum ſuffecit,erit mihi paruulus Æther.

Suam in hac præſentiam Terræ pollicetur.

Hic vbi lac hauſi genitricis, & vbera Nato
Fœta pudore propinaui, tibi, Terra, ſalutis
Virgineos latices, & mella ſequacia fundam.
Accipiam te corde; opibus doniſque iuuabo;
Inſpirabo Devm populis;pariterque ſedebo
Aſtra ſuper, terraſque ſuper; geminique theatri
Vno complexu ciues, & amore fouebo;
Et materna viros Superoſque in fœdera iungam.

Ad ſe Apoſtolos ab Angelis in nube cupit adduci.

Interea vos ite leui per inane volatu,
Aligeri: peregrinam aciem, bis ſexque coactam
Militibus rapido actutum mihi ſiſtite curſu.
Omnibus illa plagis terrarum ſpargitur: ore
Et ſignis tonat innumeris. Dum, concita vento
Ceu nubes, volitat, vectetur nube per auras.
Alloquar extremum; ſacris vt ritè peractis,
In diuina meos ſacrent Delubra Penates.

Adducuntur.

Protinus Aligeri Diuæ mandata faceſſunt,
Biſſenoſque Dei præcones nubis amictu
Includunt,Laribuſque locant; vbi Virgo pudico
Fixa

Fixa thoro, vitæ nexus ſoluebat amore,
Hi poſtquam MARIÆ vultum, caſtumque cubile
Conſpexere, ſilent primùm, paulùmque morati,
Vocibus & lacrymis, lecto incubuere: dolorem
Mox ad verba vocant. Ergo ſuccedis Olympo,
Virgo parens, natoſque tuos moritura relinquis?
Tu ſpecies ſurgentis eras ſuper aſtra Tonantis,
Puro cui placuit pubeſcere ſanguine Matris,
Dum mortalis erat. Sic ora manuſque ferebat,
Moribus & vultu ſimilis; gratiſſimus error.
In te rurſus abit CHRISTVS, rurſuſque reuellit
Corda ſinu diſceſſurus. Si corda rapinâ
Virgo rapis dulci, rape nos ſuper Æthera tecum:
Quã ſequimur lacrymis, animo exultante ſequemur.
Sed tibi parta quies; noua nos in bella vocamur,
Atque alia ex alijs diſcrimina. Vita peracta
Fert palmas ſertumque tibi: nos arma, tubæque,
Inſidiæque, dolique, neceſque, & funera mille
Sollicitant. tu conſilijs precibuſque pauentes
In bellum nos armabas: ancile ſalutis,
Pagina, vbi calamum ducebas, teſſera vitæ,
Fax erat, & lorica virûm, dum bella mouebant
Hæreſis in nigras acies, Barathrique cohortes.
Syllaba bina DEVM vicit, traxitque ſub aluum,
Ore tuo iaculata; tuæ quid nuncia vocis
Integra perficiat, quam ſcribis Epiſtola? vita
In calamo ſcribentis erat, mortiſque flagellum.
Hoc pennata Salus, Charites, Sapientia, Virtus,
Regna pererrabant volucres; ſoluſque character
Nubila triſtitiæ, tempeſtateſque dolorum,
Inque Fidem iactos fluctus, & monſtra fugabat.
Quid vultus? quid ſermo? oculis inuiſa venenum

Apoſtolorum ad Virginem voces, & lacrymæ.

Si formam Dei te appellē digna exiſtis. S. Aug. ſer. de Nat.

Vis Epiſtolarum B. V. ad naſcentis Fidei ſolatium.

B. Virginis aſpectus & ſermo ad inſinuandum cæli amorem efficax.

Cypria ſugebat, Candor lac, Gratia nectar.
Pondus erat Verbi verbum omnipotentis: amores
Ætheris, atque odium ſcelerum, faſtidia terræ
Inſinuabat: opes Superûm infundebat apertis
Pectoribus, cælum omne animis, teq; inſuper ipſam,
Virtuteſque tuas. Sed perdimus omnia. Virgo,
Virgo moras innecte, leues ſuſpende volatus.
Dum tales rumpunt inter ſuſpiria queſtus,
Non lacrymis Virgo abſtinuit: miſerata dolentes
Solatur vultu, funditque nouiſſima verba.

B.V. ad Apoſtolos verba nouiſſima.

O Nati grex parue mei, mea gloria, creſces
Qui nece, qui pœnis, & ſanguine; deſine luctu
Funeſtare meæ iam nata crepuſcula lucis.
Vixi, & quam ſtatuit metam Natura, capeſſo.
Ire ad conſpectum Nati dominantis & ora
Ardeo nunc: face pectus agit; face funera portat
Hoſpes Amor cordis; nocteſque dieſque premendo,
Mille tulit viuendo neces: nunc denique vitam

Deum filium alloquitur.

Morte feret. Venit illa dies, qua, Nate, Parenti
Oſcula, complexus, melioraque dona repones.
In Cruce, Nate, tuis oculis, cruciataque vultu,
Mortua ſæpe, tibi ſolio nunc proxima viuam,
Quæ perij vicina Cruci. fluet ore voluptas,
Fluxerat vnde dolor. Sanguis meus, eripe nubem:
Exue me vinclis, ò Gnate, animamque Parentis
Tolle manu, qua materno pia vincula collo
Nexueras Infans: audire, & reddere voces
Iam detur, pedibuſque tuis, vultuque potiri.

Apoſtolos ad concordiam hortatur.

At vos Chriſtiadum altores, & ſemina, Patres,
Naſcentis Fidei, dum vita manebit, amorem
Vos inter ſeruate. Venit felicior aruis
Sole ſeges radiante; Fides ſed floret Amoris

Pul-

Pulchrior ad radios: huius flaueſcit ad ignes,
Excoquiturque: gelu dum ſtringitur atque pruinis, *Ad patientiā.*
Truditur ad meſſem, vireſque exuſcitat imbre.
Durate: ad gelidos ſementem extendite nimbos:
Sudoris bibat humorem, qui frontibus vndat: *Hac fides colitur, qua ſata eſt in Caluaria.*
Mox bibet è venis & pectore ſanguinis imbrem,
Serrâ, cultro, haſtâ, clauâ, cruce, acinace ductum.
Qua fuit arte Fides ſolymi ſata vertice montis,
Culta Dei morientis aquâ, roſeoque cruore,
Solis & ad tenebras, tormentorumque procellas,
Ad fremitus hiſcentis humi, populique furores,
Per vos hæc eadem pœnarum turbine creſcet,
Pulchrior & veſtri florebit fonte cruoris.
In vos conſpirant, glomeratis vndique ventis, *B. Virgo prædicit excitanda in Apoſtolos bella.*
Omnia Regna: fretis immiſſis arua laborant.
Sed Fidei fauet ira Orbis. Sic agmen aquarum
Verberat, & ſteriles fœcundat frugibus agros.
Ipſa inter medios adero: de nube tonabo,
In veſtros armata hoſtes: deponite curas.
Eſte mei vos hæredes. Domus vnica reſtat, *S. Domus heredes illos nominat.*
Exuuiæ dulces, & Amoris tota ſupellex,
Sed pretioſa mei; patrio quæ colle ſuperſtes
Præſentem hanc animam fouet, æternûmq; fouebit.
Linquentem terras me terris detinet; vnde
Totum hauſi pluuium cum cæli Principe cælum.
Hanc quæcunq; Domum regio ſeruabit, Olympum,
Atque Devm feret in gremio, bellique procellas *Regioni Domum ſeruanti, felicitatem promittit.*
Arcebit, ſortemque ſuam hac in Sede rotabit,
Ipſa hera Fortunæ: lætos Pax candida ciues
Cum virtute reget: Regum dotanda tributis
Europam, atque Aſiam, cumque Afris ſole peruſtis,
Vndantes populis Indos pelagoque, ciebit.

Iubet Naz. Domum in Templum ſacrari, & cauſas affert huius vltimæ voluntatis.
Chriſtus primus in S. Domo Sacerdos.
Myſticus eius amictus veterum Sacerdotum in habitu præſignatus.
Orbem totum more antiqui Sacerdotis deſcriptum habebat in veſte.
Superhumerale de auro & byſſo retorta. Exo. 28.
Hæc erunt veſtimenta, &c. Sumes lapides ſculpes nomina filiorum &c.

At vos ò Mundi clariſſima lumina: quando
Affari extremum data copia, & vltima cordis
Promere vota, vnum poſco moritura: Penates
In Templum ſacrate meos; vbi ſacra Sacerdos
Prima litauit Amor. Vix Æthere lapſus in Ædes,
Matris & in gremium, ſacra pro cyclade, corpus
Sanguine veſtiuit; cidariſque hoc artit ab oſtro,
Frõtis honos: humeros hyacinthus, purpura, & aurũ
Induit ambitione piâ: ponduſque ſalutis
Incubuit dorſo communis. Terra per oras,
Per populos digeſta omnes, digeſta per vrbes,
Sed nexu Pietatis, erat bis terque retorta,
Atque humero deſcripta. ſinum dum balteus angue
Colligit aurato, necis argumenta futuræ;
Pectore flagrabant lapides, & nomina gentis,
Quam cælo donabit. Habent altaria flammæ.
Sacrifici cor ara fuit; mea viſcera Templum;
Crux alimenta rogi, quam mente agitabat amanti,
Proſpectuque faces venturæ mortis alebat.
Vt vidit tacitum Templi penetrale Sacerdos,
Seque hominem, pariterque DEVM: iam ſiſtite, dixit,
Viſceribus pecudum, atque boum luſtralibus extis
Noſtra Sacerdotes altaria ſpargere: Matris,
Matris erit ſinus ara meæ caſtiſſima flammæ.
Hic ego mortis ero noua victima, victima Amoris
Immortalis ero, momenta per omnia vitæ
Patris in obſequium mactanda, hominumq; ſalutem;
Me ſimul & Sacrum donec conſumo cruentus.
Ergo ſacrifico quæ gaudent Limina Verbo,
Semper Nazareo ſedeant ingloria monte?
Vos augete decus, quibus eſt commiſſa poteſtas
Regnatorem Orbis, Superûm de ſede vocatum,
Du-

Agnus qui occiſus eſt ab origine Mundi Apoc. 13.
Apoſtoli Sacerdotes.

Ducere in eiecti confinia paruula panis,
Immenſumque, meo collectum corpore, Numen
Exiguæ rurſus concludere frugis in orbe.
Grandia vos iterum Laribus myſteria noſtris
Ritè, Patres, renouate; Deique extendite donum; *Sacramentū eſt quædam extenſio incarnationis Chriſti. S.Io. Chriſ.*
Fuſus ab ore Patris; cum ſeſe Matris in aluum
Paruulus infudit. facti Domus illa Theatrum
Aſpiciat, ſtupeatque iterum portenta referri;
Et Christi excipiat duodenas hoſpita Matres.
Myſta Devs; pariterque Devm parit ore, meique *Sacra ſcriptura iuſtos Deos appellat S. Aug. de Ciuit. Dei.*
Forma & Imago, ſinu quem ſtrinxi, voce coërcet;
Voce globo tenet anguſto; dextrâque, minorem
Maioremque globo telluris & Ætheris, arcet;
Continet ore, manu, digitis; mox pectore claudit. *Sacerdos, quędam Dei Mater. ex Aug.*
Hæc poſtrema, viri, ſunt vota. En ſtringitur in me
Enſis Amoris: Amor iam vulnerat. En tibi pectus,
Cor, animuſque: feri; vitæ perrumpe latebras, *B. Virgo ab Amore vulneratur.*
Vt moriar victura tibi, mea vita. Quis inde
Erumpit nitor inſolitus? quis fulgurat ardor? (stvs, *Chriſtus Matrem conuenit morituram.*
Christvs adeſt, Natus, Genitor, Devs, omnia Chri-
Lux mea, cordis amor. veniſti Nate: quid vltra
Te viſo, moror inuiſam, & ſine lumine lucem?
Nate vocas; venio, propero, volo. ſubdite pennas,
Aligeri: properemus. Amor tunc vulnus adegit;
Dilapſuſque calor membris, animæque relictus,
Auxit in ætherijs Diuorum incendia Regnis.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Apoſtoli, dedicationis formam ab Angelis edocti, Nazarenam Ædiculam ſacrant in Templum. Petrus primus ibi Sacrum facit. Columba linguis igneis circumflua, & igneum è cælo Deiparæ ſimulacrum apparet. Petrus Æde iam ſacra, ſuum quoque cor ſacrari poſcit in Templum, & negati DEI *crimen inter lacrymas expiari. Mox diſcedunt Apoſtoli & Hieroſolymæ per Titum prima ſuccedit poſt* CHRISTI *mortem euerſio.*

SPiritus vt niueos artus, & clauſtra Pudoris
Deſeruit; dextrâque DEI vectante per auras,
Conſtitit ante iubar Nati quod inundat ab ore,
Oceanumque bibit diuinæ lucis & ignis,
E pelago reuoluta ſuo, deuoluit in Orbem

Virgo Apoſtolos e cælo ſolatur.

Flumina lætitiæ. Duodeni gaudia Patres
Largiùs hauſerunt: exaruit humida malis
Lacryma. Marmoreo cõponunt membra ſepulchro;
Floribus inſpergunt: at olet quàm ſuauior omni
Flore Pudor, cælumque halat, vitæque vireta!

Ad Nazar. illi Domum cõtendunt.

Digreſſi è tumulo, breuiori tramite montem
Nazareum ſubiere, humero quà deſuper alto
Virginis oſtentat, terræ ſolatia, Sedem.

Deuolant ad eamdẽ Angeli

Venerat Aligerûm Templi ad ſolemnia pubes.
Veſtibus inſignis, formâque. argentea ſerpit
Ad talos promiſſa chlamys: natat amne nitorum
Cæſaries, capitiſque agris proſeminat aurum,

Colla

Colla rigans. pars ante fores; pars Ædibus altis;
Secretis pars fuſa adytis; penniſque ſonoris
Emodulata melos, liquat hos in carmina cantus.
Sublata excelſam magnæ ditionis in Arcem
Canunt Virginis laudes.
Quæ vicina Dei ſolio, Regina, triumphas,
Aſpice, vt æquato coëunt in gaudia plauſu
Ætheris, & terræ Proceres? tibi ſupplicat Æther:
Te quoque Terra colit. tibi fabricat alta pyropis,
Geminū eiuſdem Templū.
Templa Devs: totum ſubſidit vt area cælum:
Fundamenta diem condunt, quem lumine fundunt
Chryſolithus, berillus, onyx, amethyſtus, iaſpis:
Grandia pro ſaxis ſuper extant aſtra: columnæ
Mille vibrant candore dies; fit & aurea lampas
Ipſe Amor in Templo, quod amico lumine veſtit.
Inuida at in bellum Tellus coniurat honoris.
Templum non impar Templo deſignat Olympi,
Ingens, auguſtum, cui nobilis area Mundus,
Styx fundamentum, tholus & faſtigia cælum,
Et lapides, ſimul & lapidum, miracula, nexus.
Nunc age: mandatum manus inclyta perfice munus,
Angeli Apoſtolos inuitāt ad dedicationē S. Domus in Templum.
In Templum conuerte Domū, qui primus in omnes
Imperij faſces, & ſceptra vicaria Verbi
Paſtorum, Petre, Paſtor habes. In tecta vocati
Adſumus, imperioque tuo ſubmittimus alas.
Petrus ab Angelo dedicationis cæremonias ediſcit.
Tu ſuccede, Pater, Superis comitantibus, aræ.
Aliger at mediâ ductor qui pube vagatur,
Quæ nunc expedias, ait, & quæ deinde ſequatur
Cæremoniarū ordo.
Poſteritas, figenda animis, aduerte, docebo.
Præcipit hæc peragi Numen, dum Templa dicantur,
Extimum templi ambitum Epiſcopus inſpergit aqua luſtrali.
Atque Sacerdotes mandat celebrare futuros.
Principiò ſacrâ luſtrabitur ambitus vndâ,
Extima quà Templum facies, murique coronant.
Myſta

Clauſas fores ter pulſat & canit: attollite portas &c. Dei oſtendit imperium in tria regna.

Myſta vbi per muros, ſacros dedit ordine riuos,
Cum virgâ anteferat greſſus, clauſiſque propinquet
Poſtibus: attollat virgam; ſimul intonet ore.
Clauſtra Sion laxa: Proceres attollite portas:
Vos quoque cæleſtes, emoti cardine, poſtes,
Pandite in aſtra viam. patet hinc in limina cæli,
Incurritque aditus. mortalia iungimus aſtris.
Hæc fatus, triplicem litui vibratilis ictum
Inferat, imperiumque Dei, tria Regna regentis
Exprimat, amplexu qui cælum torquet amoris,
Speque metuque homines; & Tartara continet irâ.
Protinus in geminas diſcedat ianua partes,
Excipiatque piatum penetralia Myſtam.

Ingreditur: Pax, ait, huic domui. accedit ad altare. orat. Alphabetum Græcum, & Latinum decuſſatū ſcribit in pauimento; oſtendēs gentes omnes in vnam Crucis compagē per elemēta Fidei iungendas.

Occupet ille aditus, & non imitabile Numen
Præferat, auguſtâ dum maieſtate ſerenus
Vrget opus, populo pacem Laribuſque precatus.
Eriget inde manus, Superoſque in vota vocabit;
Et Lemurum pellet miſerabile vulgus in Orcum.
Mox elementa ſolo vocum deſcribat: ab Ortu
Ducet ad Occaſum: ruſuſque hinc orſus, ad Ortum
Signa notaſque, Crucis formantes brachia, vertet.
Multiplices gemmata refert dum littera nexus,
Queis coniuncta poteſt coaleſcere ſyllaba, ſignat
Conſpiraturas in mutua fœdera gentes,
Quas eadem doctrina ligat, ſubigitque fateri,
Quæ mentis fugiunt vires, animoſque ſuperbos.

Aquæ miſcet ſalem, & cinerem. Sale Chriſti ſapiētia, populi aqua ſignantur

Area maiorem ſed quà complectitur aram,
Molliter aſſurgens, in vota preceſque Sacerdos
Deſcendat. ruſuſque gradus erectus in altos,
Sal cineremque manu luſtrali miſceat vndæ.
Hæc ſal's, & cineris nimbis, & voce precantis
Ritè Sacerdotis myſteria concipit. humor

Labi-

Labilis vndantes Fidei intra littora gentes,
Et tormenta cinis cruciati monſtrat Amoris,
Iactat inextinctas dum pendulus arbore flammas
Pallidus, exanguis, cinerique ſimillimus atro.
In ſale permixto cineri, dementia mortis
Digna Deo, ſapienſque latet. Sapientia Mundum
Erudit hæc, iactis, & ſanguine larga diſerto;
Et docet eſſe rudes, Sophiæ quos iactat alumnos
Regna per & populos mendacis buccina famæ.
Poſthæc merget aquâ digitum, ſignumque ſalutis
Quattuor altaris per cornua diuidet. Orbis
Quattuor in partes Cruce ſic diuiſus, & idem
Glutine perpetuo diuini ſanguinis hæret.
Ter bis, atque iterum, ſeptemplicis argumentum
Muneris, erumpit quod Amoris ab æquore, ſacro
Aram fonte riget. mox muros expiet: vndæ
Terribilem iungat ſonitum, quo muta querelas
Territa contineant Stygis antra. Exurgat in arma
Omnipotens: omnes formidine diſſipet hoſtes:
Deficiant veluti fumus, ceu cera liqueſcant,
Protinus & pereant. celebrent conuiuia Iuſti:
Lætentur præſente Deo. Pater Æde ſub vna
Hos cogit; Iudexque domum iubet eſſe Tribunal,
Qua formidatus mitiſque, amplexibus enſes,
Lætitiæque metum iungat. tremat excita tellus,
Lætaque diſtillent plaudentia ſidera rorem.
Hæc canat Antiſtes: mox totam exhauriat vrnam,
Ante aram, luſtralis aquæ, qua plena notetur
Donorum vbertas, cæli è torrente voluta.
Humida tunc ſacris tergant altaria lymphis
Lintea, quæ Christi candore notantia corpus,
Excipiant labem, quam torta, & merſa fluentis

Mundi ſapientia ſtultitia eſt. Ad Corinth. 3.

Rorantè aqua digitum ducit per 4. aræ cornua: quia Eccleſia per 4. mundi partes dilatatur.

Septies aram irrorat, 7. dona deſignans S. Spiritus.

Interioris têpli muros aſpergit, & canit pſ. 67. Exurgat De⁹ &c.

Iuſti epulentur, &c.

Terra mota eſt, &c.

Aquæ reliquias ad ara baſim effundit: quia Sacerdos quidquid habet exhaurire pro Deo debet.

Linteo tergitur ara.

Ara Chriſti typus.

Linum Chriſti caro in reſurrectione can-

Deni-

Denique deponant, vexilla futura pudoris.
Sic aliena Devs pœnis, & ſanguine lauit
Crimina, quæ puro Pietas inſperſit Amori.
Thure vaporatis fument altaria flammis;
Fontibus irrorata priùs, dum ſudat in igne,
In cælum vapor inde fluat. Lapis, vrnula, Diuûm
Oſſa tegens, caleat, mediâ dum ſternitur arâ.
Felix vrna! baſis diuini parua coloſſi,
Triticea ſub nube Devm effultura, cruoris
Ebibitura faces diuini. ſaxa Veſeui,
Mulciberi lapides, Titan, fax publica Mundi,
Omnia nec cæli ſic ardent aſtra. Sepulchrum,
Parue lapis, cinerum, quàm magna incendia iactas,
Frigore natiuo dum torpes! incubat alis
Igne tibi dum flagrat Amor; dum nubibus altis
Deuolat in niueam nubem, quam candidus implet
Vnde faces, & tela vibrat. Tu nidus Amoris,
Reginæ volucrum in morem, phengithe locantis,
Marmore candidulo, nidum. tu feruida votis
Meta, animi quæſita rotis, dum quærit Olympum,
Fortunæque rotas curſu perrumpit ouanti.
Tu menſura viæ lapis es, quæ tendit ad aſtra.
In te præco Devs proclamat, & auctio cæli,
Sanguinis ad pretium, fit per præconia creſcens.
Tu ſcopulus, fundit Pietas vbi naufraga merces,
Merſa cruore flabriſque ſuis, dulcique procellâ.
O lapis! ò cæli lapis inuidioſe lapillis,
Numine qui gemmas; cineres qui condis; & vnde
Viuida vena voluptatis prorumpit, & vndat,
In Christo ſtabilire doces per funera vitam
Magnæ relliquias animæ. ſub te oſſa perorant,
Et clamant. ſcelerum vindex, vlciſcere ſontes,
Inſon-

dida; quia verberata.
Fit Thuris vaporatio.
Sacer lapis ſiue martyrum ſepulchrum.
Rectè ſub altari iuſtorum animæ requieſcũt quia ſub altari corpus Domini offertur nec immeritò ibi iuſti vindictã ſanguinis poſtulant vbi etiã pro peccatoribus ſanguis effunditur. S. Aug. ſer. 11. de SS.
In phengithe lapide nidificat Aquila ex Plinio.
Lapis in ludis Olympicis.
Metaq. feruidis euitata rotis Hor.
Lapidib⁹ milliaria ſignabantur.
Editior lapis erat Romæ vnde præcones in auctionibus tes

Inſonteſque iube cineres floreſcere rurſus,
Pro te profuſum, venis immitte cruorem:
Qui rapuere, luant commiſſa. exurge: cruoris
Ne voces contemne tui; pro ſanguine noſtro
Dum lapidem ſuper hunc validis clamoribus orat.
Poſt flammas & aquas, oleo, quod præminet vndis,
Quodque alit ardores ignis, Delubra ſacrabis.
Sic poſt Baptiſmi pretioſa fluenta, faceſque
Numinis illapſi, dulcedinis effluit imber;
Et placidè ſtagnans incendia nutrit Amoris.
Antiſtes oleo ſignum Crucis imprimat aræ;
Et quatuor, quater altaris per cornua ducat
Chriſmate rorantē digitū. dein Templa per orbem
Circumeat, muros liniens, duodena Tonantis
Fixa vbi collucent cruciati ſtemmata, ceræ
Quæ circum niueæ diſcriminet ardor, & ornet.
Vos, Patres, nix illa apium, quam paſcitur ignis,
Oſtendit: veſtrâ clareſcet gloria luce,
Qua Crux in toto dominabitur Orbe, redacto
Numinis in Templum. veſtrum hæc incendia pectus
Dulciter abſument: torpeſcet vita per æſtus,
Cera velut ſenſim decreſcit lactea flammis.
Imperium Crucis in cunctas ardebitis oras
Spargere, vt ardorem ventis funalia iactant.
Non Eurus, Notus, & Boreas, non Auſter, & omnis
Vis mundi violenta faces extinguet Amoris.
Crux, arbor vitæ, vitales nutriet ignes:
Crux vos excipiet, rogus immortalis honoris.
His tandem exactis hilaretur veſte niuali
Ara recens: albâque micans in veſte Sacerdos
Aræ ſuccedat: promat rata verba, Devmque
Euocet in frugem, depulsâ fruge: cruorem

venales pronunciabant. Eraſmus.

In Chriſto abſcondita eſt vita Sanctorũ Ad Coloſſ. 4.

Vſquequò Domine non vindicas ſanguinem noſtrũ. Apoc. 6.

Quatuor in angulis chriſmate ara linitur, quia poſt aquam Bapt. oleo dulcedinis à Spiritu Sancto replemur.

12. Cruces circa templi muros inungit oleo, & 12. cereis facibus coronat, quia crucis myſterio Apoſtoli Orbem illuminant.

Albo velamine ara contegatur in argumentum lætitiæ.

Atque

Atque ſubire mero iubeat; Dominoque nouellam
Donet habere Domum, ſolioque, & ſede potiri.

Angeli Petro præbent dedicandæ Domus inſtrumenta.

Nunc age; Relligionis apex, Fideique curulis,
Auriga, & Princeps, edoctus perfice munus.
Chriſma, vndam, virgam, cineres, & ſymbola mortis
Diuinæ ferimus, muriſque affigimus Ædis
Nazareæ: reliquas tu partes ſedulus exple;

Et primùm ſacrum lapidem cum ſacris D. Stephani reliquijs.

Dum pubes pennata latus tibi cingimus alis.
His dictis, gemmis offert ardentibus vrnam.
Hæc, inquit, Stephani cineres tegit vrna, cruentæ
Primitias Fidei. Numen placatur ad aras:

Amphoram cũ aqua præbet alter hauſta è mari vitreo quod ſimile Cryſtallo labitur ante ſoliũ Agni cæleſtis. Ex Apoc.

Dum veniam rurſus poſcunt, placabitur. Ardor
Hinc fluet in cineres è Christi ſanguine, ab Æde
Virginis. hos lapides gemmis præponet, & aſtris,
Æde coronali ſeptus, roſeoque cruore,
Grandine ſaxorum Stephanus qui floruit olim.
Submiſſam tunc alter humũ petit Aliger. vndam
Detulit, & cinerem cum voce. hæc vnda pererrat
Prata voluptatis; de Sede ſedentis & Agni

Alter cinerẽ ex ijs lauris combuſtis, quę olim victrices Iudittħæ, & Deboræ comas coronarunt, et in cælum trãſlatæ ambiuere potius Virginis in pauimẽto ſubſterni, quàm ſuperis in hortis efflorere.

Proſilit; & vitreum cæli mare gurgite format.
Hanc luſtrare Domum fas eſt, vbi terruit Agnus
Balatu ſtygium, ſurgentem in bella, Leonem.
Hæc olli Sedes. in Matre ſedebat, & vndâ
Pro vitreâ, fons lactis erat. ſal iungite lymphæ;
Sal Mundi, Patres; vndamque ſalemque maritet,
Relliquiæ, cinis hic, lauri, qua tempora victrix
Debora velauit, qua belli lenijt iras
Terribileſque comas mixto Iudittha cruore.
Hæc ſata ſidereis laurus vernabat in agris,
Heroinarum rurſus conſtringere crines
Ambitioſa. ſed ambitio noua ferbuit, alto
Vertice deuolui Dominarum, & in igne flagrare,

Sider

Sidere & in cineres; vt, magnæ Virginis imo
Strata pauimento, maiori laurus honore
Mortua regnaret, floreſceret arida cultu,
Diua, tuo, ſubiecta tibi; magis inde ſuperba,
Altior & ſuperis quàm cum ſurgebat in aruis.
Ecce alius cæli ſudata opobalſama campis
Aurato cratere gerit, ſqualente pyropis.
Inſuper hæc addit. Cæli per aprica vireta
Hortus alit flores: propinat floribus vber,
Quæ latè riuis diſcriminat arua, voluptas
Labilis in fontes. pro floribus vnica multis
Vna ſat eſt facies, obtutus & vnus Amoris.
Ille herus, & cuſtos, ros eſt, & cultor agrorum,
Eſt ager, atque agri florum flos, auraque florum,
Nix fœcunda, nitor, ſpirabilis imber odorum.
Floribus in medijs, folijs felicibus, arbor,
Pompa loci formoſa viret, tegit omnia ramis.
Non tamen è ramis in florem ſpargitur vmbra.
Sunt rami radij; frons auri bractea; frondes
Non hyemis vis vlla quatit; non æſtus adurit;
Viuida poma parit: vitæ nam creditur arbor,
In ſuperos translata hortos, quæ floruit olim
Primæui Genitoris agris. De cortice ſecto
Balſama proſiliunt. Domini miſerata ruinam,
Nunc etiam lacrymantur; olet ſed gaudia fletus;
Fitque oleum, riſuſque latex, liquor ille doloris.
Nam cælo dolor omnis abeſt, & ſorte beatâ
Degenerant lacrymæ. dictu mirabile! trunco
Non oleum ſtillat, non balſama; nomen Iesv
Ni iaculo incidas, quod amoris tenditur arcu.
Vulnere vitali ſubitò dum figitur arbor,
Mollia odorato manant opobalſama nimbo,
Atque

Alter fert odorum chriſma, & balſamum ex arbore vitæ ſudatum. Vitæ arbor, è Paradiſo Terreſtri in cæli hortos trãslata, floret amoris cultura. Amor omnia.

Vitæ arbor.

Dulcis, & odora in cælo eſt huius arboris lacryma. Oleum ex arbore non ſtillat, niſi amoris telo incidatur in cortice nomen Ieſu.

Digitized by Google

Illius in odorem dũ è trunco manat Virgines currũt. Oleum effuſũ nomen tuum curremus in odorem, &c. Cant. c. 1.

Ab amplexu Amoris vitæ arbor caleſcit & exudat.

Amor ſudorẽ tergit balteo: ad hanc arborem arma ſuſpendit, ramos coronat.

Inſcriptum in folijs nomen Ieſu.

Atque vbi iam Superâm notas odor imbuit auras,
Sedibus exurgunt; ſequitur cum Virgine virgo;
Procurrunt pariter; diuinam naribus auram
Veſtigant, captantque ſimul, placidèque caleſcunt.
Aura ſonat IESVM, vocalis odore: reſultant
Arua, nemus, frondes: geminant latè omnia IESVM.
Tunc amor exultat iaculo, quo vulnus odorum
Intulit: amplexu, dum ſudat, ab arbore pendet;
Oſcula defigit, quibus æſtuat illa; liquorem,
Vt fluat, irritat flammis; & vulnera ſiccat
Balteus, armati qui collo ſerpit Amoris.
Suſpendit ramis pharetram bellator & arcum;
Torquibus innectit frondes, gemmiſque coronat;
Frondibus ipſe coronatur, quas nomen IESV
Inſcribit, nota victorum, diademaque Regum.
Hoc, Petre, munus habe. diuinos nectare muros
Vnge triumphali; namque hìc deuicit Auernum
CHRISTVS, Amor Superûm, terrã effundẽdus in omnẽ
Exijt hinc, oleo ſimilis; dum preſſus in aluo
Virgineâ, dulces Pietatis fluxit in imbres.

Angelus paſtoralem Petro virgam præbet, quæ ramus eſt arboris ſcientiæ boni, & mali generi humano fatalis.

Extulit ardentem cæleſti lumine virgam
Aligeræ ductor pubis. Quæ gratia ramo,
Quæ natura, docet, quos & ſeruetur in vſus.
Arboris eſt, inquit, ſoboles, Sapientia nomen
Cui dedit; at rapuit fructus inſana voluptas,
Quæ tulit in facinus generis mala femina veſtri.
Sponte ſuâ lucis ſeſe tollebat in oras
Neſcia culturæ, pluuij non indiga roris.
Sæpius incluſas trudebat cortice gemmas,
Pomaque, ſed nunquam manibus violanda Parentũ.
Illa vorata oculis, intacta ſed ore, beatọ
Impleſſet Sophiæ ſaturatas lumine mentes.

Sed

Sed nocuit tetigiſſe. lues incocta per omnes
Hinc venit miſeranda viros: hinc eſca doloris,
Et ſcelerum cunctis hinc ſacta nepotibus vmbra.
Degener ergo arbor, ſucco vitiata nocenti,
Serpentis corrupta dolo, dum ſegnis in aruis
Horreret, meliuſque ſolum, cælumque vocaret,
Inſita ſidereis floreſcit amœnior agris:
Decoquit humorem ſceleris; rurſuſque tumeſcit
Frondibus auratis. renouat Sapientia fructus:
Lumine pinguntur; folijſque exuberat aurum.
Pullulat à radice iterum doctrina, fibraſque
Arboris, & fœtus, ſparsâ propagine, mollit.
Progenies quæ morte ſubit cæleſtia rura,
Non virtutis egens, quamuis ignara Mineruæ,
Vt primùm grauidâ decerpit ab arbore pomum,
Et vorat, obſcuram ſubitò clareſcere mentem
Miratur; lucis pulchram ſine ſemine meſſem
In medio rutilare animo; diuinitus ortum
Ingenium claro ferri per operta volatu.

Poſt Adami crimen degenerauit arbor ſcientiæ. Transfertur in cæli agros, et felicior floret, & pomis induitur.

Qui rudes in cęlū migrant, huius arboris pomis in doctrinas omnes erudiuntur.

Quem gerimus, doctâ frondeſcit hic arbore ramus.
Sume; pedum Paſtoris erit. Sapientia fulcit
Sola Sacerdotes: ad ouilia ducit Olympi,
Dum docet hæc populos, dũ dirigit vna per herbas,
Per Fidei fontes, per dulcia pabula vitæ.
Hac ſine Myſta caput ſine mẽte; lucerna ſub vmbris,
Luminis orba, latens; fatuum ſal; montibus altis,
Non bene nixa domus, quã verberat Eurus & imber,
Et trahit in præceps; vacuus maris alueus vndis;
Sol ſine luce; aſtrum ſine Sole. Scientia, labris
Cuſtodita Sacerdotis, ceu nubibus ignis,
Fulminat audaces; ceu, pacis balteus, iris
Emicat, & varijs noua ſerta coloribus ornat.

Labia Sacerdotis cuſtodiunt Scientiam Mal. 2.

C Con-

Concentum,tonitrumque ciet; placet;allicit; arcet ;
Mentis in arce agitat bellum, ſed in ore triumphat .
Ergo characteres hæc virga inſcribet in Ædis
Mota pauimento, quo ſe Sapientia Verbum,
Et liber æternus; ſeptena ſigilla reſignans,
Explicuit terris, Fideique arcana recluſit.
Ante ſed in muris,radijs, quibus ardet, inurat
Signa Crucis duodena. Crucē Sophiæ imprimat ar-
Nam ſolio Regina Crucis Sapientia regnat. (bor:
Illius, hæc memorans, ſignabat imagine muros
Aliger anteuolans . bis ſex rubuere,faceſque
Præfulgent Crucibus famulari ſidera luce.
Has memorant ſtellas, perfecto munere, cælum
Dum repetunt, partim ſeruato in ſecula nexu ,
Sideream formaſſe Crucem,quam quinque decuſſant
Aſtra,Dei referunt quæ paſſi vulnera. adhæret
Stellula ſexta minor ſtellis maioribus; & ſe
Ante polum fauſtâ nautis vertigine verſant.
Altera ſtellarum ſuperis pars reddita campis
Itq; reditque; Crucēque,Domus quæ pendula muris
Eminet , è cælo delapſa, ſubinde ſalutat,
Et colit inuerſis radijs . hinc viſa tot annis
Sidera virgineam veſtire nitoribus Ædem ;
Atque Crucem redimire iterum ambitioſa,fauillas
Fundere inextinctas diuinæ mortis ad vmbras.
Dum duodena flagrat muris Crux ignea , pennis
Fit fragor . Ecce Dei biſſeni ad Limina Diui
Bis ſex contentâ portant ceruice molares,
Vnam qui coëant Templi naſcentis in aram .
Ipſi per medias acies, fulgentibus alis ,
Deponunt onus obnixi ; ſequiturque ſequentem
Sponte lapis lapidem : ferrumque exoſus & ictum ,
Quiſ-

Vidi librum ſignatum ſigillis ſeptem Apoc.5.

Ramo ex arbore ſcientiæ diuulſo ſignādæ cruces in templi muris, quia omnis à cruce ſapientia.

Ante has proceris facibus ardent duodena ſidera, quę cælo reddita ſignum cæleſte , vulgò Crociero, formauere, quod conſtat quinque ſtellis maioribus, crucis in ſpeciem decuſſatis , & alia minori propè polum . Sex aliæ ſtellæ ad eam crucem ſæpiùs excurrunt, quæ Nazarena cū domo circumlata eminet ſupra feneſtram .

Duodecim Angeli ferunt ad aræ fabricam

Quiſque ſuis vltrò ſpatijs ſuccedit, & altum
Sollicitus ſibi quærit iter, mediumque, vel imum,
Feruet opus, dum feruet amor, nexumque laborat;
Exprimit & mundi nexum, qui Virginis Æde
Nazareâ duros lapides, & ſaxea corda,
Eruta de ſtygijs componet amore cauernis.
Dum lapides pendent, quæ ſit, dux inquit, origo
Altiùs expediam lapidum. Proruperat auctus,
Imbribus & niue Iordanis, campoſque ſuperbus
Mole premens, molli ſata culta tyrannide preſſit.
Ioſue ad extremi tumidum caput adſtitit amnis,
Arca Sacerdotum dum procubat ardua dorſo,
Et proceres populique fluunt ad littoris oras.
Percuſſum ſacrâ obſtupuit formidine flumen:
Præcipites repreſſit aquas; partemque liquorum
Extulit in montem; partem diſcedere iuſſit
Præruptum in pelagus. Curuatur protinus vnda
In montis faciem; pauidoque tremore voluta,
In mare ſulphureum violentior influit. Aret
Attonitis Iordanis aquis: ſubit Arca: cohortes
Certatim pedibus fluuij ſicca æquora verrunt.
Ipſi iam pueri, quos intolerabile quondam
Illius auertit dorſum, premere ora laborant,
Atque inferre gradus in ſubſidentibus aruis
Fluminis expulſi. Pendentibus ardua lymphis
Culmina mirantur: populi pro fluctibus vndant,
Pro ſtrepitu plauſus, pro nauibus arida currus
Regna ſecant, & pro velis vexilla ſupinos
Obliquant per ſuda ſinus. Stupefactus in amnem
Ingreditur, ſociaſque acies dux vrget euntes
Vocibus. at refugi quà proterit oſtia fontis,
Quæ preſſere Sacerdotes in margine ripæ,

duodecim lapides, eos videlicet, quos in Iordane preſſere Sacerdotes arcã vectantes. Hi depoſiti vnam in aram ſe ipſis vltrò nectuntur, & oſtendunt ſaxea corda ante Laur. Virginis aram amore diuino iungenda.

Iordanis aluei ſui ripas tempore meſſis impleuerat Ioſu c. 3.

Steterunt aquæ &c. quæ inferiores erant, in mare ſolitudinis deſcenderunt. Ioſ. 3.

Stabant ſuper ſiccam humũ in medio Iordanis. Ib.

Tacti Sacerdotum pedib⁹ 12. lapides gẽmaſcunt.

Saxa videt gemmaſſe, color non vnus; at idem
Fulgor erat: ſtellis ardebant æmula fixis,
Quæ duodena, notant ſtellati baltea mundi,
Inſolitæ monumenta viæ, partuſque flagrantes
Fluminis attolli iuſſit, dorſoque ſedere
Militis; & Templo, partâ iam pace, reponi.
At rapuit lapides cælum, atque immiſcuit aſtris,
Et ſuperis obiecit aquis, vt murmure cantus
Inde reſultaret circum ſalientibus vndis.
Munus in hoc ſeruata diù ſed ſaxa, beatis
Et radijs tepefacta diù, concoctaque flammis
Æthere ſidereis, niueam iungantur in aram.
Interea mandata ſuo Petrus ordine complet,
Virgineamque Domum ſacrat. ſtant agmina circum
Aligerûm, denſantque choros, & ritè miniſtrant
Succincti, proniſque animis ad iuſſa vocantis.
Ipſe Pater plaudens dedit æthere ſigna ſereno.
Pontificis ſuper incumbens namque ora, Columba
Viſa coronales in lumine voluere linguas,
Et Patrum redimire comas, & lambere frontes
Lapſibus innocuis. incendia nota ſalutant.
Ante alios Petrus exclamat. Bona flamma, Parentis
Hoſpita Virgineæ, te coram oſtendere rurſus
Æde tuâ gaudes, pluuiamque effundere lucis.
Hunc votis omnes, animiſque volentibus ignem,
Corda laceſſentem, excipimus, quo rurſus in orbem
Europæ, atque Aſiæ concurrimus; vltima fuſo
Oceano quà ſe tellus ſubmouit, & actus
Præcipiti quà Sol curſu ſe mergit Ibero;
Quàue oritur meliore comâ. ſic arce Sionis
Quattuor, his ſtimulis, cum Sole diremimus oras,
Partiti ſudore vias, & ſanguine. Virgo

Portate ſinguli ſingulos lapides Ioſ. 4.

Lapides in aſtra translati, & veluti ſcopuli aquis obiecti, quę ſuper cælos ſũt. Inde ad fabricam Nazarenæ aræ deuoluti.

Paratis omnibus fit Dedicatio Domus in Templum.

Apparet in aëre Columba igneis linguis circumflua.

Spiritum S in ea Petrus adorat, vt olim in cœnaculo.

Inter-

Interrupit iter moritura: coëgit in vnum;
Quotquot per totum tuus ardor ſparſerat Orbem.
Vellimur ecce iterum: prælucet flamma, viamque
Per fluctus, per ſaxa docet, medioſque per enſes.
An peregrina Domus curſus imitabitur ignis,
Et peregrinantem ſecum trahet ardua mundum,
Aligeroſque viroſque? viam quæ lumine ſignat,
Quæquæ ignara moræ noſtro ſe vertice tollit,
Omen habet num flamma fugæ? quà ducit, eamus:
Secula dum currunt, Domus ipſa ſequetur euntes.

Intelligit ex igne volucri migrãdũ ſibi rurſus & ſocÿs in terras omnes, & Domum ipſam aliquando migraturam. Flamma irrequieta omen fugæ.

Nunc capitum deſcende iugis mea flamma: per arã
Labilis exunda. montano flumine torrens
Sic ſata fœcundat ſubiecta. rigabitur ara,
Et feret innumeros virtutum roſcida fluctus,
Ignito dum fonte fluit. dum pernatat igne,
CHRISTE tuo, deſcende. cohors cæleſtis Amoris,
Lintea, dum facio, ſubſterne niualia, gemmis
Candidulis baccata. faces candore fouentur
Numinis. eſt niuei pia flamma marita Pudoris.

Petrus cæleſte ignem inuocat et ſe parat ad ſacrum.

Protinus imponunt aulæ ſtellantis Ephebi
Ambitæ flammis aræ velamina nota.

Ab Angelis veſtitur ara.

Veſtis erat, Pronœa manu quam pinxerat, aſtris
Grande opus inſertis: radijs ſubtegmina Titan
Neuerat: argento Phœbe diſcreuerat aurum:
Aptarat ſe tela operi via lactea, fatis
Picturata ſecuturis. Aſia aſpera vultu;
Et lacrymis gemmata, comas diuulſa, corollis
Tempora nudabat: flores Europa legebat,
Nectebatque ſibi ſertum, Romæque propinquæ.
Hæc geminas palmas ſupera ad conuexa ferebat,
Aëreque innantes ſpectabat læta Penates,
Heu vacuis Aſiæ profugos amplexibus. Extant

In aræ amicu lo acu picta ſymbola S. Domus fugam deſignantia. Teſſera fugæ, aues facilè nidum mutantes.

Symbola multa fugæ: quæ ſedes mutat, hirundo
Aduolitat; multoque grues ſtridore per auras,
Agmine compoſito, ſublimes vertice toto,
Perrumpunt, fugiuntque notos: dant ſigna receſſus:
Cæli temperiem explorant, atque æquora tranant.

Petrus ſacrificat.

Vt Superi niueos ſtrauere altaris amictus,
Et Libani niuibus certantia lina; Sacerdos
Præfatus ſua vota Deo, myſteria pergit:
Immolat; & Cereris Numen ſub imagine libat.

Peracto ſacros & conſumpto reſonat ex igneis linguis harmonia.

Tunc impleta omnis linguis rutilantibus Ædes;
Quæ dum circumeunt flammâ trepidante, canoros
Igne liquant ſonitus; lituique & claſſica belli
Non imitabilibus replent concentibus auras.
Tunc Superûm preſſo pubes obmutuit ore;
Et venerata melos, animos ſuſpendit & alas.
Intremuere Domus lapides, tremuloque voluptas
Murmure ſubſultat: vis addita Patribus ingens
Ignotas penetrare plagas, atque inuia Regna,
Et Fidei pia bella tubis renouare per Ortum,
Atque per Occaſum, per acutas frigore rupes,
Et per inardentes vicino lumine ripas.

Poſt varios excurſus hinc atque inde B. Virginis ſimulacrum in ara media coëuntes flammæ cõformant. Sic in Aelia turri poſt igneum turbinem inſigne Principis crepitantibus coruſcat è flãmis.

Dum modulatur Amor linguis diſcrimina vocũ,
Linguarum pars magna ſilens ſuper incubat aræ:
Se rotat in gyrum: ſerto ſe conglobat vno;
Colligit & radios. tenui mox ſoluitur imbre;
Voluitur; exundat: pluuiæ ſunt aſtra fauillæ.
In diadema iterum coëunt diuortia: ludunt
Cæleſtes circum variâ vertigine flammæ.
Dum ſæpè ignito lambunt ſe turbine linguæ;
Dum redeunt, fugiuntque, Dei ſimulacra Parentis
Ignibus effingunt ſuperis. coma fluctuat igne;
Frons ardet, rutilantque genæ, digitique coruſcant;

Bra-

Brachia ſunt flammæ; ſcintillant lumina; lingua
Inſinuat labris ſe flammea; pectus anhelat ;
Apparet medio cor pectore. proditur ignis
Luce ſua; ſunt membra faces , quas arte magiſtrâ
Stipat Amor, totumque opifex ſe in Virgine miſcet
Materies operis, finiſque, & forma . Quid vltra
Virgo fuit, niſi flamma? Dei ſpirabat Amorem;
Ignis erat pectus, cor, ſpiritus, auraque cordis,
Ingenium, vires , & Virgo denique tota .
Nunc Pater Omnipotens flammis ſimulacra laborat
Eius ad exemplum, primæque ſimillima formæ.
Ignibus haud aliter feſtis nox cæca theatrum
Explicat; & ludis, tenebrarum pulpita tollit ,
Ælia cum Romæ referat ſpectacula turris.
Puluere fœta nigro ſuper extat machina muros ,
Ignitos paritura angues è puluere ; & imbres
Vibratura ſuper nubes , & fulmina mille .
Indignata moras vteri, vitamque necemque
Progenitura ſuam, ſcintillam concipit ; & mox
Viſcera dilacerat; partuſque erumpit in auras .
Igniti ſerpunt colubri; ſua funera portant ,
Funeris & tædas; cruciataque prole laborat
Machina cũ gemitu. in pheretrum conuerſa, cadẽtes
Excipit infelix, orienteſque horrida natos .
Inde alios , iterumque alios excludit ab aluo
Suſpirans: flammante ſuam cum turbine ſortem
Vertit , & euertit : rota lucida perſecat vmbras;
Protinus in medio curſu ſed ſcinditur axis ,
Et ſobolem terit ardentem; fumuſque ſuperſtes,
Extinctique hæres ignis, tegit omnia luctu .
At globus in nubes dum ſe iaculatur, & vndat,
Exoneratque auram nebulis , in vertice molis

B. Virgo dum vixit tota conflata fuit ex igne diuini Amoris.

Igneus Turbo.

Ecce renaſcentis ſurgit noua gloria lucis.
Principis apparent facibus fabricata decoris
Symbola, vel facies, vel auitæ inſignia gentis;
Atque ſibi crepitu plaudunt, lucemque reducunt.
Talis erat MARIÆ viuens in imagine lampas;
Lux operis, decus, & ſpecies. Tunc Petrus adorans
Icona Virginei vultus, Genitricis amore

Petrus ignitũ Deiparæ ſimulacrũ adorat, & eo ex igne auguratur omnia Regna Virginis amore corripienda

Ingemuit: Tua, Virgo, inquit, ſimulacra quid ignem
Ignea diffundunt? nimirum creſcit eundo;
Et volat igniferis alis ceu flamma, per Orbem
Sic tuus ibit amor; ſic pectora paſtus amantum
Vndique perpetuis iactabit curſibus æſtus.
Hæc etiam nos flamma rapit: mora nulla: ſequamur.
Vnam ex diuerſo, ſocij, veniemus in Vrbem;
Cum, varia tandem errantes regione viarum,
Altera nos MARIÆ, collectis omnibus, Ædes,
In medijs fundata aſtris, donabit Olympo.
Hæc in digreſſu Petrus. Premit oſcula ſacro
Multa ſolo: cauat ora iterum, quæ labitur vltrò,
Lacryma; & hæc fundit complexu verba ſupremo.

Sacrata in Templũ Deiparæ Domo, Petrus ſuum quoque cor ſacrari cupit in Templũ, quod olim negationis crimine profanarat, cuius rei memor ſoluitur, vt ſolebat, in queſtus & lacrymas.

O Domus, ô Diuûm ſtatio gratiſſima, Templum
Ritè ſacrum, iam redde vicem. execrabile pectus,
Atque profanatam turpi formidine linguam,
Vnius ancillæ quam vocula inuſſit ad ignem,
An non ſacrabis? peccaui. pœna dolorque
Vrget adhuc: mihi Solis auis criſtata tenebras
Offundit, reſonoque meas nouat ore querelas.
Dux ego Chriſtiadum Princeps, Verique magiſter!
Non dux, non miles, ſed proditor, hoſtis, honoris
Neſcius & fidei, qui per periuria mortem
Vt fugiam, Vitam prodo. Proh conſcia facti
Sidera, virgineis modò fixa Penatibus! in me,

In

In me fulmineos quid non mutatis in ignes
Lumina? crudelis, vitæque cupidine falſus,
Perfidiæ columen; dulciſque heu transfuga Regis
Hæc olim promiſſa dabas? intrare profundi
Carceris in latebras, ſoluſque pericula adire
Exilij, capitis; dape cum ſaturatus Amoris,
Cœnatuſque; Deo non hæc firmante, vouebas!
Deſertor ſic voce negas, quem voce fateris;
Nec te Patris amor, nec te data pignora cæli;
Nec pro te durâ moriturus cæde magiſter,
Nec tenuit Matris Pietas! ſic exuo mentem
Promiſſo ſtabilem æterno! cui deſero Natum;
Pontificis dum diſcedo periurus ab aula?
Ille ego quin etiam; Fidei cui nomina robur
Indidit, obtutu, velut ariete, ſternor ab vno!
Vidi ego te vallare latus gradientis in horto.
Hoc satis; vt rueret Fidei petra. Perfide, viſum
Diſſimulas trepiduſq; negas? quid me aſpicis æquis
Chriſte oculis? auerte oculos, quibus ignis Amoris
Fluxit, & in lacrymas corda hæc infida liquauit.
Iuſta meo ſceleri reſponde pœna. negauit
Qui vidiſſe; Devm videat? Devs ipſe videndum
Obijciat ſeſe lacrymanti? nubila, luctus,
Carceris horrores, terræque nigrantis hiatus,
Non viſæ ſtellis, aut Lunâ, aut Sole cauernæ,
Æquoreique ſinus, loca nocte ſilentia latè,
Obruite hanc animam. fugio vos Tartara tantùm;
Obrutus vt lacrymis, & triſti nube doloris,
Criminis exoluam tenebras; nebulâque ſolutâ,
Te, Devs, aſpiciam, qui me dum cernis, amico
Vulnere confoſſum, curarum mergis in vmbris,
Vt videam. vidi. lacrymæ, vos dicite: vidi;
Lumi-

Verba Ancillæ.

Conuerſus Dominus reſpexit Petrū.

Lumina cum flexit; cum me mihi reddidit. ira
Hinc in me, dolor, & lacrymæ, mœrorque perennis.
Quos gemitus, quæ verba dedi! dabo; donec iniquos
Mors ingratâ animâ tandem ſeduxerit artus.
Omnibus vmbra locis adero mihi: noctis & horas,
Atque diem queſtu fallam: nox, ſidera, Titan
Lugentem inueniant. CHRISTI indulgentia nunquam
Indulgere iubet lacrymis. tamen ille pepercit.
Aſt ego non parcam. aſſiduo petra fonte cauabor:
Alluar æterno cautes marpeſia fluctu.
O ſcelus! ò violata fides! Domus, ò Domus vndis
Sacra meis, me terge tuis: in te fluit Æther,
Totaque diuino Pietas cum fonte liquatur.
Imbre dicata olei, cineriſque aſpergine, pectus
Terge oleo, quod ſtillat Amor, cineriſque ſuperbum
Sparge globo. luſtralis aquæ gere, lacryma, munus.
Sic ſcelere abluto, ſacrabor. ſaxa, madetis
Quæ noſtris nunc vda oculis, hinc diſcite fletus
Colligere è toto ſtagnantia flumina Mundo.
Me præire iuuat lacrymis: lacrymabitur Orbis.
Omniū & hic oculis lacrymabor, & omnibus vndis
Perfidiæ ſcelus immergam; geniuſque fidelis
Virginis hic Domui maneat, quo ſaxea frangat,
Molliat in planctus & corda. in Limina greſſus
Hæc quicunque feret, ſtupeat primùm; inde reuulſis
Criminis obijcibus, duratique aggere cordis,
Vberet in gemitus: cor expiet; atque piatum
Virginis in Templum vertat. ſint arrha doloris,
Atque rudimentum mea flumina. Munere Princeps
Agmina lugentum duco, primuſque Penates
Alluo virgineos. Bona Virgo, hos accipe fletus,
Æternumque vale. dixit. Pia Virgo precantis
Vo-

Petrus petit ſacrari à ſacra Domo Diuinitatis in Templum.

S. Domus à cunctis eam intrantibus lacrymas elicit, quarum ſementem Petrus fecit ſuis lacrymis.

Vota ſecundauit. Vis eſt inde indita Sedi
Nazareæ, vel ab inuitis quæ viſa tributum
Exigit ex oculis. populorum ſaxa querelis
Iucundis colliſa ſonant. De nube ſerenâ
Exaudit lamenta Petrus: dolet ipſe dolentum
Queſtibus; & toto licet exulet Æthere luctus,
Lacryma & areſcat diuini Lumine vultus,
In terris lacrymatur adhuc. quas ſeuit in aruis
Virginis, in meſſem lacrymas concreſcere gaudet.

Petrus in S. Domo aliorũ lacrymis e cęlo lacrymatur

Vt Petrus indomitos ſaturauit fletibus æſtus,
Diſceſſere Patres: ſed non diſceſſit Idume
Ætheris irati Vindicta; manetque repoſtum
Altâ mente nefas; & CHRISTI funus acerbum
Viuit, & hæret adhuc animis, poſcitque ruinam.
Vertere cuncta ſolo meditatur, ſaxaque ſaxis
Excutere impoſitis; ſecumque hæc anxia iactat.

Apoſtoli diſcedunt è Palæſtina. Remanet Vindicta. memor occiſi Dei Regni ruinam meditatur. Huius tacitæ ſecum voces.

Scilicet irarum calcar fomeſque doloris,
Mors animo diuina cadis? trabe Numen ab altâ
Artubus heu laceris & plenis ſanguine riuis
Occiderit; ſacrumque latus perruperit ictu
Lancea, relliquias roſei ſcrutata cruoris!
Mœſta Parens ſteterit Nato præfixa dolenti,
Illius ora videns atro ſudantia tabo;
Atque ibit parto gens hæc inimica triumpho,
Agminibus comitata Erebi, ſpolijſque potita?
Haud equidem; noſtri menſura furoris abundat,
Atque fluit. Tua magna diù præſentia vires,
Virgo, meas fregit. Solymæis hoſpita Regnis
Tardabas ignita oculis lacrymantibus arma;
Et mea, victa tuis Pietatis ab ignibus, ira
Languida torpebat. nunc preſſa reſurgit in ignes,
Dum ſolio vicina DEI, Solimâque relictâ,

B. Virg. præſentia dum viueret Dei vindictam retardabat.

Me

Me mihi reddis anhelantem matura Sioni
Prælia moliri, & ſceleratam excindere gentem.
Indignum eſt Solymæ turres circumdare flammis,
Hoſtibus imperium; canibus dare Templa Latinis?
Quid ferro violare DEVM, atque abducere muris;
Quid patrio prohibere ſolo, vitâque! nefandum eſt?
Quid memorem inuidiæ nubes, vnde horrida grando
Detonuit lapidum, Stephani caput, atque coronam
Relligionis vt excuteret, lapidaret Olympum,
Nazareamq; Domum conuelleret; aſtraque, Numen
Pelleret ex aſtris, dum fert ſuper aſtra triumphum!
Saxa calent Stephani cerebro quæ infecta, reuoluunt
Te, Solyma, è fundo, Syriæ caput. impete præceps
Auſonio amittes miſerando in vulnere mentem.
Cede DEO nunc infelix, & cæde parenta.
Hæc poſcit ſibi iuſta, ſedet dum nubibus, oſtro
Sanguinis, & viuo ſpecioſus corpore: pœnas
Hauriet ille tuas oculis ſpectator ab alto.
Hæc ſecum. tum ſigna canit, ſeque inſerit vltrò
Cordibus Auſonidum, bellique fatigat amore.

Dei Vindicta Romanos ad bellum accendit.

Vt rabie tumuere animi, & ferale canenti
Aſſenſere omnes, bellum cum gente mouetur
Obſidione, manu, telis, & corpore; donec
Procubuit ſibi Romulidum terra impia bellis.

Titus diuinæ Vindictæ miles bellum aggreditur.

Tu, Tite diuinæ lictor, diruſque ſatelles
Iuſtitiæ fueras; Diuûm tibi fulmina Rector,
Flagraque ſuggeſſit, quò ſæpiùs icta, periret
Denique tota. Tuis præibat pallida ſignis
Omnipotens Ducis Ira DEI: tu ſigna ſecutus,
Egregie miles eras. Deiecto cardine, portas,
Mœniaque infringi, quaſſari tecta tumultu,
Æthere turbatas facilè ſubſidere turres,

Diſſul-

Diſſultare ſuis in cælum marmora centris,
Peruolitare faces, maculari ſanguine ciues,
Templaque ſemuſtis vaſtari fumida ſaxis,
Sed non arte tuâ, non Martis lege Latini
Miratus, lacrymas inimico in ſanguine miſces;
Quaſque vides,& amas,cædes, mitiſſime,damnas.
Non ſecus in pluuias eadem atq; in fulmina nubes
Soluitur,& terras dum vulnerat, irrigat, iram
Ipſe tuam neſcis, miſeræ dum iraſceris Vrbi,
Non irâ ſtimulante tuâ. Ruit illa, domoſque
Templa, Sacerdotes, altaria, mœnia, turres,
Regum ædes, & opes, fortunam, robora,ciues,
Ætheris auxilium, libertatemque, ſalutemque,
Omniaque in cineres ſecum trahit. Ira Tonantis
Sed micat in morem fugitiui fulguris: vmbras
Seminat, atque neces. ſed longa fugacibus vmbris
Succedit renouata dies, Solemque reducit.
Diuini Pietas hera pectoris, Ira ſed hoſpes:
Cor regit illa; flagrumque Iræ, virgamque Furoris
Vertit in Imperij ſceptrum. Poſt eruta fundo
Regna,Tonantis Amor cinere è fumante reuixit,
Incaluitque,Palæſtinis quod fuderat aruis,
Nectare venarum dulci; longa ebrius ira
Poſtquam cum Solyma Solymos euerterat omnes.
Chriſtiadas hic igne vocat,procul inde fugatis
Iſacidis: loquitur flammis namque ignis Amoris.
His illi acciti properant, deſertaque adorant
Pignora, & hoc portu,dum fluctuat Orbis,inhærent.

Diuinus Amor Iræ ſuccedit, & Hieroſolymæ ruinas miſeratus ad eorum locorũ cultũ vndiq; Chriſtianos euocat, quæ ſuis Chriſtus veſtigijs ea in Vrbe ſacrarat

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Euerſa per Titum Hieroſolyma, placatur iterum DEVS. *Clam vocat in Palæſtinam è toto Orbe ſacros viros ſacrorum locorum ad cultum. Hos inter Cataldus miraculis iter illuſtrat: deinde Nicolaus, qui etiam Natalem Deiparæ diem videt ab Angelis ſacra in cellula celebrari. Pace reddita per Conſtantinum, itant ſancti viri ad ſacra loca ſecuriùs. Helena Nazarenam Domum illuſtri picturis Templo circumdat. Iterum pax turbatur. Perſæ, Arabes, Turcæ Palæſtinam ſceleribus, & armis inundant.*

S Cataldus Ibernus iter habet ad ſacra loca ſub pauperis habitu peregrini anno à partu Virginis circiter 170 ex catalogo Sanctorum.

QVò Catalde pedes? populi lamenta ſequuntur;
Dum fugis arcanas Solymæ fugientis ad aras.
Deſerit infelix monumenta ſalutis Idume,
Theſaurumque, ſinu quem ſeruat, corde relinquit:
Tu ſequeris, gregis oblitus, patriæque gementis,
Exul, & ignotus, ſed non ignotus Olympo,
Cui te diuino virtutum lumine prodis.
Traianus Romam, Româ ſed grandior Æthram
Syrus Anicetus, Romanaque corda regebat.
Vno iactatur dum Petri cymbula Rege;
Arte ſed alterius frangit non fracta procellas,
Ille lacerna oſtrum velans, mitramque cucullo,
Innumera in cunctis miracula ſeminat aruis,
Quà cœno guttatus iter pedes vrget, in orbes
Dignus ſidereos cum Sole agitare quadrigas,
Heroumque viam greſſu calcare niualem.

Tra-

Tramite diſperſus, vaſtis dum ſentibus errat,
Incertuſque viæ, ſyluas inuadit opacas,
Forma viri occurrit,vocis cui munus ademptum.
At digito dum monſtrat iter, nutuque profatur,
Protinus exoluit poſt longa ſilentia voces.

Reddit in via muto loquelã.

Alter adeſt, oculis cui lux effoſſa cauatis
Fuderat æternas vmbras: præſentia vultus
Sed Catalde tui ſua ſidera reddidit ori,
Reſtituitque diem, mediâ qui nocte latebat.
Dum rate marmor arat, ſterili dum noxia ſulco
Tempeſtas oritur, ventis ſata, adulta procellis,
Horruit ad ſonitum vocis ſeges vda, iubentis
Æquari Pelagum, ventorum flabra ſilere.

Tempeſtatem in mari ſedat

Marmoris inſani fluctus qui voce ligauit
Effrenes ventis; ceu fluctus marmora ſoluit,
Et duram tenero molliuit corpore cautem.
Scilicet ex vtero dum prodit, labitur infans,
Labentemque, ſinu lapis excipit: ille rigorem
Cereus abiecit, puerique niualia membra
Protinus expreſſit,iaculis cælatus amoris,
Et face perdomitus. De marmore proſilit infans,
Et matris ſalit ad mammas: ſed funere mater
Obruta difficili partu, pro lacte dolorem
Impreſſit pueri labris. Cataldulus vber
Implet lacrymulis; premit oſcula; preſſat,& ore
Rorifero matrem lactat. tunc illa reuixit;
Quam dedit & puero, vitam rediuiua recepit.

Dũ naſcitur, ex vtero lapſus in lapidẽ, ſuam illi formã imprimit molli velut in cera, & inde adrepens defunctæ iam matris ad vbera, dum lac ſugit, vitam illi reſtituit. Ex eius vita.

Ergo vbi prodigijs Solymæ Cataldus ad oras
Inſolitum patefecit iter, Dominique Sepulchrum
Ornauit lacrymis, cunabula Virginis intrat,
Nazareis impoſta iugis; dulcique pauore
Territus exarſit votis: mox vota preceſque

Sacra loca in uiſit.

Libe-

Liberat, & lacrymas ex aggere cordis in ora
Præcipites. Virgo, exclamat, poſtrema cadentis
Fulcimenta Palæſtinæ, dum terra tumultu

Nazarena in Domo B. Virgini Eccleſiã commendat à Tyrannis, Ethnicis, & hæreticis diuexatam.

Tota Tyrannorum nutat, Fideique carina
Dum gemit, & ſcopulis victrix inſultat & vndis.
Siccine Idumæis agitas nunc otia campis,
Et deteſtatâ tentoria figis arenâ!
Regibus impuris ſeruit Roma: ira Neronis
Vrbi ſubiecit flammas. ruit illa: furorem
E cinere parit irato. Picis oblita nube

Martyres in vſum nocturni luminis exuſti.

Corpora Chriſtiadum, miſeræ ludibria noctis
Fulmineas hoſti flammas, ſed fulgura Solis
In Fidei peperere decus. pyra, tæda, rogusque
Ipſa ſibi, multis circum pendentia truncis,
Impleuere vias fumo, ſed lumine cælum,
Et Lunam & ſtellas face ſuppleuere ſerenâ.
Bella calent rurſus. Domitij regnantis Enyo
Rurſus agit tædas pro ſceptro. In ahena Ioannes

Exijt ſermo quia non moritur.

Proijcitur: magis ille ardet. Sunt balnea lampas.
Vita & lux oleo non extinguenda fouetur.
Quin etiam Domiti cognato ſanguine mucro
Regius imbuitur. Te, Flaui, & Flauia, letho

Traianus mitis primùm, deinde ferox.

Immolat immerito. Gemino dein mitia luſtro
Aſperat exacto Traianus pectora. Ferro
Victorine cadis. Lapidatur Oneſimus: imbrem
Sanguinis immiſcet ſaxis, ceu grando ſalubri
Mixta furit pluuiæ. Crucis arbore pendet, & annos

Senex centenarius cruci affixus à Traiano.

Innouat æternos Simeon; viridiſque ſenectus,
Secula qua vincit, poma immortalia fundit.
Amphitheatra imples virtutibus, ipſe theatrum
Numinis, Ignati: ſtimulas athleta leones,
Dentibus & moleris: ſuperas ardore leones,

Denti-

Dentibus & laceras ſcelerũ fera monſtra. Tyrannus
Subditur ipſe tibi, leo perfidus;atque rebellem
Ceruicem inuitus ponit. Cum Regibus arma
Hæreſis Auſonijs bellorum fœdere iungit.
Aëris hinc Simeon metator, venditor auræ
Numinis æternæ,vanâ quia proditus aurâ;
Ebio, Nicoleos, Hymenæus, fœdaque ſacrans
Mille voluptati Cerinthus ſecula, dignus
Omnia perpetuis percurrere ſecula pœnis,
Ignibus æternis merſus; ſparſere venena
Carnificum peiora rotis. In prælia Mundum
An non armabis, Mundi armatúra, Virago!
Defero Chriſtiadum latè tibi vota vagantum
In cryptis, ſyluis, & ſyrtibus. Excipe in vno
Omnia corda ſinu; ſimul hac ex Arce duellis
Da robur palmaſque tuis, inimicaque caſtra
Funde procul. Rubri Pelagi de littore virgo,
Nominis vmbra tui, ſic effundebat in æquor
Niliacas acies, modulans epinicia cantu.

Simeon Magus ab aëre D. Petri precibus deturbatus
Cerinthus poſt reditũ ad vitã mille annos in Veneris voluptatibus exigendos aſſerebat. Ex D. Auguſt l.1.

Cum gemitu dum Pacis agris ferit ille querelas,
Irrorata ſuis lacrymis noua gaudia naſci
Proſpicit. Ecce nouum niueâ iubar emicat arâ.
Spes rutilâ de nube oculos atque ora recludit,
Diua potens triſtes animis auertere luctus,
Et mentis renouare diem. Micat ignis in ore;
Irrequieta ſalit regali vertice flamma,
Quæ deſiderijs alitur, creſcitque per auras
Ardua, & oppoſitas perrumpit lumine nubes.
Cæſaries non fronte natat collecta, ſed aurum
Complicat in nodum crinale: ardentia flagrant
Lumina, quæ cæli charites obtutibus afflant,
Et Solis tolerant inconniuentia fulgur.

Maria ſoror Aronis canit ſupra merſos Aegyptios.

Spes in Nazarena Domo Cataldo apparet.
Eius habitus & ſignata in habitu proprietates.
Spes fertur in ardua.

Eminus illa oculos contorquet, & alta tuetur,
Anchora queis cordis figatur . germina florum,
Pomorum ſpes, in ſertum nectuntur, & vmbrant
Tempora : vicinos frontis flos mitigat ignes ;
Non tamen areſcit , viret at roratus ab igne .
Flos viridem vario chlamydem ſubtegmine pingit ,
Atque ornat : violæ, thymbræ, roſa pronuba Veris,
Dulce rubens hyacinthus, acu transfixus acanthus
Innumeros vnâ miſcent in veſte colores .
Symbola dextra ſpei fert lilia : gaudia vultus

Spes in difficilia luctatur & auxilia præſtolatur è cælo .

Sed dubio ſplendore gerit : micat; hæret eodem
Fixus in obtutu: mox ſeſe attollit , & vrget,
Quærit & aſtra oculis , riſuque & voce ſalutat .
Speramus, Catalde: animum ne pone; procellis

Spei ad Cataldum oratio

Et ventis ludus, dum Petri cymbula nutat .
Aſtra fauent: Neruas, Traianos, atque Nerones,
Cætera monſtra Erebo, Superûmque litabimus iræ .
Denique poſt multis ſata cautibus æquora, portum
Inueniet Romana ratis, cæloque fruetur ,
Nubibus excuſſis . Vaticano anchora monti ,
Quam gero, perpetuò fundabitur : inde per Orbem
Romanis aquilis Pietas deuecta volabit .
Nazareâ tunc Æde ſedens, ſe libera credet

Sperari iubet pacem ſub Conſtantino M.

Pax cælo . Conſtantinus , ſpes publica Mundi ,
Atque oculi pupilla mei , vada cæca ſecantem
Firmabit ſceptro nauim, Pacemque rogabit
Vt clauum teneat ; dum monſtra natantia telis
Confodiet, Crucis è pharetra quæ ſuggeret Æther .

Prædicit à D. Helena B. Virgini in Palæſtina templa dicanda .

Non ingrata Lares Pacis tunc regia mater
Luſtrabit Superis Helene comitantibus: aras ,
Et delubra tibi, Superûm Regina, locabit .
Hæc ait , & nebulâ voces , & lumina preſſit .

Secula

Secula poſt aliquot profugum te Myra requiret,
Nicoleos: cælum votis, vlulatibus auras
Implebit; pelago & ventis dum plena ſecundis
Vela dabis, Solymamque petes. Sed protinus æquor,
Cauſa latet, tumet in furias. an imbribus atris,
Et ſuſpirantis populi clamoribus auctum,
Terribiles ab amore minas concepit & iras,
Rurſus & ad patrias Paſtorem pellit arenas?
Non reuocat ſed Paſtor iter. Mare, ventus inhorret;
Æſtus agit fluctus; in littora torquet, & altè
Erigit, atque premit; confundit, & implicat; imber
Conſpirans in bella ruit; cælumque fretumque
Fluctibus, & pluuijs coëunt, ſtridore, tumultu.
Intremit in medio certamine puppis, & errat,
Sæpiùs icta vadis, Auſtrorumque ariete pulſa.
Subſidit, dum pontus hiat; rurſuſque ſepulta
Surgit, vt ex alto grauiori Tartara pulſu
Verberet & feriat, ferientes vlta procellas.
Ecce autem, bacchante Noto, dum vela gubernat
Dilacerata puer, maloque incumbit, in imam
Turbine deijcitur per carbaſa fracta carinam.
Præcipitem duræ rapuit violentia mortis,
Dum vomit immiſtum ſpumâ nigrante cruorem.
Vt puerum vidit crudeli funere merſum
Nicoleos, feriuntque animum lamenta parentis,
Alligat amplexu, fouet ore, & vincula mortis
Illico diſſoluit. Sic Titan lumine flores,
Quos noctis necat vmbra, animat. Poſt fata puelli
Merſa vndis, ipſas animatas flatibus vndas
Sternit, & exanimat, mortiſque ſilentia mandat
Attonito ſeruare mari. Stat puppe Sacerdos
In mediâ, clamatque: ſile: mare, mortis arena,

S. Nicolaus Myrẽſis epiſ. ad ſacra Palæſtinę loca peregrinatur, ibique cogitat vitã degere. ex vita.

Tempeſtas oboritur.

Puerum è malo delapſum & extinctum in vitam reuocat.

Tempeſtatem obortam ſedat

Vorticibus ceſſa confligere: redde, quod aufers,
Tempeſtas furiata iubar, pelaguſque refuſum
Se capiat: det colla rati, dum tendit Idumem
Pacis ad amplexus, quæ magnæ Virginis Æde
Dum regnat, terram vocat ad commercia cæli.
Tunc indignatum preſſis obmutuit vndis
Cum ventis mare frenatis. iam Cærula, pinus
Libera ventorum pelagique tyrannide, verrit.
Nicoleos in puppe ſedens, Æthramque remenſus
Luminibus tacitis, ſociorum pectora ducit
Dulce per augurium. Socij, dum ridet Olympus;
Dum ludens ſalit vnda maris, monteſque liquentes
Deprimit in campos, etiam vos ponite curas.
Vt noſtræ ceſſere rati diſcordia ponti
Prælia, ſic Regum tua cymbula, Petre, furore,
Atque Orci furijs, ſexcentis naufraga luſtris,
In ſceptro Conſtantini religata quieſcet,
Et portu patrocinij ſe condet. In oſtro
Romanæ chlamydis rutilabunt vela: rudentes
Vinculaque in torques, remiq; in ſceptra migrabunt:
Exedræ erunt Sophiæ, ſuggeſtaque tranſtra docentũ;
Ampla carina Orbis. Nunc pergite; frangite remis
Marmora; Idumæas donec cita palmula cautes
Stringat, & optatam tandem penetremus in Vrbem.
Hęc dicente, auris ſtimulata fauentibus ibat,
Immenſum mare conficiens, proiecta per æquor
Roſtraque flectebat quæſitas nauis ad oras.
Apparent Solymæ turres. ad littora curſu
Proxima contendit: portum occupat ore Sacerdos,
Oſculaque infigit: loca ſanguine luſtrat opima
Numinis exhauſti. Caluaria nuda virore
Protinus ecce viret; rigidis veſtigia ſaxis

Ex orta ſerenitate felix deducit augurium.

S. Nicolai oratio ad ſocios.

Prædicit ex augurio pacati maris Conſtantini magni pacatum imperium poſt tercentum annorum in Eccleſia tempeſtates.

Tactus Nicolai pedibus Caluariæ mons à ſuis viſcerib⁹ eruẽdæ Crucis in ſpem vicinam lætus effloruit

Dum

Dum ponit. Tunc ille. Meæ, mons, ara ſalutis,
Lætitiæ quid fronte notas depingis? an imo
Gaudia noſtra ſinu complecteris? auguror: arbor
Viſceribus cælata tuis, præmittit in auras
Symbola lætitiæ, flores. Age; ſurge beatis
Crux pomis pretioſa: furor te condidit vmbris,
Inuidiæ germanus; Amor te reddet Olympo,
Et Regum capiti figet, quæ fixa fouebas
Regis membra DEI. te toto conferet Orbe
Regali Regina manu. Iam littore ſoluit;
Vulneraque expectant tua ſaxa; oriatur vt arbor
Inde ſalutaris, cui per pretioſa Tonantis
Vulnera nobilitas, & Veris gratia fulſit.

Hunc ſalutat S. Nicolaus.

At tu cui fœdo roſa vulnere floruit, & nunc
Arua tenes aliena, Venus, diſcede; cicutas
Quæ ſeris in ſpeciem fiorum. tibi ſubijcit agros
Styx fœcunda malis: Crucis ad pomaria linque
Nunc montana: DEVS nobis hic otia fecit.
Mallee quid ceſſas? Helenam quæ regna morantur?
In Venere Pudor hanc Helenā, Pudor armat in hoſtē.
Hæc ſcalpros per membra Deæ, perque ora docebit
Artificum reſonare manu, ſimulacra ruentum.
His dictis Cypriam feriens, in Templa Pudoris,
Virginis in Sedem properat; quæ, gloria collis
Nazarei; terras deſpectat, & amne bonorum
Alluit in morem fluuij, qui gurgite prono
Montibus immiſſus, tremulo gemit imbre caducus.

Sepultæ in Caluaria Cruci ſtatua Veneris fuerat impoſita.

Natalem tunc forte diem Matuta vehebat
Virginis. Aligerûm, Diuûmque exercitus omnis,
Nubibus abruptis, MARIÆ ſuper extitit aram.
Inſtruit hos Michaël: partemque addenſat in arcum:
Hos ſinuat, lunatque alios in cornua binis

S. Nicolaus ab Angelis, & Sanctis viris natalitiū Deiparæ diem videt eius in Domo celebrari.

Digitized by Google

Frontibus; anguſtè cogit : nunc ſpargit in æquor ;
Explicat ; & rurſus cuneato marte coërcet ;
Differit, & findit : nunc protinus implicat agmen :
Verticibus pinnæ volitant : decor ora ſerenat ,
Aſperat atque idem ; dum belli ſpirat amores
Clementer ferus, & mitis . dant ſcuta fragorem ,
Et flictu reſonant galeæ , fulgore comantes .
Iamque aderat Virgo roſeis inuecta quadrigis ,
Aſtra minora tegens immenſo lumine. Cuſtos
Tunc Laris auguſti Michaël ſic agmina Diuûm
Alloquitur . Superi, lux alma recurrit, Olympo
Et tertis dilecta, diem qua noſtra reduxit,
Atque hauſit Regina oriens: cumulare tributis
Nos decet Auguſtæ Cunas . vade Aliger Ædis
Aulicus; ex adytis Diuæ Cunabula defer ,
Theſauros inter ſuperos quæ Gloria ſeruat ,
Et mouet ad cæli motus, gemmiſque coronat,
Æterniſque roſis . Ventis volat ocyor Ales,
Et vehit, & mediâ Cunas imponit in ara .
Pontifices primi duodenas pectore gemmas,
Verbaque depromunt : Calathi ſaluete Pudoris
O Cunæ, quas dulcis Amor motabat alumnus,
Præcentor, gerulus, ſomnus, luduſque puellæ .
Symbola ſunt gemmæ populorum . Virgo Sacerdos
Bis ſex corde Tribus pretioſis nexibus arcet ;
Offerat vt Regi Superûm. Tres fronte coronas
Ponimus ante aras , triplex tibi Virgo tributum,
Quæ Regnum Regina triplex moderaris . Athletæ
Belligeræ Fidei fundunt ſua dona, pyropos
Sanguine inardentes multo, atq; hæc inſuper addunt.
Noſtra tibi conſlant muliebrem vulnera mũdum ,
Martyribus maior pœnarum, Pupula, votis ,

Michaël iubet ſeruatas in Aerarijs cæli Deiparæ cunas afferri in medium, et in ara Nazarena collocari : Quia mos fuit olim celebrare muneribus natalem Principum diẽ; ante cunas Virginis tributa Sanctorũ ſuis quæque apta ordinibus congeruntur.

Antiqui Sacerdotis Rationale duodecim gemmis diſtinctum, tribus duodecim ſignificantib⁹.

Martyrum tributa.

Et

Et lacrymæ cenſu, non ſanguinis. Omnia corde
Condebas tormenta tuo, Dux maxima noſtri
Agminis, atque agmen. Nunc excipe dona cruoris,
Qui Ducis in Cunas pretioſo vulnere gemmat.
Talibus ornari poſcit tuá faſcia gemmis.
Parthenius quoq; dona chorus, Dominæq;tributū
Margarita ferunt; niuei argumenta Pudoris;
Et ſuper hæc. Cunæ, Candoris concha niualis,
Sumite diuitias, quas parturit vnda cruoris.
Morte Pudicitiam defendimus. æquor honorum
Sanguis erat, quem Virginitas generoſa profudit.

Dona Virginum ſimul & Martyr.

At dum gemmatis fulgent altaria nimbis,
Aligerûm reſonant cantus & carmina. Virgo,
CHRISTI Virgo Parens, & gloria Virgo pudici
Prima chori, Charitis genitrix cæleſtis; Amoris
Pulchri mater, Amor Superûm, puriſſima, clemens;
Inuiolata, expers maculæ, admiranda, ferenda
Omnibus in cunctas terrarum laudibus oras,
Cuius mente ſedet Prudentia, Gratia corde,
Lumine Amabilitas, veneranda Modeſtiá vultu,
Et Regina graui Sapientia pectore regnat;
Virgo potens, ſpeculum Aſtrææ, Fideique tribunal,
Publica lætitiæ late ſtagnantis origo,
Lucis vas, & honoris, vbi dulcedinis imber,
Et Pietate liquante latex ferueſcit, & vndat;
Siderei campi roſá myſtica, eburnea turris,
Fœderis arca, opibus diuini opulenta cruoris,
Quas in Iuſtitiæ cumulauit Gratia cenſum;
Aurea luce domus, Dauidica Turris, in hoſtes
Millibus exardens clypeis, quibus ardet in arma
Lux Amor, atque ignis, ſcutum, & lorica ſalutis;
Cæli veſtibulum, lux matutina, flagellat

Vnde Litaniarum origo quę ſingula per Sabbata in Lauretana Domo decantantur.

Quæ Regem vmbrarum, morborumque agmen eoo
Lumine profligat, populi peccantis aſylum,
Chriſtiadum auxilium, ſolamen Virgo dolentum ;
Aligerûm, Patrum, Vatum, Fideique parentum
Antiquæ Regina nouæque; Virago, cruentas
Quæ regis alta acies pro Relligione cadentum,
Voceque bellantum & calamo, formâque decorâ,
Inuictâ lenocinijs & mortibus; omnes
Quæ Diuos Auguſtâ ſuper, ſolioque propinqua
Sola Dei, ſceptrum diuina Puerpera geſtas,
Omnia complectens, quæ Gratia ſparſit in omnes.
Hi ſuperûm cantus. hinc Virginis extitit Æde
Forma precum, quoties reuocat lux ſeptima noctem.
Poſtquam Nicoleos Diuûm ſpectacula vidit,
Atque rigauit humum lacrymis; oblitus, & vrbis,
S. Nicolai cōſilium prope S. Domum vitam agere deſignantis diuina voce diſturbatur. ex v.
Et populi, nemus ingreditur, viciuaque ſaxis
Arboribuſque ſuper multis pendentibus antra;
Atque ait: ò rupes dilectæ, ò ſaxa tenebris
Horrida iucundis, veſtro fila vltimà vitæ
In gremio ducenda manent: hìc proximus aſtris,
Virgineis Laribus quia proximus, Æthera mente,
Corde Devm attingam. curæ procul; otia quæro.
Reddita tunc vox è ſaxis. non otia quærit
Hac in Sede Devs, qui Matris lapſus in aluum,
Ingens curarum ſeſe proiecit in æquor.
Ergo redi, tecumque refer ſub corde Penates
Virginis, atque Dei. Vicit ſua vota Sacerdos,
Et ventis ſubitò ducentibus, ire per altum
Approperat, Myræque iterum conſidere terrâ.
Nazareâ ſic Sede diù Pax abdita Solem
Non alium quàm ſe vidit; nec fidit aperto
Se cælo; ſed Chriſtiadas tacito igne vocabat

Ad

Ad Solymas vrbes; donec, labentibus annis,
Conſtantinus apex Regum, cæleſtibus Orbem
Poſt domitum auſpicijs, ſoluit formidine Mundum;
Atque pererrauit quà nominis vmbra Latini,
Et Crucis, & Fidei iubar immortale recluſit.
Tunc Helena Auguſti genitrix, & Maxima, Natum
Dum peperit Magnum, magnos, quos concipit, auſus
Parturit, & ſenium cæleſti robore vincit;
Sacra Palæſtinis vt Christi pignora Regnis
Magnanimis curis, & odoro quærat amore.
Miratur florere artus Matrona; virere
Menti conſilium, atque hebetes iuueneſcere vires:
Sic nouat ætatem volucrum Regina, nouatis
Et roſtro & membris; & regnatricibus alis.
  Romanam videre Helenam rediuiua Sionis
Pergama, in Inuidiæ portantem prælia muros,
Intrantem caueas, in viſcera montis euntem
Lethiferi, iactare faces; & prodere fraudes,
Et Conſtantino fatalia ſigna parare;
Quæ Styx, & ſtygij rabies prædonis adorat.
Ille manu ſceptrum ponit, Româque vidente,
In terræ fibras raſtro deſcendit adunco:
Mox humero glebas tollit, quo ſuſtinet Orbem;
Templa locans. Helene atrati penetralia montis,
Crux vbi delituit, fodit; & ſub mole ſepultum
In lucem extrahitur lignum fatale, futurum
Vnica maieſtas Templorum, & gloria Romæ.
Ille Iouem, Veneremq; terit; populumq; Deorum,
Aſſertor Fidei, Romæ deturbat ab aris.
Illa Deæ Cypri fratris talaria nectit,
Fœda dealbatis vt Christi ſanguine campis
Corripiat malè ſana fugam. ſic laude laborum

Helena Conſtantini Magni mater in Palæſtinam prouectiori ætate cõtendit. Quærit in Caluaria Crucem. Helena cum Conſtantino componitur. Ille locat D. Petri fundamenta: Hæc aperit Caluariæ montem vbi reperit Chriſti Crucẽ. Ille Deorum ſtatuas frãgit: Hæc Venerem Mercurij ſororem adoratã in Caluaria diruit, & ſupra triginta Templa Deo & Virgini cõdit in Palæſtina. Ex Nicephoro l. 8. c. 30

Cum Nato Genitrix certat : mouet eminus arma ;
Sed Pietatis. honor Fidei concurrere vtrumque
In pia bella iubet. Iuditham rurſus Idume,
Templaque fundantem Salomonem, regnaque Pacis
Roma videt. Clauos reperit Regina Tonantis,
Fitque Iahel: odium figit, Ditemque minacem,
Vt Siſaram. Clauos Nato tranſmittit habendos
Pro Mundi ſceptro, pro verticis ornamento.
Ille coronatus Clauo, galeatus & idem
Belligeras acuit vires, & Tartara pungit,
Et cælo caput immiſcet, gentemque rebellem
Fulminat. Hoc Clauo fixa eſt Fortuna Quiritum ;
Fixit & Imperium cum Magno Principe Roma.
Ardor opum inuentis opibus ceu creſcit ; opimis
Effoſſis ita theſauris Regina ſalutis,
Veſtigare nouo venatrix feruida curſu
Ætheris ardet opes : pedibus ſpes inſerit alas,
Atque iuuentutem ſenio. Iuga florida montis
Nazarei ſuperat, paruoſque ingreſſa Penates
Numinis immenſi, ſacrâ formidine mentem
Infuſcata, pauet primùm ; mox corruit : inde
Attonitos reuocans ad vitæ munera ſenſus,
Nixa genu, diadema comis excuſſit & aurum,
Quod collo multis nodatur tortile gemmis ;
Nudaque diuitijs, votiſque opulenta profatur.
Conſtantine, mouere acies in prælia ceſſa ;
Vt Romæ in dextram dominantis concidat Orbis.
Quid laxare nouis regni confinia regnis,
Iuſque æquare iuuat ſtellis, ſi Mundus, & Æther
Latiùs, hac paruâ, quam cerno, ſtringitur Æde ?
Tu preme cæſariem galeâ ; quate mœnia bello,
Nate, teraſque annos, & vitæ robora ferro :

Tym-

Miſit illa etiã ad Conſtantinum ex ſacris clauis quoſdã, quos tum ad monumentum repererat. Niceph l. 8. c. 29. Clauorum altero ſibi fertur galeã inſtruxiſſe. Idẽ.

Inde Orientẽ verſus deſcendẽs Nazareth peruenit, & ſalutationis Angelicę domo reperta, Dei Genitrici peramœnum excitauit Tẽplum. Niceph. l. 8. c. 30.

Helena orat in S Domo & filium B. Virgini cõmendat

Tympana te, me Virgo tenet, Mundumque ſub vna
Imperiumque caſâ; Romamque, & ſidera donat.
At tu Virgo meum, pro te dum prælia miſcet,
Auſpicijs defende tuis, & Numine natum.
Digna, indigna parant hoſtes: tege Diua ſequentem
Nati ſigna tui, atque inſtantibus eripe fatis.
Talibus oranti Crux muro fixa coruſcas
Viſa faces iactare, Lareſque fragore ſecundo
Lubrica tranquillo ſimulare tonitrua cælo.
Tunc Helene Crucis augurium venerata, laborem
Læta nouum aggreditur, paruiſq; Penatibus ingens
Impendere iubet Templum, quod ſaxa coronet
Culta Deo, radiata oculis, gemmata Pudore.
Inſtant artifices: vrget præſentia matris
Reginæ, Pietaſque iuuat. Iam ſtrata viarum
Marmoribus ſtrident; & montis deſuper æquor
Hæc vectata rotis, lapſuque voluta rudentum,
Aſcendunt: ducto concluditur area ſulco:
Egeſtâ fundatur humo: mox æthere nubes
Templum immane ferit: ſtant atria nixa columnis:
Conſumunt aræ lapides, & cautibus albent
Mœnia diſſectis: argento nectitur aurum,
Saxaque collucent, venâ variante colores.
Quà ſpatijs ſeſe obliquat teſtudo recuruis,
Virgineam tegit alta Domum: ſic circulus auri
Arcet maiori rutilantem lumine gemmam.
Plurima ſed Templi muros animabat imago,
Pictoris generata manu. Stant ordine circum
Matris virgineæ miracula: Parua colubrum
Calcat auernalem; primâque ab origine labem,
Et ſpumam eliſam cogit deſcendere rurſus
In cæcas rictus latebras; rurſuſque venenum

Ad Helenæ preces in S. Domo fixa crux tonat & fulgurat.

B. Helena Deiparæ vitã in nouo Templo depingit. Immaculata Conceptio.

Heu

Heu malè concoctum ſorbere. Illa vndique ſepta,
Natiuitas.
Luminis immenſi vallo, ſe lucis in oras
Infert terribilis, ſpolijſque potita triumphi.
B. Virginis in Templum oblatio.
Trimula, Tẽpla ſubit, Templũ ipſa Tonantis, & ara.
Ducit ibi pretioſa manu dum fila, ruborem
Virginis illa bibunt malis, quæ purpurat oſtro;
Dum Superûm flammas operoſo pectore potat.
Vrget opus manus Aligerûm, dum dædala Virgo,
Artifices ſuſpenſa manus, meliora laborat
Stamina virtutum, Pietas quæ interſerit auro:
Hinc digreſſa, diuque pijs exercita flammis,
Illibatum cũ D. Ioſepho cõiugium.
Pura maritali pro ſerto lilia Virgo
Implicat, atque comis coniux imponit honorem.
Illam Virginitas Ioſepho iungit, vtrumque
Componens votis, & corde, & virgine partu.
Dei in Virgine corporati myſterium.
Ipſa videbatur, nullo exæquanda colore,
Cæleſtes demiſſa oculos, propiore Virago
Mox afflanda Deo, pronis quam penniger alis
Caſtigans nodo chlamydem, veneratus adorat.
Ad laudes rubet illa ſuas, ceu Solis ad ignes
Ardet amor roſa camporum. Fit Mater, & omne
Depluit in gremium diuini luminis æquor.
Virginis ad Eliſabetham profectio.
Hinc ad Iudęæ montana virentia greſſus
Explicat, & tacito meditans cæleſtia vultu;
Dulce leuamentum geſtans pondusque, ſalutat
Cognatam Eliſaben, quæ non ignara futuri,
Cum puero geſtit naſcentem cernere Solem.
Tu quoque Bethleæ rupes veneranda cauerna
Pueri IESV Natiuitas.
Pingeris. Informi maieſtas eminet antro
Numinis exorti: calet inde Puerpera, mulcet
Quam teneris Pupus lacrymis, vultuque ſereno.
Candidulis Superi innodant Præſepe liguſtris,
Et

Digitized by Google

Et ſeſe parili tollunt per inane volatu.
Lacteus hinc Infans primum dat ſanguinis imbrem;
Vulnus amat, placideq; genuit, dum pendet ab vlnis *Circumciſio.*
Saucius, atque ſuo Genitricem vulnerat ictu.
Abditus hic Matris complexibus, exul, & omnem *Fugit in Aegyptum.*
Se præſente locum complens, regnata Tyrannis,
Hoſpitium Iſacidum antiquum, petit arua Canopi.
Aligero monitus pollutâ excedere terrâ,
Ad patrios redit inde lares. Terra vda cruore
Feruet adhuc puerûm, Solymi quos ira Neronis
Purpureas dedit eſſe roſas, dum ſanguine pingit,
Nazareoque viam Puero, licet inſcius, ornat.
Dum terit ille roſas, ſcelus indignatus, acerbat
Sæuus in Herodem vultum, cui palluit oſtrum,
Cuius opes fractæ, Regnum & Fortuna receſſit.
Neſcia quò vertat curſus, volat incita curis
Infelix Genitrix: amiſſum ſedula Natum *B. Virgo filiũ amittens & mox in Tẽplo reperiens.*
Paſſibus indagat dubijs, ſtupidoque dolore
Hæret, & excurrit; Natum & ſe quærit in illo
Errantem deſiderijs. Dum Templa reuiſit,
Continuò fugitiua oculis lux proditur ægris,
Diſcernitque diem Genitrix, portumque capeſſit,
Heu lacrymis iactata diù, diſperſaque luctu.
Lætitiæ ingeminant, abruptis nubibus, imbres;
Accipit, agnoſcitque ſuum dum roſcida Solem,
Aſtra inter Sophiæ diuinâ fronte ſedentem,
Et reſponſa repoſcentem. Miratur, & ardet,
Expedit atque manus iuuentæ in vincula prolis.
Ecce autẽ pœnas hominũ, atque infanda per Vrbẽ *Chriſti patiẽtis, & Matris ſequentis, & condolentis myſteria.*
Supplicia expendit dum viua Parentis Imago,
Et Genitricis amor, diuerſum ad limen adactus
Pontificis, Regis, Prætoris, anhela per ædes,

Per-

Perque vias, Nati pariterque in fata ruebat
Heu miſeranda Parens, nulla contenta quiete.
Obſtupet; aſſociat Natum; ſe adiungere tentat
Supplicijs, flagris, terrores inter, & iras.
E Solyma raptum laſſato incedere paſſu
Per dumos, per ſaxa videt, collemque tepere
Vulnere diſrupto Mater, pallentiaque ora,
Liuida verberibus multis, rorantia guttis
Tempora ſanguineis. riget, & veſtigia, Natus
Quæ ſudore notat, quæ ſanguine, diluit illa
Deciduis lacrymis, lambitque caduca cruorem.
Alta fatigatum Crux erigit: ipſa dolore
Figitur ante Crucem cruciati Mater Amoris.
Aſpicit, & moritur. Crux eſt cor Virginis: addit
Vulnera vulneribus lictor crudelis Amantum.
Dum videt hæc oculus tabulæ commiſſa, videtur
Feruere pugna oculi, mors viuere luce colorum.

Chriſti Reſurrectio & Matris lætitia.

At parte ex alia vitæ poſt funera reddi
Spectatur, vacuoque DEVS migrare ſepulchro
Matris ad amplexus. lacrymis, verſo ordine, lætis
Illa natat: pulchro rediuiuum flumine Natum
Dulciter immergit: concreſcit gemmea membris
Lacryma victoris: fit ſtella; & ſyrma triumphi
Innumeris texit radijs, & lumine ditat.

In cælum abeuntis triumphus.

Aſt alia in tabula cedentem inuadere nubem,
Dite triumphato aſpicitur Rex, formaque Regum,
Matris honor CHRISTVS. plantis abeuntis inhæret;
Oſcula mille premit Genitrix: cor ſtillat in vndas
Lætitiæ: curas abitus, ſed gaudia Nati
Maieſtas, formoſa parit. Vadentis in aſtra
Obſeruat greſſus, ſequiturque immota triumphum.

B. Virgo in cælũ aſſũpta.

Hanc etiam pictura refert poſtrema iacenti
Sub-

Sublimem tellure rapi ſuper Æthera, vectat
Quam chorus Aligerûm: Charites per nubila ludũt,
Innectuntque manus manibus. Stat Regia Virgo
Alatis innixa humeris, & mille ſerenos
Latè diffundens fœcundo pectore Soles,
Flaua comis,rubicunda genis, & margine frontis
Ardua magnanimæ, labris imitantibus oſtrum.
Aëre, quo graditur, puros incendit amores:
Sidera pro gemmis digito rutilante coruſcant.
Anulus eſt iris; protuberat vnda nitorum
Veſtibus auratis; crines diſcriminat ingens
Linea ſtellarum. deſunt mendacia formæ;
Deficit ars, fingitque nihil; ſed victa fatetur
Virginis in forma, hoc vnum finxiſſe,quòd artus,
Diuinumque decus, grandi ambitioſa paratu
Non ſatis expreſſit, magno temeraria niſu.
Præcipitat dum Diua viam, ſolioque Parentis
Siſtitur æterni, cæli dare iura per aulam,
Et ſceptrum manibus præferre, & fronte coronam
Imperat Omnipotens,qui terras numine torquet.
Ad dextram ſedet illa, geritque inſignia Regni,
Inſtabilique tenet nutantem pondere Mundum.

Sedet ad Filij dextram, & coronatur.

Pinxerat hæc Helene. pictura ſed altera muro,
Quem Sol emoriens pallenti lumine veſtit,
Aligerûm formata manu, ſe luce colorum
Prodidit inſolitâ. Nebulis bipatentibus, extat
Virgo parens; ferrugineo ſed clara nitore.
Terret Amabilitas, oculis & ſufficit arma,
Queis vitam inſpirat. Crux inſidet horrida nimbo,
Pro gladio quam Virgo rotat. Maxentius, altâ
Maieſtate fatigatus, ſub Virgine pallet,
Fractus equo,pauidumq; Ducem reuoluta ſuperſtãt
Agmi-

B. Virgo Maxentiũ Cruce fulminans in tabula depicta manu Angelorũ,& omẽ Conſtantini victoriarum.

Agmina, quæ Tiberis lacero cum ponte procellis
Inuoluit fluuij, cum ſtrage natantia fundo.
At Conſtantinus gaudet ſpumante ſepulcro
Caſtra inimica tegi; potare in flumine mortem;
Imploratque oculis, palmiſque & corde Parentem
Virgineam, rutilamq; Crucem, quam pronus adorat.
Non procul in proprio Licinus ſanguine flammas
Fumat auernales. Cruce profligatus quanti,
Lucem oculis fruſtra quærit, traiectaque ferro
Membra aperit; nec pugnandi patulo ore remittit
Indomitam rabiem. Crux verberat igne furentem,
Et mergit fulgore animā Phlegenthontis in vmbris.
Tunc Helene demiſſa genu. te maxima Natum,
Conſtantine, Parens ſibi deſtinat: illa Tyrannos
Bello accincta domat, Regnoque reponit alumnum.
Diua tibi Natum voueo: tua bella ſequatur:
Supplex ille tibi, victoſque ſuperbus in hoſtes
Torqueat arma manu, Pietatem pectore ſeruet.
Cum Ducis inuicto conſpiret robore Virtus.
Accipe: maternis titulis, & nomine cedo:
Mater eris Magni tu Maxima Conſtantini.
Hic poſt bella Titi, Solymæ ſtatus, ordoq; rerum;
A baptiſmo Conſtantini pax.
Poſtquam Pax Latio, luſtrali Regis in vnda
Romani, deuecta, habuit Capitolia portum,
Sedit vbi Regina Orbis, preſſitque Rebelles,
Et Solymæ ſolium, Romæ ſibi condidit arcem.
Turbatur iterum pax dū noua poſcit bella Chriſti cruor.
Rurſus abit peregrina quies, ſtabilique potitur
Sede dolor. Solyma infelix, damnataque bellis!
Bella vocat cruor ille iterum, quo fulmina tingis,
Atque tuæ inflammas in longa pericula gentis.
Imple vrbes iterū exulibus: patere ægra Tyrannos
Innumeros, non paſſa vnum, Regemq; Deumque,
Cuius,

Cuius, amoris erant, leges, & Gratia Regnum.
Ergo quæ Latio Solymæa potentia ferro
Ceſſerat, Imperio nunc tandem euulſa Latino,
In ſua Regna pharetratos concurrere Perſas
Aſpicit atque Arabes. lymphatus Perſa dolore,
Fractus ab Heracleo quòd campo ceſſerat, iram
Digerit in Solymam. noua quærere regna laborat.
Idem Arabes ſimul ardor agit: rapit aſpera corda
Et pudor, & rabies, cædiſque inſana libido.
Vt belli ſenſit crebreſcere murmur Idume,
Et tempeſtatis præludere ſigna futuræ,
Poſcit opem; rurſumque orat ſe reddere pugnæ
Victorem Heracleum, rediuiuaque colla Colubri
Magnanimo rurſus pede frangere. vota ſed ille
Reppulit & lacrymas, gemitumque audire vocantis
Noluit heu Solymæ, plauſu reſonante triumphi.
Perſa dolet dum vulnus; Arabs dum perfurit Vrbe
In mediâ victor; Sortiſque volubilis orbem
Dum pauet Heracleus medio reprendere curſu,
In flammas, & in arma Arabum, cum gente Latinâ
Vrbs cadit, atq; iugum Dominoſq; & vincula mutat.
Principiò Solymam premit Omar: occupat Amō:
Mox Caliphas Templi vaſtator: denique Belphe
Expulsâ Pietate potens: totoque potitus
Imperio, Fidei regnum populumque fidelem,
Et CHRISTI nomen deleuit funditus armis.
Tunc Stygis irrupere omnes cum Dite paludes,
Gurgiteque impuro ſtrauerunt arua, pudico
Quæ viruere cruore DEI, ſudoris & imbre.
Agmina Virtutes cogunt, ne turbidus amnis
Tænariam rabiem cunctis exerceat vndis,
Et violet cæleſte decus: fraus aſpera belli,

Anno 618. Coſdroas cum Perſis Hieroſolymam & Chriſti Crucē occupauit.

Heraclius Crucem à Coſdroa victo recipit. Dum diſcedit, Arabes Hieroſolymam occupant. Imperator redire ad bellū recuſat territus hoſtium numero. ex Vvill. Tyrio, et alijs.

Omar filius Chorab tertiᵘˢ à Mahomete pſeudopropheta. Amon mitis, & Caroli Imperatoris amicus.

Calipha templum in Chriſti ſepulchro poſitū diruit. Ex eod.

Inundata barbaris Hieroſolyma, virtutes in Nazarenā Domum ſeſe recipiunt.

Et terris turbata quies, regnantis adegit
Pacis adire Domum, portuque auertere fluctus.
Pacifer occurrit, miratus vertice montis
Aduentum, ſociaſque acies ſolatur, & vltrò
Tranquilli recipit læta in commercia regni.
Sed rurſus tumet vnda mali: centũ horrida, centũ,
Chriſtiadum in ſtragem mouet ora vorago Furoris.
Nam velut obliquis decliuia flumina ripis
Se cœno grauibus miſcent torrentibus, iras
Atque ſuas iüngunt; paruis ita fontibus ortos,
Incrementa mali, Turcas, ſcelerumque ſequaces
Fœdere nectit Arabs infido, & fœnore culpæ.
Gens vaga; nõ animis, fraudũ at molimine cõcors,
Et populabundis peruadens omnia turmis,
Per varios errabat agros, aſſueta rapinis
Viuere; flagitijs leges ſibi ferre; domoſque
Sanguine moliri; Regnum Regeſque creare,
Quos rabies veſana regat; ſpem ponere in armis,
In dextra imperium, Mundi ius, iuraque cæli.
Spreta priùs Perſis, Perſarum poſtea terror,
More locuſtarum Syrijs inſedit in aruis.
Infelix Regio, Diuûmque Colonia quondam,
Nunc canibus data præda! vnâ pro cæde Tonantis
Mille lues rediuiua neces; & ſæpè ſepulta,
Sæpè renaſceris moritura. Id, Christe, ſepulchrum
Portendit, rediuiue, tuum, quod in vrbe ſuperſtes
Hæret adhuc Solymæ, nec vis valet vlla mouere.
Si moueat, rapiatque Fides armata, reſurges
Non caſura iterum. ſic auguror. omina firmet
Auguriumque Devs; ſemperque cadentia Regna
Denique ſuſtentet ſubſtructio Vaticana.

Arabi Turca miſcetur, & Terram ſanctam inuadit 30. aut 40. circiter annis ante motum à Petro Eremita bellum. ex eod.

Fuere à Perſis recepti: mox reiecti. repulſam vlturi redeunt aucti numero, & viribus.

Perſas vincũt: Syriam inuadũt. Fuit Terra ſancta ſub barbaris 490. continuos annos. ex eod.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

A Turcis occupata Palæſtina, intrepidi ſancti viri Hieroſolymam, & Nazarethum iter intendunt, difficiliſque viæ labor hauſtis à ſacra Cellula voluptatibus compenſatur. Deſcribitur iter, & Pietas Alexÿ, Birgittæ, Paulæ, Hieronymi, Andronici, & Athanaſiæ, qui duo poſtremi maritali thoro in ſacra Domo ſeparantur, & poſt aliquot annos ibidem incogniti morte illuſtriſſima copulantur.

NOn tamen ira hoſtis, nō dira tyrannis amorem
Chriſtiadum vicit: ſtat certâ mente repoſtum
Quærere per medios hoſtes monumenta ſalutis.
Semita currentes dum longa retardat, anhelant
Acriùs ad metam: fit anhelitus ipſe voluptas,
Palmaque nobilior. ſtadio laſſata cruento
Greſſibus exultat Virtus ſtimulantis Amoris,
Sudoremque dabit, parcunt ſi tela cruori.
Omnia vincit Amor. Deſertor Alexius aulæ,
Nobilis illuſor Fortunæ, transfuga Romæ,
Coniugis, atque ſui, ſe vicit: vicit amorem
Sanguinis; in bellum dum cælitis ardor Amoris *S. Alexius in Palæſtinam nauigat. ex v.*
Impulit. impulſu, Fortunæ raptus ab vlnis,
Vrbis ab imperio, per flumina larga gementum,
Per ſuſpirantis lamenta perennia matris,
Per calcata voluptatum, luxuſque fluenta,
Audet ſe pelagi malè fidis credere ſulcis;

 Sed

Sed magis Imperio, vanâque fidelibus aulâ.
Dum fugit, ex oculis terræque, vrbeſque recedunt;

Cupit inuiſere Nazarenam Domũ.

Sed magis ex animo. cælum vndique, & vndiq; cælum,
Et quæ cæleſtes Domus vnica continet orbes,
Nazareo ſpectanda iugo, votiſque recurrit
Omnibus arripienda: timet non ferrea Syri
Spicula, magnanimo qui pectore reppulit aurum.
Exhaurire cupit venas; vt diuite cenſu,
Et conſanguineis, opibuſque, & nomine nudus,

Orta tempeſtate inPatriam repellitur. ex vita.

Vno, qui ſupereſt, emat aſtra cruore. ſed Aram
Carpere virgineam vetuit mare, ventus, & Æther.
Hanc deſiderijs tamen attigit. inde parentis
Stringere ſe laribus didicit, placidèque ſeuerus
Ædibus in magnis tuguri componere punctum.
Notæ, audin? vocis reſonat, Birgitta, ſuſurrus.
Ad Solymæ fontes hac voce Columba vocaris,

S. Birgitta ad Hieroſolymitanum iter à Chriſto inuitatur. Birgittæ verba ſunt ad Chriſtum, & Chriſti ad Birgittã apud Suriũ in vita. 25. Iulÿ. Hæc itinera Birgitta confecerat. ex v.

Diuinus micat vnde cruor, ſalit vnde voluptas,
Et cordis bona flamma tui. Birgitta vocanti
Reddidit hæc. Senio languens, & tabida morbis
Ignotas tentare vias peregrina quid optem?
Æthereas penetrare plagas, Solymamque beatam
Da potiùs, lateriſque tui confidere nido.
Quæ ventos aquila, & nubes tranauerat alis,
Torpida ſi vires, & pennas conficit ætas,
Aëre deſcendit, nidoque quieſcit auito.
Tramite me feſſam longo Gallæcia vidit,
Parthenope, Siculi, Atrebates; me Roma ſepulchris
Aduolui Superûm vidit; te CHRISTE videre
Ardeo nunc, Ciueſque tuos, tua Regna. doloris
Sponſe mei, terris ſatis eſt doluiſſe, Crucemque
In medio fixiſſe ſinu. da cernere vultus
Pœnarum ſine nube tuos, & figere gemmis
Labra

Labra cicatricum. Pretium, Birgitta, laborum,
CHRISTVS ait, labor eſt.pœnarũ hæc maxima merces:
Poſſe pati pro me. qui præmia poſcit amoris,
Non amat. exilij curis ſolantur amantes
Exilij curas; atque Ætheris ignea vota
Augent,& minuunt lacrymis. fit lacryma cælum,
Grata quies deſiderium, fit pœna voluptas:
Dum dolet,exultat; dum tunditur,integra ſurgit;
Feſſaque venatur curſu Patientia cælum.
Haud aliter venatorem labor, æſtus,& algor
Allicit ad prædam. placet hæc, licet horrida rictu,
Quòd multâ in campis ſyluiſque indagine, tandem
In caſſes quæſita ruit, ſtimulataque ferro.
Me quæris, Birgitta? mei veſtigia luctus,
Signataſque cruore vias inquire: per illas
Aſtra petes. meus Heroum eſt via lactea ſanguis.
E Solyma in Solymam breuis eſt tibi ſemita. ſanguis
Monſtrat iter, ſternitque viam, Patriamque recludit.
Numquam torpet Amor: non deſidet ignis Amoris
In cinerem: non ille ſitu, aut ætate ſeneſcit.
Feſſa licet, celera curſus: nam robur & annos
Hic tibi ſufficiet, ſenium qui neſcit, & annos
Curſibus æternos numerat. quid territa morbos
Obijcis, ignotaſquæ vias? Amor aurea lampas,
Quam geris, ambages aperit tenebraſque viarum,
Vitalique animos, & corpora ſoſpitat aurâ.
Igne velut Solis, frigus quam ſtrinxerat, vnda
Soluitur, & liquido defertur in æquora greſſu;
Sic Birgitta, DEI flammantibus incita verbis,
Perrupit generoſa moras glaciemque timoris.
Protinus ad Solymæ muros, aditusque malignos
Impauidos infert greſſus: nemora auia, montes;

Chriſtus ad Birg.

Lacryma paradiſum facit aut inuenit.

Placet fera non quia fera ſed quia capta ex Aug.

Quis eſt naturæ conditor? addam tibi vires: proſpiciam de itinere: ducam & reducam: Chriſti ad Birgittam verba apud Surium in vita.

Sacra Hieroſolymæ loca inuiſit. Montem oliuarum, Sionis templum, Caluariæ montẽ, Nazarenam Domum. Huius hic preces.

Æquora, præ donum latebras, valleſque profundas
Exuperat: pede Idumæas & pectore ſedes
Poſſidet ardenti. diuini conſcia luctus
Culmina, & heu dulci ſtillantia ſanguine viſit.
Artis opus miræ, ſublimia Templa Sionis,
Atque ſatum crucibus mõtem, quinoque rubentem
Vulnere, ceu pomis vitali ex arbore natis,
Luſtrat, rorifero gaudens Matrona dolore.

Verba Birgittæ ad Chriſtũ ſponſum ex Canticis canticorum. Fulcite me floribus &c. Læua eius ſub capite meo. &c. Cap. 2 Cant. S. Domus myſteriis aptatũ.

Hinc in Nazarei tendit faſtigia collis:
Sponſaque dum Sponſi tetigit tremebunda Cubile,
O Superi, ſtipate, inquit, labentia malis
Pectora: me florum nimbis fulcite cadentem.
Langueo: languores animo ardoreſque beatos
Dulcis Amor, crudelis Amor, mea vita, neciſque
Cauſa meæ ſpargit: dubio ſub vertice læuam
Aptat: ad amplexus, ad vulnera, retia, nexus,
Ad fraudes ſe dextra parat; reſonatque labello
Dilecti vox preſſa mei. venit ecce, iugoque
Nazareo ſalit, & properat. ſic tranſilit arua
Caprea, ceruorum ſic montes hinnulus. adſis

Fumo nigri S. Domus parietes. Verba ſponſi Dei ad Birgittam ex iiſdem cant.

O dilecte: quid occultas poſt illita fumo
Mœnia ſplendores? vidi te bellule, vidi,
Me cum reſpiceres, inſertâ luce feneſtris,
Quas ingreſſus Gabriel, profudit Olympum
Virginis in gremium. Vox hæc mihi pellicit aures,
Vox tua ſponſe. Veni, pennâ properante, Columba.
Hæc tua turris erit Domus alta: receſſit Orion;
Imber abit; miteſcit hyems; Sol mitior alas
Explicat in radios. hic ſunt cunabula Solis:
Tu quoque pande alas: gemitus in gaudia turtur
Iam liquat. hic turtur primis nam fletibus infans
Riſit Amor, cantuque ſuo gemituque, gementi

Gau-

Gaudia conflauit Mundo. cum turture compar
Hoc ſua peccator plorabit crimina nido.
Sponſa veni: ceſſit glacies: fert vinea flores.
Fertilis Aligerûm Domus hæc eſt vinea, dextra
Quam regnatoris coluit calloſa Tonantis,
Depoſitis ſceptris, vilique decora ligone.
Regia ruſticitas, & pluſquam regia Verbum
Reddidit humanum. Diuinum vinea nectar
Protulit in menſam Superûm. quem è Virgine duxit,
Sanguis erat nectar. formoſa Columba volatus
Exere: rura ſubi: ver hic aſpirat, & aura,
Vmbraque declinat. quod ſi te credere ventis
Non iuuat, inuenies tutas hac Sede cauernas:
Lilia depaſces, & roris candida nimbos. *Sponſæ ad Spõſum reſponſio.*
Ergo veni. Sponſo Birgitta hæc reddidit. Vrges
Heu quid currentem? me quanta per æquora vectam
Accipis! ò quantis iactatam, Sponſe periclis!
Vrbis me vigiles pauidam inuenere: minaces *ex c. 3. Cant.*
Intentant iugulo gladios; iugulumque paratum
In vulnus cum voce dabam. ſi vulnera membris
Infertis, curate animi maiora dolentis
Vulnera. qua regione mei latet hoſpitis Ædes?
Qua meus ardor Amor? quærenti dicite, ciues.
Vt reperi, vt vidi, vt perij, vos figite pectus.
Inueni, vidi; & viuo? ſi viuo; ſepultæ,
Viuentiſque ſit vrna Domus; perque oſcula vitam
Extrahat, atque animam. Superi componite corpus
Hoc Sponſi thalamo, tumulo ceu condita, viuam.
Corde Melana ſuo Birgittæ incendia nutrit; *Nobilis fœmina, quæ obijt loca ſancta dum viſeret. ex Sur. in v.*
Feruidaque, ad curſu ſtimulis magis ardet Amoris.
Ocyor vt volitet ſine pondere, & ardua montis
Culmina Nazarei ſuperet peregrina, marito

Conſule ſignatos faſtos, faſtumque relinquit,
Delicias, & opes, Patriam, & cum ciuibus Vrbem.
Amplexata Lares, atque indignata caducos
Ampliùs ire dies, cupit hos extinguere ad aram
Virginis, vt ceram conſumit flamma niualem.
Dũ ſtetit ante fores, quibus atria iungit Olympus,
Mori optat in S. Domo. Dulciter infremuit turbata cupidine mortis.
Tæda ſeneſcentem ſic ſuſcitat igne leænam,
Quæ fremitu quatit arua, ruens in tela, necemque
Vnguibus extimulans, oculiſque vibrantibus ignem.
Ergo diù pectus poſtquam proiecit in æſtus
Et vigiles curas, laſſata labore viarum,
Fixa Deo, ſaturum votis cor fixit in aſtris.
Non ſecus Elias, vitæ pertæſus & aulæ,
Elias ſub vmbra iuniperi petiuit animæ ſuæ vt moreretur. Fronde retorqueret cum lucida tela diei,
Iuniperuſque notis trepidaret, lumine Solis
Et deſiderijs dilati funeris arſit.
Annuit Omnipotens: reditumque Melana canebat
Melana impetrat mortẽ. Ætheris ad Patriam. Mors adfuit, armaque ad ictũ
Mors illam timet inuadere. Præparat, & librat. ſed protinus intima mortis
Occupat oſſa metus, dum vitæ Limen aſylum
Ingreditur. meditata fugam iam proijcit arcum.
Orat Amorẽ Melana vt timidæ Mortis partes agat. Arma Melana dolet proiecta, timetque timorem
Mortis, & ô clamat, pia Mors, ne deſere tela,
Mortis Amor partes vel ſaltem ſuſcipe. vulnus
Ex cap. 3. cantic. Altiùs infigis, renuis dum figere vulnus.
En lectulum Salomonis quem. 60. fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël. Hæc Domus Ætherei Salomonis lectulus, oſtro
Stratus inardenti, quem ſexaginta coronant
Cum gladio rutilante viri. vos vulnera amanti
Ferte pij, forteſque: tua hæc ſunt agmina: manda
Munus, Amor. ceſſatis adhuc? dux agminis, arcum
Tende; feri. pauidæ tu Mortis robora vincis,

Miſſi-

Miſſilibuſque micas iaculis, & lampada tollis,
Qua, pro vulneribus, membris morientibus aſtra
Imprimis,& lucem fundis pro funeris vmbris.
Indulſiſſe vacat, ſed lethum qua ferat arte
Ipſe Amor addubitat, telo cor vulneret? ictus
Aſt animat, quem torquet Amor. ſi fulmine venas
Ebibat, inſinuant viuacia fulmina vitam.
Vtitur ingenio. fugienti ſpicula Morti
Vi rapit, & Mortis micat immortalis in armis,
Deſignatque oculis vulnus. mox tela coruſcat,
Et iacit. infundunt per mortem vulnera robur,
Vitali iaculata manu, qua vita triumphat.
Hac melius viuit,moriturque Melana. colorat
Vita genas pallorque necis; lux, vmbraque fœdus
In ſpeculo vultus componunt, frigus & ignis,
Horror,maieſtas, mors viuida,mortua vita.
Tela ferunt pondus,volucreſque in funere pennas.
His Mulier procumbit humi,pennataque ſurgit.
Haud aliter calido tenuata vapore per auras
Stella facem ducens, poſtquam peregrina cucurrit,
Et multo æthereum ſignauit lumine callem,
Obliquo ſplendore cadit. Fax altera fulget
Romani ſidus cæli Regumque ſenatus,
Gracchorum ſoboles,Agamemnonis inclyta proles,
Scipiadum germen; cuius de ſanguine, Romæ
Floruit antiquæ generoſa ſuperbia famæ;
Quam celebrat Mundi vox vnica, diſſona linguis,
Conſona ſed plauſu. certant cum ciuibus hoſtes
Fœminæ in obſequium:cuius prius omnia nomen
Regna peragrauit, quàm pes calcaret arenas,
Nobilis & Tyri portum Peregrina ſubiret.
Nomina ſi quæris, Pauli metire labores.

Fortis eſt vt mors dilectio. Lampades eius lãpades ignis atque flammarũ. cant.c.8.

Amor mortis munus aggreditur.

Sacra loca dũ viſeret extincta eſt.

Stellæ dicuntur cadentes.

Laus D.Paulæ ex S.Hier.

Pau-

Paula refert Paulum, menſuram nominis implens
Numinis obſequio, feruore, pudore, ſalutis
Non ſaturabilibus curis; ſibi tota receſſu,
Tota aliena, animâque animas dimenſa per omnes.

Vt Hieroſolymam peregrinetur, Patriã, & ſuos deſerit.

Illa pias alerent CHRISTI vt veſtigia flammas,
Preſſa Palæſtinis penetralibus, impia natis
Penè fuit, Romæque, ſibi. Iam ſoluerat agros
Triſtis hyems, pelagique ſinum laxauerat: auris
Vela tumeſcebant; nautis & aperta, ſecundum
Promittebat iter Boreâ domita vnda geluque.
Paula Domum, Patriam, ciues, & millibus arua

Mœrebat honore ſuo. S. Hier. in epiſ. Paulæ.
Pauperibus, amicis, & cõſanguineis commutãtibus portum petit. Ib

Bobus arata fugit; titulis & mœſta ſuperbis,
Quando vana nequit deponere nomina, dotem
Proijcit in miſeros; argentum exhaurit & aurum,
Quod licet. in portum theſauris nuda profuſis,
Mercibus æternis onerata, & Numine plena,
Vt freta ſulcet, abit. Populorum littora fletu
Lamentiſque ſonant. abeuntem turba dolentum
Obſidet ore, manu, lacrymis, ſingultibus, vlnis.
Exanimes viduæ, puerique parentibus orbi
Nutricẽ inclamant Paulam, Dominamque, Parentẽ,
Vitæ præſidium miſeræ. Pietatis Amazon
Fœmina congreditur pelagi mirantis arenâ,
Affectuſque inuicta ſuos in prælia ducit.

Paula in littore ſuis cum affectibus pugnat.
Amat diuitias, vt diſpenſet; odit, vt amet Chriſti paupertatem.

Paupertas Paupertatem miſeranda laceſſit.
Paula recuſat opes: aliena obſiſtit egeſtas,
Illius alta opibus. Pietatem prouocat armis
Ipſa ſuis Pietas: Amor ipſum vincit Amorem,
Omnia qui vincit. magni argumenta duelli,
Lacryma littoreis manat pro ſanguine campis.
Paula gemit: lacrymant inopes: hinc brachia, & inde
Tollit in amplexus, & corda impertit vbique,
Diſpen-

Diſpenſatq;animam,& cum pectore viſcera;quando
Diuitiæ deſunt. Sed victa redintegrat auſus;
Belligeranſque iterum, victorem vincit Amorem.
Circumſtant Conſanguinei: calet intima cordis
Sanguine pugna: quis hæc ſuperet ciuilia bella?
Adſtant Cognati, Affines: hos armat, & illos
Ploratu, queſtuque Dolor. maiora querelis
Tela iacit frater: dulcis, Cruce frangitur hoſtis
Impetus,atque Dei ſuperatur ſanguine,ſanguis.
Sed propiora manent te, Paula, pericula: bellum
Imminet extremum. vittas diuulſa comarum,
Et teneros percuſſa ſinus,iam nubilis annis
Vim lacrymis precibuſque facit Ruffina parenti.
Ingenioſa genitricis iam machina pectus
Perrumpit,lacrymiſq; aditum dum pandit:ab vlnis,
Nata,recede,inquit: matrem num filia vincat?
Vince Amor;at melior. Christvs mihi filia,frater,
Omnia Christvs erit. Toxotius vltima natus
Præparat in matrem molimina. Supplice vultu,
Dextellâque rogat: fletu rigat ora decoro:
Adrepit genibus. frontis generoſa venuſtas,
Gratia,verba,lepor, rorantia lumina,mœror,
Filius, extremum pignus,puer, vnicus, hæres,
Nil exorabunt? alienæ prolis alumna,
Vrbis amor, genio mitis,pia fœmina, mater,
Non patrimo, puero, dilecto denique nato
Nil exoranti, nil indulgebit amanti?
Vt tiburtini durantur in aſpera fontes
Marmora; dura genis ſic Paulæ lacryma torpet,
Siſtitur,atque riget: mollita cruore Tonantis,
Non facibus liquet illa ſuis, non ſanguinis æſtu.
Oſcula dat mammis Toxotius: ægra repellit
Mater,

In eo cunctis admirabilior, quòd magnã vinceret caritatem.S.Hier.

Deſcendit ad portũ, fratre, cognatis, affinibus, liberis proſequẽtib⁹. S. Hier.

Ruffina iã nubilis, vt ſuas expectaret nuptias, tacitis precibus orabat. S.Hier.

Toxotius ſuppliciter man⁹ tendebat in littore.S.Hier.

Poſt Toxotiũ parere deſijt. S Hier.

Aliarum matrum filios pia mater aluerat

Mater,& armipotens non vbera curat Amazon,
Ardet Idumæis quæ CHRISTI vulnera regnis
Lambere; vbi roſei ſtillarunt nectaris imbrem.
Arcubus haud aliter, pictis & Amazones armis,
Thermodontiacis miſcent certamina ripis.
  Fœmina vicit io, fratrem, natoſque; Deoque
Hæreat vt capiti nexu Pietatis; ab ipſis
Diſtrahitur Matrona ſuis fortiſſima membris.
Rex Amor, & Regina Fides non ſubdita legi eſt,
Quam ſcribit Natura: fauet, non paret: amantes
Liberat à laqueis legum, quos vincit amore.
  Euſtochio comitante, ratem'ne, an Paula curulem
Læta triumphalem inſcendit? iam puppis in altum
Labitur,& ſpumas deſerta reſorbet arena.
Littora reſpiciunt Nautæ; ſed ſidera mater:
Hi natos; ſed Paula DEVM; pelagique tumultu
Non exaudiri natorum murmura gaudet.
Ne videat vultus, oculos auertit; & æſtus
Pectore ſurgentes, maris æmula, fundit in aſtra.
Æquoris Adriaci, Siculi, paruæque Methones,
Atque Cytherorum, Maleæ, cycladumque natantum
Sulcat aquas. Rhodos apparet, notiſſima famâ
Inſula: flammiuomo clareſcit Lydia monte;
Mox Cyprus; Veneriſque ſacris, luxuque profanam
Hoſpitio Matrona ſuo, & Candore piauit.
Excipit hinc feſſam gratata Seleucea portu.
Littora tuta capit dùm nauis, in Æthera votis
Paula volat, Numenque tenet trans æquora vecta.
  Interea dum claudit hyems maris oſtia ventis,
Maieſtate olim quæ ſuccollante Latinâ,
Colla vehebatur reſono ſuper ardua plauſu,
Nunc pede, vel vili glaciem perrumpit aſello,

Quaſi à ſuis membris diſtraheretur, cũ dolore pugnabat. S.Hier.

Gratia fortior natura.

Diua Paula ſoluit è portu. Cunctis littora aſpicientibus ipſa auerſos tenebat oculos. S.Hier.

Chimera mõs eſt in Lydia crebrò ignes eructans.

Media hyeme calente ardore fidei fœmina nobilis, quę prius Eunuchorum manibus portabatur, aſello ſedens profecta eſt. S.Hier.

Oppo-

Oppoſitaſque niues; ſolaribus altior alis
Sed Fidei vehitur vaſtum Regina per Orbem,
Et Pauli metitur iter per littora Tyri,
Per Cœleſyriam; Turremque ingreſſa Sareptæ
Nŭmen adorat. agris facilè hinc inuecta, gigantes,
Terra vbi progenuit, Dauidis ab enſe metendos,
Nicopolim, Cleophæque domum veneratur; & inde
Fertur in euerſam Gabaon, ſecumque volutat:
Hìc ſtetit aſtrorum Princeps, hominique iubenti
Paruit ille: Dei voces ego fida vocantis
Non ſequar? ite gradus. iubet hic? excurrite mõtes,
Auia pernici luſtrate, & peruia motu.
Progreditur, Solymamque videt. nunc lumina mille,
Cordaque mille cupit, quò flammas digerat omnes
Cordibus in multis. Peregrinæ regia Prætor
Præparat hoſpitio prætoria. Paula Tonantis
Illuſi monumenta inter, deludit honores.
Quà ſalit inuiſo Caluaria vertice, ſurgit,
Atque Crucem tenet amplexu. ſic præpete curſu
Poſtquam carceribus pueri exiluere, locatam
In tumulo arripiunt frondentem ex ilice metam,
Et ſe victores vocitant, plauduntque labori.
Dia ſepulchra ſubit. ſtillati pectoris imbres,
Magdalis & myrrham defert Romana doloris.
Hinc tædis accenſa nouis, lymphata per Vrbem,
Quam Crucis amentem ſapiens inſania reddit,
Euolat; immenſis & amoris concita monſtris,
Culmina Dauidicæ ſcandit montana Sionis.
Templa colit. riguit; dum ſcintillare Columnam
Sanguine diuino vidit. premit oſcula: lambit:
Dilecti cunctas, ceù viua colonia, pœnas
In ſe tranſcribit: ſine verbere vulnera ſentit,

Per arenas Tyri, in quib⁹ genua Paulus fixit, peruenit ad Corinth. S. Hier.

Philiſthijm vrbes percurrit.

Proſtrata ante Crucẽ quaſi pendentem Dominũ adorabat. S. Hier.

Ingreſſa ſepulchrũ, oſculatur lapidẽ. S. Hier.

Monſtra ſũt beneficia Dei exhibita Hieroſolymæ.

Oſtendebatur illi Columna infecta cruore Domini. S. Hier.

Quæ

Quæ diſpertit Amor . Christi ſtimulata flagellis,
Omnia colluſtrans, defertur ad oppida Bethlem.

Perrexit Bethlehē. S. Hier

Paula fuit Romana : aderit nunc altera . Paula
E natalitio Verbi noua naſcitur Antro ,
Proh qualis, proh quanta ! ſinu Roma inclyta vaſto
Ampliùs haud caperet : capit hanc anguſtia Rupis ,

In S. Bethlehē manſura perpetuò, anguſto per triennium manſit hoſpitiolo; donec extrueret cellulas, ac Monaſteria. S. Hier.

Quæ paruam amplificat, ſpatijſq; exæquat Olympi .
Si tibi Roma impar, Romæ obliuiſcere, cælo
Fœmina par . Stabulo Romana potentia cedit.
Hic ſibi Virginitas pluſquam Romana theatra,
Cælitibuſque, tibique dabit, ſe vincere, motus
Atque ſuos edocta . feret Patientia palmas.
Hic opulenta tuis æraria proferet armis

Extruxit in Bethlehē Monaſteria Virginū tanquā cæli theatra

Paupertas, opibus maior , faſtuque Latino .
Hic ſubiecta Deo, Romæ dominantis alumna,
Et Romæ domina, imperium ſuper Æthera tolles ,
Abdita parthenijs clauſtris, & proxima cælo .

Tria vota religioſa quæ in ſacris cœnobijs nuncupātur.

Ergo vbi diuini clauſit ſe gloria Regis ,
Fabricat in Stabulo conclauia Paula Pudoris,
Virginibuſque ſacrat , quas vnica cura ſalutis
Omnibus exoluit curis, & deuouet aſtris.

Bethlehē Domus panis, & Aceruus tritici vallatus lilijs .

Virgineo non vlla choro fuit area terris
Aptior, exciperet quæ cæli candida riuos ,
Quam Bethlæus ager, quem lilia, tritici aceruum ,
Vallauere ; ſuo quem Virgo lacte rigauit,
Rore Pudicitiæ ; quem Pupulus oris amœni
Floribus in campum vertit vernantis Olympi .

Inde cito itinere percurrit Nazareth nutriculam Dñi. S. Hier.

Paula tamen flores, quos Numinis inferat Antris,
Nazareæ primùm proſpectu colligit Vrbis .

Nazareth nomen habet à floribus.

Vt Montem aſpexit , qui dorſo ponderat Ædem
Virginis anguſtam, ſub amico pondere gaudens,
Exardet deſiderijs ; fit penna voluptas ,

Et

Et iuga conſcendit, veluti Regina volucrum
Viuida Sole nouo, valles pertæſa, volatu
Se librat; montes, ſua iam cunabula, quærit.
Dum ſalit, Auroram decurrere Solis in Aulam,
Atque tributa putes calathis deferre roſarum.
Paula Pudore rubet; ſimul ardet, & albicat igne,
Iucundo tremefacta metu. ſtat limine in ipſo.
Iamque aditus intrare parat: formido repellit;
Vrget Amor: mouet hic greſſus formidine vinctos.
Diditus in varios ſic præpete gurgite curſus,
In tumidum Thybris dum rumpitur arbiter æquor,
Romanis veniens peregrinus ab arcibus, Auſtro
Æquoreas ſeruante fores, retro actus in arua
Obliquis fundit ſe fluctibus: agmina rurſus
Colligit vndarum: moriente ſuperbior Auſtro
In mare magnifico ducit ſe limite. Paula
Æmula Romani Tiberis, deuoluit in Ædes
Virginis vndantes lacrymas; retroque recedit,
Dum pauitat, rurſuſque redit, rurſuſque propinquat.
Sternitur ante fores. Pietas poſt bella Timorem
Expulit, & vicit. Sacros tunc Paula Penates
Occupat: attonitam rapiunt noua gaudia mentem.
O Amor, inquit, Amor, terræ quibus immoror oris?
Qua viuo peregrina Domo? quæ Patria Paulæ?
Qui fratres, natique mei? quid Roma? quid vrbes,
Tota quid eſt tellus? capiunt obliuia mentem.
Paula, Devs, diuina Domus, cæleſtia, cælum,
Nil aliud menti ſupereſt. an ſpiritus auras
Liquit, & in patrio ſine corpore degit Olympo?
Longo languebam quæ mox errore viarum,
Nunc valeo. ſtellas, pedibuſque volucribus Euros,
Fulminaque, & ſuperas ad curſum prouoco mentes:

Tyberis à Rõ. agris volutus in mare, ſi vẽto reſtuit eius ab oſtio, Romam inundat

Perfecta Caritas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4.

Paulæ in Nazarena Domo ſtupor, lacrymæ, vox.

Omnia præ iſta contemnit.

Eius in aſpectu, ac ſi in cælo eſſet, exultat.

Sudor

Digitized by Google

Sudor abit: recreor pluuio dulcedinis imbre .
O dulces curæ ? pretioſa pericula, per quæ (ris
Hũc feror in portũ? Domus ò Domus? hęccine Amo-
Cellula contracti ? ſublimia tecta Quiritum,
Et ſeptem geminis impoſtas montibus arces
Illico in vmbroſas cerno decreſcere valles .
Arcibus Auſonijs ſeptenâque altior arce
Hæc eſt Aula , animi qua ſe Demiſſio iactat .
Magna virûm frugumque parens Saturnia tellus ;
Italiæ laudes
Diues aquis, populiſque potens, turritaque multis
Sed omnes ſuperat hæc vnica Domus.
Collibus, & Regnis , & pomo fertilis omni .
Arua , domos, fluuios, intextas vitibus vlmos,
Regna, viros , montes vnâ complectar in Vrbe
Nazareâ, Superis quæ feruet , nomine vernat,
Vndat Cælicuûm donis ; atque arbore ab vna
Vnum pro multis potuit decerpere pomum ,
Ex ea Paulæ nobilitas.
Quo viuit mortale genus, quo paſcitur Æther .
O me felicem cui Numinis hortus ; & aula ,
Deiparæ pueri Dei vt hominis gubernatrix .
Atque Domus communis erit? nunc nobile Regum
Paula genus; nunc Regna gero, vicina Parenti ,
Quæ regit vna Devm , rerum cui ſumma poteſtas .
Reuertar Hieroſolymã. rutilantem Oliueti lucẽ aſpiciam. S. Hier.
Hinc digreſſa, iterum Solymæ ſe mœnibus infert.
Inde Oleæ ſuperat montem, liquentis oliuo
Sparſa voluptatis , ſudorumque humida rore .
Sed dum ſaxa premit, premit ægrâ mente dolores
Triplex in Thabore ſcena Paulæ aperitur Chriſti dolentis, in cælũ aſcendẽtis, redeũtis ad Iudicium.
Christe tuos , ſecumque agitat: ſua gaudia luctu
Læta tuo miſcet : dulcedine pectus acerbat :
In lacrymis ridet : riſum mœrore ſerenat;
Erigitur; languet ; ſubſultat amore, Tonantem
Procubuiſſe ſolo meditata , labroque fugacem
Affigit ſaxis animam ſudore cruentis .
Immoritur; vitamque iterum, quam deſerit, haurit ;
Dum

Dum madidos lapides diuino ſanguine lambit.
Vt veniente die, roſeo Tithonia buſto
Conditur,& rutilos mox pulchrior exerit ortus;
Sic redimita roſis,quas CHRISTI ſanguis inaurat,
Paula ſolo ſurgens,pia lumina vibrat in aſtra,
Vt Superûm plaudat Regi;dum ſidera,& auras
Flammiuomo temone mouet,cælumque reuiſit
Poſt domitam Mortem, Ditemque in vincula ductū.
Ecce autem noua ſcena oculis obiecta timoris
Lumina contriſtat. nam vertice montis eodem
Numinis Ira ſubit mentem poſitura Tribunal,
Inter victrices oleas quæ crimina vincet,
Fulminaque accendet ſpretâ è Pietate; liquatis
Paſta oleis ceù flamma furit. Dum Iudicis vmbrat
Ora DEI nubes, Vindictaque nube coruſcat;
Proijcit in pectus Paulæ formidinis vmbras.
Numinis aduentum pauet illa, operumque ſuorum
Protinus ingeſtâ turbatur imagine. Iudex
Se vocat ad pœnas ſub Oliua: crimina damnat;
Ne rea terribiles in Amoris concidat iras.
Non ſecus ad palmæ cuneatas Debora frondes,
Iuſtitiæ gladio pauidos rutilabat in hoſtes,
Arboreis protecta vmbris,& lumine mentis.
Lætitiam,lætoſque metus,dulceſque dolores
Paula iugo referens olearum, vt damula, colles
Saucia vulneribus currit venantis Amoris.
Quærit aquas: iuga ſæpè ferunt ſylueſtria fontes.
Luctatur, ſeſeque trahit per culmina montis,
Quà fluxere olim de Numinis ore fluenta
Luminis æterni; quà nix, in luce coacta,
Fœdera cum flammis in vultu,& ſyrmate iunxit.
Et niuis & flammæ veſtigia fœmina quærit;

Sub Olueti montis oleis conſcientiam ſuā vocat ad examen, ne in iras incidat æterni Iudicis ibi homines iudicaturi.

Debora ſub palma Hebręū populum iudicabat.

Oliua in fructu amara, in oleo dulcis ſymbolum doloris atque lętitię.

Mōs Thabor. Hic Chriſti facies reſplēduit vt Sol, veſtimēta facta ſunt alba ſicut nix ex Math. 17.

Relliquias lucis rimatur, & Æthera libat,
Qui fluit in Thabor;lambitque auidiſſima cælum.
Lambere non ſatis eſt . Iordanis fertur ad vndas ,
Omnia quem ſuper ætherei rapidiſſima montis
Æquora cum fluuijs gremio fluxere beato
Auguſtæ Triadis. partes recluſus in omnes
Æquora cum fluuijs nam prono in vertice Verbi,
Baptiſmi poſcentis aquas, laxauit Olympus.
Paula æſtus animi ripâ viridante leuauit,
Prona genu ſic fata . mei Iordanis amoris
Lympha refrigerium, puro quæ fonte lauabas
Candoriſque tui fontem, Dominumque Deorum,
Murmure dum reſono properas, quo littore Numen
Dic age, tunc aderat, cum prono vertice rorem
Fluminis excepit ? Lapis hic, quem veſtijt alga
Mixta roſis violiſque, Dei num membra precantis
Suſtinuit, Superoſque manu protendere vidit
Lintea , texuerat quæ lumine Luna niuali?
Fortunate lapis ! cedunt tibi gemmea ſaxa ,
Templa quibus ardent cæleſtia, ſidera cedunt .
Parnaſſus, Libanuſque, Helicon, colliſque Sionis,
Horebique iugum coram te nomina perdunt .
Te lapis abluti nix texit candida Verbi .
Illico, Candorem quæ lauit, canduit vnda .
Te liquidus de fronte nitor maculauit , vt aſtris
Candidulis maculata nitet Via lactea cæli .
Viribus obnixi, montes ceu ſaxa gigantes
Quid iaculaſſe ferunt in ſidera ? ſidera pulſas
Tu verè lapis & reſeras ; genua alta Tonantis
Dum fulcis ſubſtratus aquis, qui ſidera fulcit.
Ille genu flectit: totus tibi flectitur Æther :
Nubila diſcedunt : lucis te perluit imber ,

Quærit lapidē in quo Chriſtus flexit genua baptiſma ſuſcepturus. In Iordane habetur locus, in quo Dominus Baptizatus eſt. In uno enim reflexu aqua ipſa reuoluitur, in qua nunc leproſi mundātur. Greg. Turon. l. de gloria martyr c 17. Ibidem templum erectum eſt teſte Beda de locis ſanctis c.13.

Quem

Quem diuina iacit pennâ rutilante Columba;
Te ſuper hæc nidum medio dum lumine condit
Par Verbo Patrique, pari de Numine Numen.
Cum Iordane, meo te nunc, lapis, alluo fletu:
Me guttis abſterge tuis, gemmiſque liquatis
E Sponſi ceruice Dei, & rorante capillo;
Non indigna meo gradiar quò ſanguine. mundus
Hic me fœmineus decoret. Poſt talia frontem,
Oſculaque affixit lapidi, Bethlemque reuiſit.

In Chriſti Baptiſmo Spiritus S. in colũbæ ſpecie deſcendit.

At quis Bethlæo nouus infremit hoſpes ab antro?
Africa num Solymæ tranſmiſit in antra leones?
Non hæc Dauidem tutantur, ab enſe Saulis
Dum fugit. Vrbis apex latet hac in Rupe Latinæ,
Purpuraque affixa eſt ſcopulo; ſuffragia Romæ
Dum fugit, & populi plauſus: nam fama, fauorque
Magnanimis eſt vnda maris, portuſque latere eſt.
Qui latet, ille ſedet ſecuro in littore. Regum
Gratia ſollicitat: quos tollit, turbine iactat,
Quo tolluntur. habent mala principis otia fluctus.
Ergo quis ille, tegit qui ſe, qui nomina: tantùm
Qui lapide ad pectus reſono, fremituque flagelli
Se prodit; gemituque, ſilens ſe nunciat auris,
Vitæ naſcentis latitans in Caute ſepultus?
Ille quis? an lapidum frenat ſub carcere ventos
Æolus? haud frenat, ſed ventis laxat habenas,
Hìc dum diuinos tacitè ſuſpirat amores,
Et tempeſtates, lacrymis Hieronymus vndans,
Temperat, atque ſuæ nutu mouet arbiter vndæ.

D. Hieronym. loca ſacra per luſtrat, & Bethlem in antro habitat. ex vit.
Dauid fugit in ſpeluncam Odollam. 1. Reg. c. 22.
Purpura, concha marina quæ ſcopulis adhæret, vnde oſtrum extrahitur.
Ad recentiorẽ purpuram Card. alluditur.

Vir quantus ſub Rupe latet? ſed quantulus? illum
Cum Puero ſi componas, qui ſtrinxit Olympum,
Et maieſtatem Præſepibus infinitam!
Extabat magnus qui ſeptem collibus Vrbis,

Vbi ſe demittit Deus, etiã magna decreſcunt.

Digitized by Google

In qua magna nec apparent, fit tantulus, vmbra,
Sed eſt creſcere, decreſcere coram Deo. Vermiculus,nihil;in paruo dum conditur antro .
Vt nihil ante Devm,ex nihilo qui magna refundit ,
Ille fit, abiectis Stabulo ſeſe omnibus abdit .
Hinc Hieronymus ſacra loca ſubindè viſit. Numinis immenſi. Solymam,ceu circinus, omnem
Ambit ab hoc centro.pede nunc,nunc corde,rotatus
Circumagens varios, rediuiui Buſta Tonantis,
Cœnaculum vidit, in quo, Euchariſtiæ Sacramentū à Chriſto inſtitutum. Ruraque oliuarum vidit,Matriſque Cubile
Virgineæ, poſtquam victâ ſe morte Parenti
Reddidit Æterno Natus. Cœnacula,nube
Qua ſe triticeâ Numen velauit, adorat .
Euchariſtiæ laudes à S. Hieronymo ibi dictæ. Hic, inquit,pleno Devs æquore, fuſus in omnes,
Prodigus erumpens, ripas ſuperauit Amoris.
Partitus, ſine parte tamen, totuſque ſuorum ,
Atque ſui totus; fractuſque,infractus & idem ;
Vitaque, vitalis,ſed mortis imago cruentæ ;
Sæpiùs emoriens;conſumptus, & integer ; vnì
In ea Chriſti mors repræſẽtatur, Et ſatis innumeris, ſatis omnibus, vnus vbique
Totus,& in morem ſine corpore mentis, in orbem
Ibi Chriſtus eſt rei ſpiritualis ad modum. Se totum inſinuat Cereris,fitque altor,& eſca,
Fit ſcelerum virus, fit amabile nectar Amantum,
Candida fax, Cypriæque domans incendia fornax,
Fit noſtræ rota Fortunæ, ſpeculumque , beatos
Quod patulo Christi de corde repercutit ignes ;
Parmaque fit Fidei cæcos bellantis in hoſtes ,
Atque triumphalis per Tartara preſſa Curulis.
In eodem Cœnaculo Spiritus S in Apoſtolos illapſus igneis linguis Hæc vidit portenta Domus. rurſuſque diſertum
Ignitis linguis eadem proſpexit Amorem .
Oratore Domus tremuit commota potenti ;
Et reſono tonitru, vitali currere fluctu
Factus eſt de cælo ſonus. In caput, in ſacri fibras ,& corda Senatus
Eloquij ardentis cæleſtia flumina vidit .

Hinc

Hinc latè in cunctas potuit ſe immittere terras
Clara procella ignis, ceu miſſus ab æquore Ganges.
O fluuij torrente tui, Devs, obruar. ex te
Hæreſis armabor generoſa in prælia. caſſis
Cinge caput, bona flamma: vibro te, miſſile telum,
Hæreſis in furias. ſed fortiùs Arce tonabo
Nazareâ, quæ monte ſedet. dein talia fatus,
In iuga concepti properè contendit Amoris.
Vt nemorum dominus, telo inſultante, fatigat
Arua leo, monteſque ſubit, dum nobilis ira
Prouocat ad curſum, refugitque inuictus ad antrum,
Verberat vnde feras fremitu terretque fugaces;
Non ſecus intrepidos in Virginis Atria greſſus
Dalmata maturat: fremit altâ è Rupe, fugatque
Hæreticas terrore feras: ſilet, atque ſilendo
Se parat ad belli motus; calamumque, manumque
Virginitatis in Æde mouet Candoris in hoſtes
Virginei. nudâ dum Paupertate togatus
Armatuſque gerit bellum, iacit arma Cupido:
Vulnera nudus habet. Senis alto fixus ab ictu
Et rubet, & pallet formidine, telaque damnat.
Andrónicus iter celerat, ſequiturque maritum
Paſſibus & votis Athanaſia. Promere ab æuo
Hunc iuuat immemori curſum, cui curſor Olympi
Sol ipſe inuideat. Genitrix orbata gemellis,
Luctu merſa graui, pœniſque ingentibus ægra,
Rorabat lacrymis noctes; lucemque, doloris
Ipſa ſibi tenebris condebat; & obruta curis
Rumpere ſollicitæ cupiebat ſtamina vitæ.
Aliger, humanâ velatus imagine, luctus
Sic vultu, ſic voce fugat. Numquam ne leuari
Corda dolore ſines? ſatis eſt doluiſſe. quid vltra

Adorato Cœnaculo ad Nazarenã Virginis Domum iter habet. Cum accubãte leone depingitur, quia terribilis in hæreticos. D.Hieronym⁹ pro Virginitate contra hæreticos ſcripſit Andronicus, & Athanaſia ſanctitatem è Palæſtinæ peregrinatione retulere. Hæc quæ narrãtur fere omnia è vita desũpta ſunt fide hiſtorica. Mater gemina prole orbata, conficitur luctu. ex v. Illi Gabriel apparet. ſolatur. ad Hieroſolymæ iter hortatur. ex v.

Doloris damna.

Degeneri gemitu natorum gaudia turbas?
Magnus amor fit ſæpè furor. Si frena dolori
Laxantur, rapit in præceps, mentemque fatigat
Motibus indomitis. tibi credita pignora poſcit
Æquâ lege Devs: iuſtâ quâ lege negabis?
Perpetuo lacerat dum te cura anxia morſu,
Illa per arua voluptatum, Charitumque vireta,
Æternæ carpunt cæleſtia pabula vitæ,
Atque tuas rident lachrymas. dolor Æthera poſſet
Si tactu pulſare leui, dilecta doleret
Merſa tuo proles luctu. ſolatia ceſſa
Funeſtare tuis lacrymis: reprende ruentem
In tua mœrorem diſcrimina: viue Tonanti,

Labore à dolore diſtrahimur.

Cui gemini viuunt nati: tibi viue. labores
Mœſtitiam abſumunt, viuax ceu flamma vapores.
Linque vrbem, patrioſque lares; & cælite Regna
Sanguine fœta ſubi. quà viuida vena cruoris,
Vena voluptatis fluxit, ſolabere curas:
Areſcent oculis lacrymæ; mutabis amores.

Chriſti pœnis ſacrata loca perluſtrat in Palæſtina.

Mortuæ prolis dolorem ponit, ad memoriam Domini pœnarum dũ meltius, ac ſãctius dolet.

His paret dictis Mulier, ſocioque Marito,
Vt curas animi ponat triſteſque dolores,
Inuiſit monumenta Dei iucunda dolentis.
Iam magis illa, minùſque dolet: magis ardet amore,
Et minùs ardet: amor de pectore pellit amorem.
Numen amat, ſobolemque minùs. medicina dolori
Fit dolor ipſe, Palæſtinis de ſedibus hauſtus.
Miratur languere graues, & creſcere curas:
Siccari lacrymas; & dulci flumine labi,
Fonte alio refluas. pro caſſis lumine natis
Viuus amor torquet: tamen eſt tortura voluptas.

Adorat Chriſti ſepulchrũ.

Dia ſepulchra videt. nil iam mortale videre
Dignatur, ſepelitque omnes ſub marmore amores,
Numi-

Numinis vnus Amor quo viuat. Patria, coniux,
Commoda,diuitiæ,Mundique ſuperbia,Mundus ,
Ipſa nec apparet . ſibi ſola relicta Deoque,
Cætera ſiue nihil,ſeu vanas credidit vmbras .

E tumulo ad patrias concepti Numinis Ædes
Aſcendit Matrona . Nouus quis permeat artus
Spiritus, & vitâ melior quæ vita ? quis ardor ?
O maior Genitrice,inquit, genitorque Parentis,
Qui puer hoc olim ludebas Limine, Iesv ,
Ah mihi pro geminis puerum te redde puellis !
Tunc natos oblita meos, ſponſique, meique;
Virginis,atque tui curas complectar amoris.
Andrŏnice vale : ſine te mihi candida proles
Naſcitur ex vtero cordis : ſatis vna parenti eſt:
Affectus hæc vna animi ſibi vindicat omnes,
Et totam rapit hæc matrem . ſterileſcite poſthac
Viſcera: cor implet ſoboles, & vota parentis,
Quam gero,cordis onus,ſed amabile. Patria,ciues,
Tu coniux dilecte, vale . Andrŏnicus eodem
Dum calet igne: ſequor dùm te, te deſero, coniux ,
Atque fugax,inquit,tecum ſub corde morabor
Numinis . auellor: magis at deuinctus amore ,
Sponſa, tibi iungor,quia Christi iungor amori.
Diuidimur thalamis;ſociamur cordibus: vnam
Tramite diuerſo tandem veniemus ad Vrbem ,
In qua certa quies , claroque in lumine Verbi
Coniugis ora recognoſcam,atque à coniuge rurſus
Ipſe recognoſcar ; radiorumque integra nexu
Pectora nectet Amor. nunc vellimur. antra ferarum
Diſſita dum ſubeo, Thebis tu clauſtra Pudoris
Quære,ſoror. docet hæc thalami diuortia Sedes;
Noſtra vbi ſe thalamis, iunxit Natura, Tonantis .

Pergit ad Virginis Domum in vrbe Nazareth .

Ea viſa flagrat amore pueri IESV, natorum amore prorſus extincto .

Amore Pudicitiæ è Domo Virginis hauſto,coniuges thalamo diuiſi non corde ad diuerſa loca tendunt .

Andronici,ſpõſæ in vota venientis,vox .

Eremum Andronicꝰ, Athanaſia Virginum cœnobium Thebis ingreditur. ex v.

E S. Domus paupertate diſcunt omnia contemnere.

Paupertas opulenta Domus fugere omnia Mundi
Regna docet. fugiamus. opes, æraria Regum,
Tectaque ſublimi ferientia vertice nubes
Et fugio, fugienſque tero pede cuncta fugaci.
Me quoque cum reliquis fugio. pars optima cordis,
Nam te, ſponſa, mei dum deſero, transfuga cordis
Ipſe mei, deſerta peto, patriâ exul ab Vrbe,
Ædibus è patrijs, è ciuibus exul, & à me.
Hæc memorat, Pietaſque trahit per corda rigorem,
Sæuitieque pius dulci, placidèque ſeuerus
Vltima diſcedens non oſcula præbet. Amoris
Neſcit Amor leges; ſe neſcit; frigore torpet,
Dum facibus ferueſcit. Alexandria maritum,
Thebais vxorem felicibus occulit vmbris.

Poſt 12. annos rurſus è diuerſis locis Hieroſolymam tendunt, ſed mutata forma ie iunijs, alijſque pœnis voluntarijs.

Præpete ſol curſu duodenos voluerat annos,
Ex quo diuerſis par nobile ſedibus æuum
Duxerat. Illuuies pulchrâ caligine vultus,
Obſitaque ora ſitu maculauerat: antra, dolores,
Longa fames, tolerata ſitis, lacrymæque perennes,
Empta labore quies, rigidiſque rigentia ſetis
Tegmina, pauperies, ieiunia, flagra, catenæ
Vultibus abſtulerant vultus. nodo aſpera turpi,
Æmula, quæ fuerat Solis, coma colla dolentis
Vmbrat. fœmineo remanet nil Solis in ore,
Si excipias vmbras, oculorum & ſidera. malas
Lurida furatur macies: riget aſpera dorſo
Veſtis. inhorreſcit lacero ſic nubis amictu
Cynthia, cum nocti nox ingruit altera, nimbis
Quam fera tempeſtas, & cæco fulmine conflat.
Candorem tamen illa ſuum ſub nubibus atris
Seruat. ſidereos non turpant nubila vultus.
Suauior è medijs maieſtas emicat vmbris,

For-

Formaque virtutum. Sic deformata ferebat
Fronte diem, ſed corde DEVM Matrona fideli.

Pulchrior Athanaſia, quia deformior. Vxori deformatæ ſimilis Andronicus.

Quam geris Andrŏnice animo, geris ore, tuiſque
Moribus expreſſam, facie ſqualente coloras.
Candida namque furor, furor at germanus amoris,
Iraque, tranquillæ ſoboles placidiſſima pacis
Pectora ſulcarat ſaxis, floremque decoris
Flagrorum aſſiduo decuſſerat artubus imbre.

Athanaſia viri habitu peregrinatur.

Fax eadem interea conſortes intima mentes
Corripit, atque ingens inceſſit vtriſque cupido
Viſendæ Solymæ rurſus. Generoſa virilem
Fœmina mentitur ſexum, cui gratia mendax,
Et fugitiua diù ſpecies diſceſſerat ore.
Nuda comis ceruix, vilique intecta cucullo;
Lumina fixa; manus nodoſo fulta bacillo;
Fune ſinus præcincta, virum referebat amictu,
Virtutis fulgore Deam. regionibus ambo
Corripuere viam varijs; in Limina donec

In Nazarena Domo ſibi inuicem occurrunt. Vxor virum noſcit, ab illo non cognita. Arcano naturæ ſenſu vir vxorem incognitam amat inuitus.

Virginis ingreſſi, veſtigia, lumina, vultus,
Vota, preces, lacrymas ſuſpiria, cordaque iungunt.
Aſpicit vxorem coniux; videt iſta viciſſim,
Agnoſcitque virum non cognita. caſta ſed illum
Flamma monet, radiatq; animum ſub nube. repellit;
Excipit; atque nouum, quem diligit, odit amorem.
Verus Amor non cæcutit; non fallitur: igne
Fraudibus inuigilat, radijs & dimouet vmbras.
Lumina cæca licet ſint corporis; Argus amantes
Corde videt, pupillâ animi. Pius hoſpes vt æſtus
Coniugis ignotæ ſenſit, molleſcere pectus
Erubuit; ſecum indoluit. Quæ flamma medullas
Carpit, ait? quæ pura licet, tamen horreo cunctas,
CHRISTE, tuas præter flammas. Sunt omnia plena

Numi-

Numine corda tuo: nihil hic humana voluptas,
Nil amor vllus habet. timeo mea ſenſa, meum cor,
Et me; ſi quid amant præter te. cedite amores,
Cedite: cor vnum, DEVS vnus, & ardor amoris
Vnus erit. Molles iterum crudeſcite ſenſus.
Non ne habitata diù docuerunt ſaxa rigere,
Antra, feræ, rupes, & inhoſpita teſqua? ſalutis
Eſt rigor hic vallum; feritas Pietatis aſylum.
Omnia profundit, qui ſe diffundit in omnes.
Se quiſquis tenet imperio, tenet omnia: Virtus
Eminet, vt pictura fugâ, claroque receſſu.
Si riget illa, viget: rigor eſt, ceu ſpina roſetis.
Quid lacrymæ iniuſtæ caditis? diuina Virago,
Siſte cicatricem: latet hoſtis, & obuia telis
Inuiſis cur corda patent? quis Virginis Ædes
Intrat amor? diſcede procul. me Virgo volentem
Hìc totum depoſcit; vbi concepit Amorem,
Et totum mihi diribuit. dum talia ſecum,
Auertitque graues ignota è coniuge vultus,
Occurrit Matrona viro, ſed fronte Pudoris
Illice, qua ſacros accendit Numinis ignes,
Extinxitque ſuos. Salue ô bonus incola cæli,
Atque fugax, inquit, terræ, Peregrine, fugacis.
Non genus, & Patriam, non nomina quæro: ſat iſta
Frons habituſque docent. nullo frons arida cultu,
Sulcatæque genæ lacrymis, toga lurida, pallor
Te genus aſtrorum memorant: nam ſidera pallent:
Pallet Amor: Metanœa faces cinere abdit Amoris.
Tellurem premis inceſſu, nudoque viator
Dum pede; dum cento, funis, villoſaque corpus
Veſtis obit, Patriam temnentis lubrica, cælum
Eſſe ſat aſpicio. quæram quid nomina? nomen
Flu-

Coniux virũ alloquitur, & inuitat ad vitæ ſolitariæ conuictum.

Nomen quærere diſſimulat.

Flumina vt in pelago amittũt,ſic transfuga honorũ,
Sanguinis in pelago diuini, nomina perdit.
Serue Dei,hoc quando ſupereſt,dominator honorũ,
Et regnator opum, quia lumine cuncta ſuperbo,
Contemptorque vides,&rides, vnius heres
Numinis, & dominus, iubar immortale quod vltrò
Acclinat ſeruis,& votis ſeruit Amantum.
Quid fugis auerſo me lumine, teque ſodalis
Eripis aſpectu? Domus hæc regnantis Amoris
An docet eſſe feros, odijſque exaſperat iras?
Si Natura pares iungit, non Gratia iungat?
Non ſtudium Virtutis idem? non vita tenore
Ducta pari? dubitas? noſtro te reſpice vultu.
Reſpiceres ò corda ſimul? te, credo, videres
Moribus ipſe tuis depictum, animique colore.
Sit vidiſſe ſatis vultum, qui cordis imago eſt.
In macie, rugis, nigrâ cute, ſole peruſtâ,
Exeſis ſqualore genis te cerne, viator.
Talis ades, taliſque adſum. ſi nomina poſcis,
Nominis & noſtri facta eſt iactura; cruore
Vltrò, Christe, tuo dum mergor; vt inclytus indè
Nominis exurgat ſplendor, tituluſque perennis.
Ergo age: coniunctis ſtudijs, iungamus amores,
Et breuis hoſpitium vitæ: mox Ætheris aruis,
Ambo diuinis meliùs ſociabimur vlnis.
Sed dare Cælituum formam, ſuperique Theatri
In tellure iuuat primùm. vox vna,cor vnum,
Mens erit vna. procul turbâ ſtrepituque, beatæ
Pacis in amplexu, Superûm libabimus æuum.
Res vbi nulla animos agitat,contentio nulla.
Sic perit ignis edax, ſi nutrimenta negantur.
Pluma quibus thorus eſt,ceu pluma,mouetur ab irâ:
Sed

Deus quodãmodo videtur ſuorum ſeruorum votis inſeruire.

Damnat vxor mariti rigore.

Athanaſia tacitè nomẽ innuit Athanatos idem ac immortalis. Religioſa vita imago cæli.

Terrena bona diſcordiæ fomes.

Sed quibus alga thorus, vel terra, lapiſque, quieſcent
Ceu lapis in centro. cannâ caſa texta paluſtri,
Secura paupertas atque tranquilla. Stat iuncis ſecura ſuis, quaſſataque ventis,
Non bello concuſſa labat. Palatia Regum,
In terram redeunte rotâ, proturbat ab alto,
Non motat Fortuna caſas; tugurique ſub vmbra,
Decurrunt ſine nube dies. vacat ille timore,
Qui vacat Imperio. ſequitur formido Potentes.
Pauperies ſit fida comes: viuemus Olympo,
Huius ad exemplar Cellæ ſignantis Olympum.
Aſpice: pompa Domus, Paupertas vnica fulget.
Paupertas S. Domus diuitiæ. Hæc regalis opum luxus, diueſque ſupellex:
Et tamen, ô ſuperi, Sedes habitatis, ephebi;
Pax Chariteſq; habitāt. Superos imitabimur, hoſpes
Vnà pſallemus; patiemur; amabimus vnà.
Muſicus ardores, lacrymas, ſuſpiria, pœnas.
Harmonicis componet Amor concentibus: inde
Pax erit, ærumnas vitæ quæ condiet omnes.
Obſequijs ita, Christe, tuis, & honore ligatos;
Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi ſum. Mat. c. 18. Imò tibi iunctos, quem fratrum nexus in vnum
Dulciter arcanis rapit in conſortia nodis,
Nexibus exolues vitæ, tecumque ſolutos,
Sponſe tuo iunges cordi, thalamiſque pudicis.
Coniugis ambitus dictis, auerſa maritus
Lumina deflexit; ſeque in pia vota remiſit,
Dum putat eſſe virum. quæque olim vulſit Amantes,
In S. Domo ineunt conuiuēdi conſiliū. Diù cōuiuūt. Athanaſia moritura ſcripto ſe prodit. Hæc eadem caſto Sedes coniunxit amore.
At poſtquam multos animis concordibus annos
Exegere, vno rigidæ ſub fornice rupis;
Iam vitæ tangit dulces Athanaſia metas.
Conſcia vicinæ necis, & ſecura Pudoris,
Has ducit moritura notas, mandatque papyro.

Acta

Acta eſt, Andronice, meæ iam fabula vitæ.
Vultus mentiti ſcenam, & proſcenia tolle.
Coniugis exuuias cernes animæque fidelis,
Particulamque tui cordis. ſic viximus ambo;
Non ſine prole tamen. Pietas, Sapientia, Candor,
Mundi odium, fuga noxarum, Patientia, CHRISTVS
Germina connubij, ſobolesque fuere Pudoris.
Deſeret haud vnquam Genus hoc regale parentes.
In ſuperis alimenta plagis, capitique coronam
Immortale feret noſtro. tunc orta cupido
Tam pulchræ ſobolis; fœcundæ Virginis Ædes
Cum ſimul ingreſſi, cæli concepimus æſtus.
Præmiſſos ſequor hinc partus, dulciſſime Coniux:
Tu quoque me poſthac, partuſque ſequeris. amoris
Vincula virginei non ſeparat vlla Tyrannis,
Nec mors ipſa: vale. Sic illa: manuque papyrum;
Atque Crucem complexa, animum virtute virilem
Corpore ſeduxit; ſparſumque nitore cadauer
Coniugis in manibus liquit; ceu ſidera rorem
Lilia cana ſuper, placidè lacrymantia, ponunt.
Ille manus dum componit, dum lumina claudit;
Verba legit ſignata. ſtupor, formido, voluptas,
Lætitiæque dolor ſocius, mens, lumina, viſus,
Andrōnicum Andrōnico rapuere. ſibique
Redditus, vt tandem ſenſus vocemque recepit:
Quæ noua diuini præbent ſpectacula ludi,
Hæc, inquit, mea ſaxa? fugis, ſequeriſque maritum?
Ergo tuo, cælo graderis, ſine coniuge coniux,
Votis quærebas mecum quæ ſedula cælum?
Aſtra petis: ſimul aſtra petam. nos vnica iunxit
Mens animuſque vnus; nos vnica iungat Amoris
Re-

Pudicitiæ proles virtutes ſunt.

Athanaſia moritur.

Cognoſcitur ab Andronico

Viri ſtupor, lacrymæ, vox.

Digitized by Google

Regia perpetui; dum quæ diuiſimus vltrò,
Corpora mandamus terræ fulgore nouanda,
Cum ſuperingeſto renouabitur Orbis in igne.
Flamma Pudicitiæ quondam ſi cedere iuſſit
Corporis imperio, num cordis cedere iuri
Poſſumus atque animi, Pietas quos candida iunxit?
Si volat ergo tuus ſuper Æthera Spiritus, ibo
Quò volat, & Regno pariter donabimur ambo.
Haud equidem tali me nunc dignarer honore;
Ni coniux, meliorque tui pars coniugis eſſes.
Quæ ſunt vxoris ſunt coniugis. ambit Olympum
Spes innixa tuis meritis, laxataque factis.
Hæc mihi de amiſſa tantùm dos coniuge reſtat.
Fœmineus tibi mundus erat fuga ſplendida Mundi.
Hoc tamen ornaris per me; quia ſponte iugali
E thalamo migrare dedi, tædamque maritam
Ignibus æternis accendere. præmia poſco.
Per me calcato rutilas ſi pulchrior Orbe,
Per te quæſitis cæli ſplendoribus orner.
Si bene quid de te merui, miſerere gementis:
Te mihi redde: voca me ſortem mortis in vnam.
Me comitem legis, hoc cæco dum pumice viuis
Sponte ſepulta: comes te proſequar, Ætheris imples
Immenſas dum luce domos. Si fallis, & ora
Si tegis in terris; in lumine detege Verbi.
Diſſimulas vultum celaſque in Virginis Aula:
Aula Dei exhibeat manifeſtâ luce videndam.
Talia fundebat, cum dulci ſaucia curâ
Vita fugit, niueoſque artus, animaſque pudicas
Compoſuere ſimul, ſimul & rapuere coronam,
Pumice non arcto clauſi, ſed corde Tonantis,

Andronicus mortem orat et cælū ſperat, quò coniugem partem ſui præmiſerat.

Separatum ſe fuiſſe ait toro & corpore, nō animo; ideo petit, vt animo iūgatur in cælo.

Hoc ſperat ob vxoris merita

Quia quæ sūt viri ſunt coniugis.

Quia marita li ceſſerat in ipſam iuri, vt Deo tantùm vacaret.

Eſt

Eſt infiniti quod Amoris grande Theatrum,
Fortunati ambo, quibus vltima meta laborum,
Poſt iter ad pueri cunabula Numinis, Æther,
Virgo, Deuſque fuit; thalamuſque æternus Amoris.
Ille ſinus, Patris vnde Amor inſpiratur, & vnde
In ſe fœcundus fœcundat cætera flammis,

ITER

Digitized by Google

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

Maria Ægyptiaca è meretricio quæſtu, quem faciebat, Hieroſolymis à B. Virgine ſanctiorem ad vitam inuitatur. Beneficij memor Nazarenam Domum fert in oculis & in corde, & ab ea non longè nemus incolit ſolitaria. Narratur pœnitentis fœminæ gemitus & conuerſio.

Allegoria maris ſępè vſurpatur, dum ad Mariæ Aegyptiacæ nomen alluditur, Maria Aegyptiaca meretricium exercuerat. Impÿ quaſi mare feruens. Iſ. 57. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Gen. 1. Affectionum pugna.

SAxa Palæſtinæ vertit Devs. ergo querelis
Quæ noua ſaxa ſonant, gemitumq; euerſa volutāt?
An ſonitus maris eſt? cum ſe procliuibus vndis
In mare præcipitat ſepteno flumine Nilus?
E Nilo Maria erumpit: maria omnia vincit
Et fremitu, & lacrymis, & tempeſtate doloris.
Dulcibus illa diù Veneris iactata procellis,
Ipſa ſibi pelagus fuerat, ſcopuluſque Pudoris,
Et formâ monſtrum informe, implacata charybdis
Dum placet, & placido dum fabricat ore ruinas.
Denique ſe mare compoſuit Mariæ. aura ſalutis
Atque auriga Dei, quæ ſtrauerat æquora quondam
Nam ſuper incubuit, ſparſoſque ab amore tumultus
Preſſit Amor, facibuſque faces, atque æſtibus æſtus
Vicit auernales. luctatur fœmina ſecum
Fax belli, bellumque ſibi: dolor, ira, metuſque
Sollicitant: gemit, exardet: ſua crimina, cordis
Monſtra proceloſi, telo ferit hauſta doloris.
Sic Euruſque, Notuſque maris confligit arenâ,
Et ſuſpenſa timet, cui pareat vnda tyranno.

At

Digitized by Google

At poſtquam multas animo Maria anxia curas
Sorbuit attonito; ſic pectore voluit ab imo
In voces ſua vota. Oculis quæ ſcena recluſis
Panditur? æternâ venalis morte voluptas
In luctus horrenda migrat: ceruſſa fauillis
Concolor heu ſtygijs os inficit: ignea ſerpit
Flamma genis: crinalis acus fit flammeus enſis,
Qui ſuperimpendet capiti, mortemque minatur.
In colubros coma mollis abit: deſpumat Auernum
Spinea quod roſeum modò fixerat oſcula labrum.
Me timeo; ſequor, & fugio; ceu frangit, & vrget
Vnda inimica vndas, refluoque voluta recurſu,
Se premit, & premitur, ſe turbat turbida, tortor
Tormentumque ſibi. fugio. poſt terga Timoris
Flagra tonant. abſcede Timor: fugitiua, relinquo
Blandiméta, procos, hoc corpus, & hanc animã, & me.
Quò fugiam? mecum ſcelerum mare defero. Templũ
Littus erit, timidæ ſtatio tutiſſima mentis.
Oſcula littoribus dum præbet lympha, quieſcit.
Hæc memorãs, lacrymis & pondere naufraga Mũdi
Membra leuat gemmis; grauioraque vincula, crines,
Quòd leuiora fluunt, generoſa reuellit, & imbrem
Sufficit atrati cineris, ſeque arcet arenâ;
Numinis ad nutum quò cæca ſuperbia diſcat
Frangere luxuriem, ſcelerique imponere fines.
  Lux aderat generata vmbris, ſed lumine Solis
Clarior, inuidiam cui Crux educta latebris
Fecerat; ardenti ſtellataque ſanguine, rurſus
Sola diem expulſo referebat Sole. reuulſus
Sedibus Orbis adorabat rediuiua ſepulchro
Edomitæ iuga celſa necis, defixaque Templo
Victoris vexilla Dei. Tunc fœmina fluctus

Maria antiqua ſcelera deteſtatur.

Quò fugiat non habet, niſi interiùs ad cubile ſuum: pellitur inde, et cũ inde pellitur à ſeipſo pellitur. & ecce hoſtem ſuũ inuenit, quò confugerat. ſeipſum quò fugiturus eſt? quocumque traxerit ſe, cruciat ſe. S. Auguſt.

Templũ ſtatuit adire.

Se vanis ornamentis expoliat.

Cinerem capiti imponit, veluti luxuriæ aggerem.

Feſtus S. Crucis dies agebatur.

Huius cum turba templū adit.

Vt latè vidit populorum : his miſceor, inquit ,
Præcipiteſque ſequor fluuios mare . amara dolore ,
Flumine dulceſcam ſocio . diſcedite curæ :

Laus Crucis. In Cruce nauigamus. S. Auguſt.

Crux,aurora, diem rubicunda retexet , & ægram
Eriget è luctu mentem . Crux vltima noſtro
Cymbula naufragio, remus Crux,anchora , portus .
Si teneo; mea vota Cruci , mea corda ligabo;
Nec iactabor aquis. Cruce Spes non fluctuat;hæret,
Et ſedet ad clauum, moderatur & alta Profundum.
E Cruce Spes oculis cælum metitur & aſtra ,

In veſtibulo templi apparet illi armata diuina Iuſtitia.

Et iubet eſſe vndas,Fidei ſociata , fideles .
Hæc ſecum;properatque gradus . Vix limina Templi
Contigit ; inſolitus cum pectora turbinat horror .
Diriguere comæ ; nutarunt crura; fatigat

Terretur.

Oſſa tremor , tacitæque manus impulſibus acta
Pellitur hinc , atque hinc. lambens ita littora fluctus
Inde retorquetur . tremulo dum pallida viſu
Omnia perluſtrat , ſpectandam in luce malignâ

Iuſtitiæ diuinæ forma , & habitus.

Se dedit arma rotans Aſtræa . coruſcat , & ardet
Flammea cæſaries , atque aurâ ventilat iras
Vndabunda minis : dextrâ emicat enſis . Orion
Non aliter gladio terras , & crine minaci
Terrificat,pluuiaſque ciet . fert læua volumen ;
Signat vbi flammis hominum ſcelera , ignis & ignes
Euocat æternos . hoc exarat Ira Tonantis :
Sub prælo Vindicta premit : Mors publicat vmbris .
Non ſecus horrifico deſcribit ſidere cælum .

Diuina Iuſtitiæ ad Mariam vox, & minæ. Eam è templo pellit.

Funera Regnantum , multâ quæ nocte leguntur
Crinitæ facis ad radios . Ægiptia vidit
Vt ſcelerum tremefacta notas , ſeque horruit ; inſtat
Voce tonans Aſtræa . Fugam non corripis ? iræ
Vindicis expectas fulmen malè ſana ? recede .

Ara

Ara lupos diuina fugit, quas imbuit Agnus
Sanguine: Paſtoris Crux virga flagellat hyænas,
Omnia quæ tactu fœdant; eademque niuales
Cogit oues in prata. Crucis quid ſacra profano
Templa teris greſſu! neſcis ò perfida, neſcis
Hanc iugulaſſe voluptatem, cui corda litaſti?
Quid capiti cineris prodeſt inſpergere nimbos,
Atque animi ſeruare focis incendia Ditis?
Crux Mundi lampas tua crimina prodet; Olympo
Ardua dum frontem Titan ferrugine condet.
Crux erit haſta, aries, & duri machina cordis,
Delicijs quâ vulſa rues. lege, Cypria, flores;
Carpe roſas Veneris de vulnere. ſanguine vernat
Hìc roſa diuino: Pudor hæc colit arua: Pudoris
An fata calcabis? Crux in te, fulmen Amoris,
Iam rubet, atque flagrat calido inflammata cruore,
Hìc Deus eſt: diſſolue vmbras; nam criminis vmbra
Soluitur ante Deum, quem luminis vmbra coronat.
Deformis tua forma; ingrataque gratia; mundus
Quo malè cõpta tumes, immundus. gemmea ſordet
Pompa Deo, quem Virtutis vis vnica raptum
Aſpectu tenet, & paſcit. Cruce iudice monſtrum es.
Hoc ſpeculo damnata, procul pete luſtra ferarum,
Et niueis nidos ſacra Templa relinque columbis.

Vt diſcas quãtùm Crux luna lucidior & ſole ſplendidior ſit, apparebit tũc Crux. Laurent. Iuſt.

Poſuit tenebras latibulũ ſuum pſ. 17.

Crux ſpeculũ.

Quos Maria in gemitus tunc ibas? hoſpita rurſus
Tecta petis, philomela gemẽs, quam ventus, & imber
Arboris è viridi ſcena, dum carmina vibrat,
Protinus in latebras pellit, rupeſque ſilentes.
Obluctata diù ſcopulis æſtuque doloris,
In lamenta animum tandem rupit. feror, inquit,
Fiſſilis in partes. Spes, deſperatio, cælum,
Tartara ſollicitant. cælum patet: ima dehiſcunt

Territa Maria domum è templo redit

Eius querelæ diuerſique affectus.

 Regna

Regna Erebi: fugat hinc flagrum; cruor inde ſalutis

Ex eadem Cruce ſpes & timor.

Me pretium inuitat. rubet hic: heu teſſera belli
Feralis rubor exterret. Cruce pellimur aſtris;
Crux referat ſuper aſtra viam. ſi Templa negantur
Cæli veſtibulum, quæ in cælum ſemita ducet?
Non ne ſedet Templis Clementia? ſæua quid ergo
E Templis Aſtræa fugat? num crimina condo
Pectore adhuc tacito? fibras, & pectora vello:
Omnia prodo: patent penetralia cordis; abite.
Expuo; deteſtor mea gaudia, ſemina luctus:
Vos lacrymis pœniſque ſequor, ſtimuloque doloris.
Non ſatis eſt? vel morte ſequar: vel funere clauſis
Lucida luminibus lacrymarum flumina ducam.
Et tamen, ò Pater! ò riſus Pater, atque dolentum
Sola quies, lux alma riges, nec flecteris, vna

Cor Chriſti apertum lancea miſericordiæ aſylum.

In Cruce quem flexit latronis lacryma! aſylum
In Cruce ſi cor hiat, cor tango. corda tenentem
Iuſtitiæ cur tela premunt? appello Tribunal
Læta tuum, iudex Amor. O dolor! inde repellor.
In Cruce regnat Amor: Crux expulit: illa cruore
Ignea belligero, ceu dira phalarica mortem
Intentat, prohibetque aditus; ceu penſilis hortis

Mariæ ſecum loquitur ſui accuſatrix & rea. Deus impœnitentes iudicat & damnat, pœnitẽtes verò, quia ſeipſis ſuſcipit iudicatos, abſoluit. S. Cypriã.

Fata coruſcabat gladius, tenebraſque, faceſque
Aligero excubias agitante. Erecta reuoluor
Ecce iterum, votiſque cado. Chriſte! horreo Regis
Nomina, mancipium fatale libidinis. hoſtis!
Hoſtis erit, iam bella mouet, iam tela. ſalutis
Vena meæ! quam tu ſcelerum fœdiſſima tabo
Inficis, vt noceat. pater, ò pater! impia nomen
Iam dediſce patris: non parturit ille ceraſtas,
Quem fecundus Amore Parens è corde, Pudoris
Fundit in amplexus. Dominus! dominabitur; at tu

Quæ

Quæ iuga tænarei portas veſana Tyranni,
Serua furoris eris diuini. Seruit Amori
Vel feritas inuita. Deus! Iudex! ſapis: hic eſt.
Ergo feri; me ſparge vadis; allide; cruento
Tunde flagro; lacera; iugulum do; percute; ſæui:
Sed feriat tua dextra; tuus ferueſcat in iras
Mitis Amor. dimiſſa tui de pectoris arcu,
Atque imbuta cruore tuo, ſuccoque ſalutis,
Vulneret hanc animam neruo ſtridente ſagitta,
Et rapiat: manibuſque Dei perijſſe iuuabit,
E quibus exundat pluuio cum ſanguine vita.
Talia lugentem iamdudum ſenſit alumnam
Cypria; dum lacrymis ſæpè implorata decoris
Diſſimulat Chriſti Pietas. è nube ſerena
Protulit ora Venus, feralis vertice montis
Quæ Cruce pulſa, diù rabiem ſub corde coquebat,
Atque iræ tædas tædis ſociarat amoris;
Vt pareret noua monſtra. rubet ſibi flamma,roguſq;
Et diuerſa ſibi frons territat; allicit; ardet
Humida rore voluptatis, face ſicca furoris,
Terribilis, iucunda, ferox; odiumque ſuperbum
Pronuba delicijs noua per connubia iungens.
Denique componit furias in mollia verba.

Carperis occulto quid morſu, nata, doloris,
Extinguens te, meque ſimul? quid lacryma rorat
Vt ſteriles ferat ærumnas! Caluaria meſſem
Hanc retulit, referetque, Crucis proſciſſa ligone.
Palluit ante Crucem Solis lux: nubila mortis
Arbore ab infami ſparguntur. faſcinat vmbris
Gaudia; funeſtique iugi reuocata ſepulchro,
Lætitiam ſepelit, feretrum loculuſque dolentum.
Hæc tu depereas laniandi pulpita cordis!

Maria Venus apparet, & diuinam opē penè deſperantem ad antiquas voluptates inuitat.

Venus olim adorata, vbi Crux latebat in Caluariæ monte.

Dolosè varia Veneris forma.

Veneris oratio.

Crucem vituperat.

Scilicet inſanis: Crux eſt namque exedra, leges
Crucis doctrina Veneris ſectatoribus inſipientia. Vnde dabat terris dementia. amara voluptas;
Deliciæ vepres; lux auri nigra; ruinæ
Culmina Regnantum; Mundi ſapientia noctis
Chriſti doctrina, quam Veneri contrariam Venus irridet. Caligo; tranquilla quies fax horrida belli
In ſua membra fibraſque ſuas ſua viſcera; riſus
lacryma; paupertas opulentia; gaudia mœror;
Suffocata animi rabies vindicta; triumphus
Multa pati; ſpolia ampla nihil; nihil omnia; iura
Crux Chriſti Legis tabula. Hæc crucis in tabulis arat ingenioſa Tyrannis.
Crede oculis, tibi crede. gemis? Crucis vnda canali
Flebilis erumpit: Cruce tunderis: illa doloris
Alta cataſta tui. hac emitur mercede Tonantis
Seruitium, lacrymis, curis, & cædibus. ardes
Amorem Dei tyrannum vocat. In Crucis amplexus? te Crux amplexa necabit.
Si foueat, torquebit Amor, qui ſanguine natus
In Cruce ſupplicijs adoleuit. tortor Amantum
Nutritur lacrymis: exugit corda, premitque
Paruulus in fluidis veſtigia lubrica venis.
Hortatur ad delicias, antequam vita diffluat. Vtere delicijs, meque vtere. labitur ætas
Fluminis in morem: lacrymas quid fluctibus addis?
Quidue Crucis tua vota rati malè credula fidis?
Quæ curſu in præceps fugit irreuocanda volucri;
Quam ligat innumeris fera cura rudentibus; vnda
Cui dolor, & lacrymæ; cui terror ſemita, & error;
Sunt Hyades, pluuia aſtra, oculi; ſuſpiria venti,
Carbaſa quos captant; cui merx infamia diues;
Vitæ inter mortiſque vias cui meta ſepulchrum.
Radere poſtremas ſatis eſt hac littoris oras,
Cum vocat ad vitæ Mors, parcere neſcia, portum.
Suadet in fine vitæ pœnitentiam. Falle diem citharis, & amoribus. vltima quæres,
Vltima ſuccedet cum vitæ floribus ætas.

Ven-

Ventura aſſequimur; ſequimur præſentia. Virtus
Solo diſceſſu patuit Dea; cætera monſtrum.
In Cruce mors. moritura Crucem, cælumq; capeſse.
Aſt artus dum vita regit, cruciaria viues,
Et crux ipſa tibi? Emeriti dum conſcius æui
In breue decreſcit lumen Titanius ales, *Phœnix ſenex ſe parat ad mortem.*
Filius ipſe ſui, vitæ confinia tendit
Ligna ſuper, ſeſeque ferit, ſine ſemine flammâ
E ſterili genitus. Crucis hinc arentia diſce
Cogere ligna rogo; ſenio cum languida, in ortum
Læta reformabis fugiens in funera corpus.
At Veneris nunc carpe roſas, non arbuta mortis.
Viue tibi, moritura Deo. quo ſidera pulſes,
Momentum ſatis eſt: rapuit fur ſidera verbo.
Cauſa peroratur ſi rectè, vincitur. vna
Pictorum tabulas ſuperat ſi linea multas;
Si ſapis, extremam benè ducas; vincis Apellem.
At Maria auerſo iactantem talia vultu *Maria Venerem repellit à ſe.*
Vt dudum aſpexit, ſic denique dicta refellit.
Deſine plura loqui. maior mihi flere voluptas,
Omnia quàm potare tuis vndantia lymphis
Fœda fluenta voluptatum, iaculata Draconis
Gutture tænarei. fodiat me Spina Tonantis,
Non roſa, quam frontis ſpecioſa in vincula nectis.
Flore ſub intexto latet anguis: vipera nexu
Serta ligat, floriſque oſtrum cum peſte maritat.
Me dolor excruciat: crux eſt in pectore: curis, *A Cruce repulſa gaudet habere ſe pro Cruce dolorē in corde Crucem laudat.*
Vt clauis; terebror. ſatis eſt. Cruce pulſa, cupitam
In me figo Crucem: fugor, & ſequor. O bona cordis
O iucunda mei Crux pœna, ò pondus amoris!
O mea Crux, me ſiſte Cruci, quæ ſanguine ſudat;
Cuius ego amplexus emo fletibus. arbor honorum

Digitized by Google

Roſcida delicijs & pœnis, hortus Olympi,
Atque Pudicitiæ Via lactea; linea fortis
Vna meæ, te quæro oculis, te corde; tuiſque
Spes ramis ſuſpendo meas. te præfero regnis,
Illecebris, opibus; cælo; mihi. Cypria verte,
Verte gradum. hoc ſigno vincam. Caluaria vidit
Te Cruce deiectam, velut ariete. prona voluptas;
Delicias deteſtatur. Deliciæ molles; afflataque gaudia luctu;
Cæca libido potens luxu; maculæque Pudoris
Ornamenta; inopes & opes tormentaque cordis;
Grata venena; lues dilecta; animataque riſu
Funera lethali; pax bello ſæuior omni,
Tecum fracta trahant, cælo plaudente, ruinam.
His dictis Venus in tenues euanuit auras.

Videt expulſa iam Venere Deiparæ imaginem. Tunc Maria erectis dum Sidera luſtrat ocellis,
Æthere ſuſpenſam videt icona Virginis. ora
Lumine ſcintillant roſeo: ſe gratia fronte,
Imago B. V. quam vocant Modeſtiæ. Maieſtas oculis, diuina Modeſtia malis
Pinxerat; ignitæque niues, & candidus ignis
Iungebant geminos in dulcia bella colores.
Compoſitæ palmæ palmis; digitique tuentur
Aſt apices cælum. gremio criſpata niuali,
Concolor ardori cordis, deſcendit in artus
Palla: tegunt rutilos candentia flammea crines,
Demiſſi vexilla animi: ſunt vela Pudoris
Syrmata, quæ ventis placidè ſpirantibus vndant,
Cæruleas imitata vndas, iniectaque dorſo
Reginæ decus auguſtæ. Sic ora ferebat,
Sic oculos; cum Virtutum fidiſſima cuſtos
Mariæ pœnitentis ad hanc imaginem preces. Incoleret quondam Regina Modeſtia terras.

Illa graues lacrymis viſus vt imagine pauit
Virgineâ, flammaſque diù concepit Amoris:

O Virgo, exclamat, poſt fata reuiximus. æther
Quem nimbi cinxere, patet: ſedet iris in ore
Diua tuo: ſpes, aura redit: mihi reddita viuo.
Dulciùs vt viuam, Genitrix dulciſſima vitæ,
Da vetitum Crucis amplexum, qua Vita pependit;
Culta dolore tuo, mortis vernauit in aruis;
Cui vicina dabas lacrymis alimenta; vigorem
Exanimata dabas luctu, per & oſcula flores.
Illa tibi longas mœroris fuderat vmbras
Solis in occaſu diuini: lumina Solis
At tu ſupplebas radijs ardentis amoris.
His immortales fructus tepefacta ferebat:
Paſſaque culturam, clauis & arata cruentis
Exuerat ſylueſtrem animum, & de ſtirpibus imis
Dulcedo exiuit, ſuccos oblita priores.
Nimirum tua corda Cruci, tua viſcera, nodo
Iuncta vno, cuneis dum finderis icta doloris,
Inſeris occiſi per dulcia vulnera Nati;
Frondes & ramos, fructus, & nomina miſces.
Tu Nato Crucis arbor eras; tibi Natus: vtrumque
O ſi complectar ſimili inſitione! Sagittis
Imprime vulnus Amor: cor inſere Diua: nouellus
Hic erit exciſus caſto de pectore ramus;
Pullulet vnde recens meliori germine vita.
Annue lugenti Virgo. Virgo annuit; & vox
Icone miſſa tonat. Longos, Maria, exue luctus:
Te Crucis ad Templũ, quæ manat lacryma, ducet;
Vnda voluptatum ſi reppulit. ergo Penates
Ingredere auguſtos: cor, votaque, pectus & vlnas
E ligno ſuſpende Crucis; tranſgreſſaque nubes,
Inſere te cælo virtutibus: imprime formam
Corde Crucis medio, noſtro conformis amori:
No-

B. V. Stans iuxta Crucẽ hanc arborem feliciter exco-lebat.

Cor B. Virgi-nis inſituntur Cruci. Non fit inſi-tio ſine vul-nere.

B. Virginis Mariam cõ-ſolantis vox, & poſt viſam ſuo beneficio Crucem ad ſolitudinem adhortantis.

Nobilis hoc ſigno pete ſiluas. illa theatrum
Explicat in ſiluis arbor; nemorumque receſſu

Crucis laudes non in vrbiũ tumultu vernãtis, ſed ſolitudinis in receſſu.

Educat æternos cæleſti lumine fructus.
Vrbibus in medijs ſterileſcit: luce necatur,
Quæ micat è gemmis, quæ cæco funditur auro.
Illius extirpat ventoſa ſuperbia flores:
Sæuior eſt Auſtro faſtus; colleſque maligni
Culmina ſunt, quò ſurgit honor, quò vana volatum
Dirigit ambitio, pennis dum perſecat auras.
Crux Virtutis amat montes, quò Gloria ducit
Numinis, & toto Demiſſio celſior Orbe.
His viget illa iugis: illam experiere colendo.

Pÿ doloris vmbra è Cruce ſparſa lux eſt & ſolamẽ.

Non pluuiæ deerunt, non rores. roſcidus Æther
Stillatur Crucis in ramos, quibus vmbra ſerenos
Sparſa dies aperit: nam Sole micantior vmbra,
Quam miſeris facit illa animis, qua pectoris æſtus
Solatur, nebulaſque liquat, quas conglobat ira.
Excoquit ardores carnis Crucis vmbra: reponit
Cæleſtes ſub fronde faces, dum grata miniſtrat
Frigora. ne ventos cura, gelidaſque pruinas.
Intepuit poſtquam diuino ſanguine, fregit
Flammea Crux Boream, & ſceleratũ frigus aduſſit.
Illius in ramis, ſine compare turtur, amores
Sæpè meos cantabis: aues tua carmina reddent,
Et Crucis hoſpes Amor; pluuij qui ſanguinis olim
Muſicus ad ſonitum, me Nati cæde gementem
Voce ſequebatur. luctus Ægyptia pone;

Ante Nazar. Domum oliua floret & palma. Inÿs apes cõdunt mella.

Promiſſis & læta meis hoc mente teneto;
Hoc age. Nazareo quà vertitur orbita cliuo,
Templa ſubi. Pudor in fructus vbi floruit, illic
Obuia veſtibulum, Pacis tenet arbor Oliua,
Et lauro ſociata viret, ſedet hoſpita ramis,

Mel-

Mellaque fingit apis, quæ delibata dolores
Ingentes lenire valent, & frangere curas.
Hac ſi quis tenerum decerpat ab arbore ramum,
Et gerat ante Crucem; ramo placatur Oliuæ,
Atque Pudicitiæ pignus veneratur, & vltrò
Excipit amplexu cæleſtia dona ferentes.
Hæc oſtende Cruci: Crucis illico Templa patebunt.
Tantum effata, ſuo celat ſe lumine Virgo.
  Tunc Maria in Mariæ verbo veſtigia mouit:
Mella fauis, oleæ ramum decerpſit; & Ædes
Ingreditur ſecura, Crucis quas grandior Orbe
Implet Maieſtas, & Gloria. millia circum
Caſtra videt Superûm ligni fatalis in vmbra
Figere militiæ vexilla, & luminis arma.
Arboribus circumfuſæ circumque, ſupraque,
Non ſecus exercent cantus per inane volucres,
Dum Ver flore nouo campos, & Sole coronat.
Ergo diù poſtquam complexibus hæſit, & omne
Elicuit cor in lacrymas, mirabile viſu,
Aſpicit è cælo volucri deſcendere curſu
Armatam iaculis Pietatem. tela timorem
Non pariunt, ſed luce fugant. vbi flexit ad aram
Illa Crucis pennas, citharæ in vocale migrauit
Crux ebur, & carpunt citharam, ceu plectra, ſagittæ.
Hanc Pietas dum percurrit, digitoque flagellat,
Obloquitur Mariæ diſcrimine vocis amores.
  Erige te rurſus Iordanis, & omnibus vndis
Exulta. fluctu te ſupplice Nilus adorat,
Niliacæ ripas Mariæ dum ſternis, & audis
Illius aſſiduas altâ de rupe querelas.
Cocyti fuerat quæ ſpuma, en fluctuat auro,
Et liquidis gemmis oculorum fœmina. ſicco

Hæc libata dolores auferunt.

Decerptus ab oliua ramus Crucis in templum aditum præbet.

Hoc in templũ Aegyptia ingreditur: Crucem adorat ab Angelis adoratam.

Maria, quæ fuerat territa Iuſtitia, viſa Pietate recreatur.

Crux in citharam vertitur.

Ad hanc Pietas canit Mariæ geſta ventura.

Maria ſuper Iordanis flumen ambulauit. ex vita.

Te

Digitized by Google

Te pede calcat, aquiſque leui ſuperincubat igne.
Hac preſſus, frontem pretioſâ tolle procellâ,
Atque ſuper fluuios, ſuper æquora cuncta tumeſce.
Hanc ſequor in ſiluis, quibus in te concidit vmbra:
Venatrix ſequor hanc iaculis. fugit icta per antra,
Cerua velut transfixa: oculis fert ſaucia fontes,
Vulnera multa animo, laqueos & retia membris,
Promiſſis contexta comis. nemora alta, latentem,
Et ſuſpirantem ſua vulnera, promite. præda eſt,
Crinibus atque oculis quæ prædabatur: Amoris
Incidit in caſſes. curuate cacumina, ſiluæ:
Plaudite: feſta Crucis venabula dirigo: vulnus
Iam fero; iam ferio. lyra Crux, Crux lancea: ceruos
Ictibus, & cantu ſequimur. fera concidit. aſtra
Se ſuper extollit, noſtro qui concidit ictu,
Atque nitore natat, non ſanguine. plaudite ſiluæ.
Crux Venerem vicit: Veneris Crux vicit Alumnam.

Cerua fuit, quam ſolitarijs in antris Pietas venata eſt.

Cerui cantu capiuntur.

Audijt; & cantus magnis Ægyptia factis
Impleuit. ſubit antra, vago quæ proluit amne,
Littore dum ſpumat, Iordanis. merſa tenebris
Excipit ardores Superûm; tumulataque ſaxo,
Ipſa ſibi multâ viuens in morte, cadauer
Pro vitali aurâ ſpirat ſuſpiria: Numen
Mente videt pro Sole: amor eſt vitalis amanti
Illapſus calor in venas; eſt lacryma ſanguis;
Eſt coma palla; horror ſpecies, pigmentaq; nigror:
Eſt fera, ſi vultum ſpectes, ſed amabilis. ore
Ipſa fero feritas miteſceret. emicat vrſa
Sic ſuperis confixa polis, & lumine ridet;
Nomine terribilis. Quoties Iordanis in arua,
E niue concipiens maioreſque imbribus iras,
Præcipitabat aquas; atque antra propinqua dolentis
Au-

E Crucis templo, Iordanis ad ſiluas, & antra ſeſe recipit Maria, ſua ſcelera lacrymis proſequutura.

Audax tangebat liquido pede, protinus vndæ
Torquebant retro veſtigia: littore murmur
Vndique damnati lugebat criminis index.
Exitij timor in ſegetes, campoſque natabat;
Nazareum cum Diua iugum, Iordane relicto,
Clam repetens, veteri nido philomela querelas,
Tecta comis, & aperta animo, geminabat:& inde
Tela ferens; ceu cerua bibit quæ ſaucia fontem,
Et fugit, ad tenebras fulgoribus aucta redibat,
Quærebatque oculo tua Limina, Virgo, fugaci.
Non ſecus in Solymam Daniel cor, lumina, mentem,
Vibrabat, Babylone ſedens; licet antra leonum,
Et populi fremerent, cæcus vigilaret & Argus
Aulæ liuor edax, qui deuorat omnia viſu.
Non ſecus Iſacidæ, citharis ſuper arbuta iactis,
Pectora tundebant, miſero reſonantia queſtu,
Fluminis ad ripas, & cantu membra leuabant,
Pondere preſſa catenarum. dum in Templa Sionis,
Ibat & in Solymam mens libera, lumina mentem,
Et pia vota ſequebantur. captiua ſub antro,
Crinibus ipſa tuis religata, Aegyptia, Sedem
Virginis inuiſis. Solymæ noua Magdala luges:
Fixa loco, votiſque volans, ſuper omnia fundis
Cor loca, nobilitat quæ fuſo ſanguine Numen.
Plectra ſilete: diu ſequor hæc; dũ plectra tumultus
Belligero fremitu turbat, diruſque tubarum,
Dum reſonat clangor; dum Turca ferociùs arma
Tractat in excidium Pacis, poſt fata Tonantis
Quæ Solymæ regnabat agris, nunc mœſta dolores
Solatur lacrymis; bellique exoſa procellas,
In Mahometiadum precibus ſe, ſe armat Erynnes.
Quina vbi fluxerunt cum ſeptem ſecula luſtris;
Cum Ghibellinis, Guelphiſque frementibus Orbis
Ob-

Viſebat interdum Nazarenam Domum, & inde ad Iordanis antra reuertebatur. Ad eam ſæpè vertebat oculos & cor. Contra Hieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua & adorabat. Daniel. c. 6. Super flumina Babyl. illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. pſ. 136. SS. Virorum & fœminarũ peregrinationes ad loca ſancta. Turcarum iterũ armis turbãtur.

Digitized by Google

Pacifer è Nazarena Domo cœlum ſubit, opem à Deo pro Syrijs impetraturus.

Obſtreperet, quos Henricus Germana Megæra
Fuderat in Latium, Seruator Pacifer horti,
Atque tuæ, Pax alma, Domus tot ſecula cædes
Voluere Chriſtiadum, ſcelerum auxiliaribus armis,
Indoluit: populique fugas miſeratus amantis
Sidereum in ſolium ſe Numinis extulit. illum
Nubila tranantem ſtellata volumina feſtis
Cantibus excipiunt. ſunt muſæ ſidera cæli,
Luminis ad fontem quibus eſt pro cantibus ordo.

Qui facit cōcordiam in ſublimibus. Iob. c.25.

Temperat hos cantus Concordia, lætaque flores
Paciferi iacit ante pedes, choreiſque coronat,
Decerptiſque roſis rutilæ Cithariſtria pubis.
Tramite quin etiam, meditantem plurima, lucis
Aligerum ducit, quem nec iucunda ſerenant
Carmina ſtellarum, roſeo nec lapſilis imbre
Florrida tempeſtas. ſecum Concordia pugnat,
Multa mouens animo, ſtelliſque ſilentia mandat;
Vel iubet harmonico modulari murmura queſtu.
Scilicet importat tranquillis nubila regnis
Pacifer aſpectu, lacrymis & gaudia turbat.
Sol quoque Naturæ interpres, Sol publica Mundi
Lingua; quid hic, inquit, portendit, Pacifer, oris
Decolor aſpectus? ſæuo indulgere timori
Haud Pacis decet Aligerum, atque ægreſcere curis.
Tu lucis lux alma meæ, curſuſque perennis

Sol dolere miratur Angelum pacis & lætitiæ.

Irrequieta quies, quæ nunc diſcordia mentem
Sollicitat? quæ cauſa genas indigna decoras
Proijcit in tenebras, mortemque in luce colorat?
Ille nihil: reſponſa oculis fert lacryma: & inde
Sidera rorarunt, ſocio lacrymantia luctu,
Arnaque luctifico gemuere madentia rore.
Dum ſilet, in Solem coniecit lumina furtim,
Et flammas Soliſque iubar, vel nubilus, auxit.

Pa-

Pacifer vrget iter, cæloque receptus amico,
Conſtitit ante Deum, teſtatus voce dolorem.
O Pater, ò Pacis Pax vnica, dixit: Amoris
Quæ ſedes fuerat, quæ Regia Pacis Idume
Bella fouet, Martemque ſinu. numquam ne leuari
Hæc mea Regna ſines armorum mole? Canopus,
Romani, Perſæque, Arabes; nunc denique Turcæ
In ſolymæa ruunt diſcrimina. terra tot impar
Hæc labat excidijs. non hæc amor ille petebat,
Non Verbi cruor ille tui, lac Pacis & ardor,
Et ſopire potens iras, & perdere bella.
Hæccine Terra, fluit quæ melle, & lacte? veneno
Tota natat ſtygio, dirâque tyrannide ſæuit.
Quot deſerta olim iacularunt teſqua ceraſtas
In caput Iſacidum, tot pullulat illa colubris;
Quæ ſitiunt non fontis aquas, ſed ſanguinis imbres.
Sæuior Ægypto, Pharaones improba centum
Mater alit: ſcelerum caligine cingitur aër:
In Nilum Iordanis abit; tumiduſque cruore,
Territus ad fontem turbatas conuocat vndas.
Niliacum fugiſſe iugum, & ducente columnâ
Nubis & ignis, Erythræas calcaſſe procellas,
Quid iuuat? Ægyptus Solymæ ſi naſcitur oris.
Hic cruciaſſe tuum ſcelus eſt ſine crimine Verbum,
Grande ſcelus (fateor) nullâ quod cæde pietur.
Iſacidæ commiſſa luunt, & mortibus ipſam
Quam multis mortem ſatiarunt! fata laborant:
Ipſa Dei ſudat Vindicta: effœta ſeneſcit
Ad tormenta, cruces tellus enixa; doletque
Informes partus, & brachia tendere morti.
Excipit indignata iubar ſolare: virenti
Vertice non dulces vmbras, ſed proijcit atras

Paciferi ad Deum oratio.

Fontē Moyſes virga elicuit, quem hydri ſitiebāt. Aegypti plagę renouata.

Iuſſit Titus ſuffigi Crucibus multiplicato in tātùm numero vt iam ſpatium crucibus deeſſet & corporibus Cruces. Ioſeph de bello Iud. Lib. 6. c. 5.

Fu-

Funeris heu tenebras admiſſo à Sole rebelles.
Quæ pendent, latijs laniantur membra moloſſis:
Hebræi per orbem vagi.
Oſſibus albet humus. populi, quæ fortè ſuperſunt,
Relliquiæ miſeræ, Mundi ludibria, ponti
Spuma proceloſi, frondes, pappique volantes
Pretio venditi viliſſimo.
Verberibus mutare domos, dominoſque coacti,
Et pretio pecudum venales, tædia mortis,
Impleuere vrbes lacrymis, atque aëra queſtu.
At tua, Chriſtiadæ, Soboles dilecta, cruore
Nati nata tui, pretioque redempta dolorum,
Cor, pupilla, tibi ſimilis; cui ſidera, cui te,
Omnibus exhauſtis donis, in præmia donas,
Quid nequit heu Solymę cinerem inſediſſe ſupremū,
Pacifer dolet Chriſtianos à cuſtodia ſanctorum locorū expelli.
Iactaturque mari fugitiua; vel enſe cruento
Corda litat furijs Turcarum? euadere peſtem
Da Genitor, gentemque tuam, tua viſcera ſerua.
Si perit illa, tui quis pignora dulcia Nati
Seruabit? ſacro ſtabulabitur effera buſto
Improbitas, Sedemque meam, niueæque Parentis
Aut colet impietas, aut eruet. ergo potenti
Prælia tolle manu: vel me cum Sede ſalutis
Belligeris ſaluum terris migrare iubeto.
Talibus orabat: cui magni Rector Olympi
Dei ad Paciferum reſpōſio.
Reddidit hæc. Te redde tibi: languore fatigas
Quid felicem animam, mens Pacis alumna? doloris
Terge notas. lugere nefas, vbi gaudia pleno
Vnicus Dei obtutus potēs omnem luctū abſtergere.
Gurgite voluuntur. me reſpice, & exue luctus.
Ad tua Tecta, voluptatum ſic plena, redibis,
Conſilijs ſecura meis. Sententia menti
Hæc ſedet, vt rurſus per teſqua, per arma, per ignes
Regna Palęſtinæ quærantur. cætera mitte
Quærere. iam radius noſtro de vertice fulgens,

Atque

Atque vmbras inter nemorum radiauit, & arſit;
Incaluitque Petrus concepto lumine. in arma
Vox mea, vis mea diuulſos toto Orbe Britannos,
Europamque Aſiamque trahet. ſic paruula ſiluam
Corripit ingentem ſcintilla. Ille erutus antris,
Silueſtriſque, rudiſque; meo ſed doctus ab igne;
Erudiet Proceres, Regeſque in bella: reuellet
Orbem ex Orbe, Duciſque vices pannoſus obibit;
Signabitque ſagos Chriſti Cruce, pectora Chriſto.
Signa Latina Palæſtinis, hoc præſide, muris
Et Solymæ figet Gofridus, Regnaque victor
Transferet in ſeptem non interrupta Tyrannos,
Qui Pietate manuque aras,& Templa piabunt:
Templa Deo,Templiſque Deum, puteoque ſepultũ
Reſtituent ignem lacrymis,ſudoribus,armis.
Hoc iterum extincto,Solymæ noua bella caleſcent
Chriſtiadum turpi flammâ, quam flamine molli
Ventilat ambitio. Dum quiſque ſuperbiùs ambit
Regna ſibi, Rex nullus habet. concordia Reges
Quos facit & ſeruat, diſcordia diſſipat. Iras
Cæde ſoporatas Saladinus ſuſcitat. Æſtas
Octoginta vias atque octo vbi torſerit, Vrbem
Chriſtiadum Imperij ſedem, recidiuaque bello
Mœnia tentabit. quam cæca ſuperbia primùm
Verterat, euertet Solymam, Regique Latino
Auferet Imperium. Tunc experrecta veterno
Europa in bellum votis concordibus ibit.
Perque dolos perq; arma mouens pia caſtra, cruore
Sordidus illuſtri, Syriâ Fridericus arenâ
Se ſtatuet feſſaſque acies; & ſanguine Thracum
Abluet & ſudore genas & puluere fœdas.
Aſt iter immenſum vitæ breuis hora ſecabit;

Petrus Eremita laudatur à Deo, cui belli mouendi prouinciam deſtinat.

De cælo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. Thren. 1.

Septem Hieroſolymæ Chriſtiani Reges.

Sic Nehemias puteali ex aqua ſacrum ignem accendit. ex Mac. l.2. c.1 & re ipſa ſingulis annis die Sabbati S. ignis de cælo deſcẽdens S. Sepulchri lampades accendebat. ex Tyrio.

Ambitio Chriſtianorũ procerum inter ſe diſſidentiũ occaſio belli. ex eodem.

Ordo bellorũ. Poſt bella geſta à Godefrido, à Friderico, à S. Ludouico S. Dom⁹ deferetur in Italiam.

H Et

Et toto ingentem truncabit ſtipite palmam.
Victorem feret vnda Saleph, fluuioque natantem
Mors ſubitò excipiet. ſic gloria labitur inſtar
Fluminis: attollit, liquido merſura ſepulchro.
Tunc diſciſſa Ludouicus certamina iunget;
Imbuet & Syrios venis hoſtilibus agros.
Sed repetet dum rapta armis, rapietur ab aſtris.
Succedit reparatque acies Henricus. at auro
Incubat & ſceleri dum miles, vbique refuſis
Iam mea flagitijs patientia vincitur. Omnes,
Chriſtiadum quotquot fuerant, in iura Tyranni
Cum populis vrbes, cumq; vrbibus æquora voluam.
Tunc Pacis comes & cuſtos cum Virginis Æde,
Pacifer, Italiam ſpolijs opulentus honorum
Intrabis: clades atque omnia monſtra malorum
Inde procul pelles. populi ad tua dona coibunt,
Et Stygis & ſcelerum reuoment incendia prædas,
Te præſente. Italis diſcedes denique regnis,
Si Titan ſtabit, ſi terra rotabitur, æther
Si fixas aliò ſtellas accendet in axe.
Picenum facili ſurgentem vertice montem
Hìc tibi Nazareo ſternet pro colle; propinquâ
Pro Solyma te Roma colet; tibi Templa dicabit
Principis auſpicijs, qui ſidera colligit oſtro,
Meque animo. Tu frange metus. ſic fata viceſque
Sortior: is rerum cum tempore vertitur ordo.
Ergo redi: iam Petrus iter peregrinus ad Ædes
Nazareas vertit. Pacata & bellica Virgo,
Exceptura virum, ſua tecum Tecta reuiſet.
Hic finis fandi. curas in gaudia vertit
Pacifer: è vultu mœroris dimouet vmbras;
Bellaque tranquillus ſecum ventura volutat.

Illius in Italia ſtatio perpetua.

Em. Card. Pallottus.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS
LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

B. V. ſuam in Domum deſcendit. Ad hanc orat Petrus Erem. pro Palæſt. recuperanda. ab ea monetur vt ſuadeat bellũ, ſuadet. Godefridus mirè armatus & defenſus pugnat. vincit. regnat. Turca iterum rebellat. Hieroſolymam occupat. Chriſtiana mulier deſperat, & filium iacit in mare. Saladinus, Vrbe capta, Chriſto illudit, & Cruci. Sacerdos hanc tuetur verbis, & ſanguine.

PAcifero redeunte, redit Regina Virago
Ad Patris & Patriæ Sedes in nube niuali. *Virgo cum pacis Aligero in Nazarenam Domum deſcendit.*
Pro curru Aligeri certant ſubſternere pennas,
Et Dominæ vallare latus. Sunt aſtra capilli;
Sunt oculi ſoles; ſunt vitæ labra canales; *Eius habitus et pulchritudo.*
Iridis ambitio frons eſt; gena gemmat; in ore
Deliciæ vernant, Maieſtas, Ætheris horti.
Florida ſunt Tempe regalia ſyrmata: cuncta
Hauſta putes ſerto patrimonia lucis in vno.
Dum graditur, retinent mirata volumina curſus,
Attonitæque manent ſtellæ, vertigine preſsâ:
Sol ſtupet immotus: quam ſæpè fugauerat, vmbram *Sol ante Virginem vmbra eſt.*
Se nunc eſſe videt Diuæ prope lumina. at illa
Sole fugit præſente; ſua ſed lætus in vmbra
Stat Titan, fruiturque magis palleſcere coram
Virgine, quam proprijs redimire nitoribus Orbem.
Hac iter intendit diuina Puerpera pompâ;
Et pluuios radios tectis infudit auitis.
Fortè aderat Petrus terris iactatus & vndis,

Petrus Eremita Nazarenam Domũ peregrinus inuiſit. Amplexuſque Domum, portu ſic vota, reperto
Soluebat. Mea meta, Parens, mea vita, laboris
Solamen, pretiumque mei, te corde capeſſo,
Mordet & hæc ſacrum non mobilis anchora littus.
Adorat. At quid non feruent peregrino littora Mundo?
Miratur eſſe populis Chriſtianis infrequentem. Nuda Domus cultu, populiſque frequentibus orba,
Quæ tegit amplexu cælum, munimine terras?
Exul erit Natus Genitricis ab Æde? lupiſque
Hæc tua Tecta vlulant Syrijs habitata? tuoſne
Dolet eſſe in hoſtium poteſtate. Hoſtis habet muros? Domus omnipotentis Amoris
In media ſtabit fundata tyrannide? cuſtos
Turca erit, Aligeris dum cuſtoditur? an enſes
O Superi torpent veſtri ferrugine? Virgo,
Virgo mei vis tota animi, tua ſi agmina ceſſant,
Petri Eremitæ dolor Ieremiæ Threnis exprimitur. Omnes impellam faciles in prælia terras.
Cernis vt inſultent hoſtes, populoque fideli
Vrbs viduata gemat? pendit Regina tributum,
n. 1. c. 1. Arcenturque manus manicis, quæ ſceptra gerebant:
n. 2. Sola ſedet: ſolante caret; dum fonte perenni
n. 3. & ſeq. Lacryma maxillas vrit. deridet amicus,
Hoſtis & illudit: lacrymantur Templa Sionis:
In feſtis quæ feruebat, nunc ſemita luget.
Iam cecidere fores, & deſolata requirit
Ara Sacerdotes: palleſcit Virgo, Pudori
Dum timet: armillas in ferrea vincula verti
n. 11. Ægra dolet, Turcaſque ſuis diteſcere gemmis.
n. 12. Obſcœno ſaturanda cibo, patrimonia, gazas,
Omniaque infelix pendit pretioſa. Videte
Quotquot iter teritis vitæ turmæque, Duceſque,
Regnaque cum populis, populi cum Regibus omnes,
Si dolor eſt ſimilis. facta eſt vindemia gentis:
Vertitur atra dies irati Numinis: ignis

Oſſa

Oſſa vorat; legemque Dei, ſeruare magiſter
Flammarum docet eloquio: ſed deuouet idem
Ignibus æternis ab Amoris lege rebelles.
Nectuntur pedicæ pedibus, vigilique premuntur
Colla iugo ſcelerum: Virtus cadit: ipſa vocantur
Tempora, præcipiti quæ pulſent pectora curſu,
Et ducant ſuper ipſa rotas præcordia: calcat
Torcular Omnipotens, & Sanguinis exprimit vndas.
Ille Sion nigrâ texit caligine: vt hoſtis
Armauit dextram telis, arcumque tetendit:
Diiecit muros; aras euertit & arces.
Plauſerunt palmis inimici. Reſpice Virgo,
Reſpice vindictæ labefactam turbine gentem.
Hæc tua Virgo Domus: colis hæc ſi Limina præſens,
Da cœptis robur. Tunc illa è nube refulſit,
Spirauitque Deum vultu; venataque Petrum
Caſtis illecebris oculorum & lumine: cœptis
Robur, ait, dabo: ne dubita: dum me impleo pectus
Ipſa tuum, tua lingua canat, tuba bellica, pugnam.
Pontifices, Regeſque voca. Sic Virgo: diemque
Crinibus euibrat, vittataque nube, recedit.
Tunc Petrus Vrbanum Latia ſubit arce ſedentem.
Virgo parens, inquit, tua nos ad limina mittit.
Imperijs agit illa ſuis in prælia Mundum,
Viribus atque iubet iunctis confligere. Bellum
Haud placido, Princeps, gremio excepiſſe pigebit:
Hinc etenim pax naſcetur, pax filia belli.
Tu potes vnanimes trahere in certamina Reges:
Nunc debes. Virgo iuſſis ingentibus vrget.
Reddidit Vrbanus. Per ſomnum obiecta ſecundet
Bellipotens ſua viſa Deus. Vidi Arce per Orbem
Nazareâ flammas inſonti currere tractu;

n.13.
B. Virgo Petrum ſolata eligit in belli principem.
Et quidem id temporis Deiparam apparuiſſe cum Filio crucem in fronte gerẽtem, & cum Petro Apoſt; Chriſtianiſq; ſcelera exprobraſſe, et ſpem dediſſe victoriæ multi affirmant apud Gretſerum de Cruce l.2.
Pontificem Petrus adit, & hortatur ad bellum.
Meditatur et orditur belliũ Greg.VII. in Gallia profugus. Vrb.II. vrget.
Somnium narrat Vrbanus.
Coëunt equitum 100000. pedit.600000
Ex hoc numero, cæteris morbo & labore

Regna pererrantes, Reges ambire Duceſque;
Cum populis concire vagis ardoribus vrbes;
Donec ſe cælo retulere; & nube ſepultæ,
Fulminis in flammas iterum erupere ſepulchro,
Atque Palæſtinam ſuper incubuere minaces.
Omen adoro tua firmatum voce: ſequemur
Numinis imperium. pugnam cælo auſpice dignam
Tu ſermone para: tibi cura impellere gentes
In mea iuſſa. Petrus circumfert voce Tonantem,
Omnia cui parent. inuitat in ardua Reges
Prælia cum populis. Iam claſſibus æquora, tellus
Milite iam feruet: mandunt centena lupatos
Millia quadrupedum, ſexcentaque millia campos
Obſcurant peditum. Crux omine firmat euntes,
Ignotum quæ monſtrat iter; dum Solis ab ore
Effulget redimita, minor nec Sole coruſcat.
Aëreis peregrina plagis ſic ignea nubes
Abramidis vario præluxit in æthere vultu;
Sacra Palæſtinis portant dum prælia Regnis.
Cætera quin etiam portenta fauentia quondam
Iſacidum caſtris, fauere cohortibus, armat
Quas Romana Fides; ducitque Potentia victrix,
Prodigijs, & fulmineis armata ſagittis.
E ſilice arenti, duplici quem contudit ictu,
Abramidum ductor Moſes, non emicat ignis;
Lympha fluit, lactis populis ſitientibus vber.
Chriſtiadum errantes per deuia teſqua phalanges
Humentem ſiccis dum captant aëra labris,
Hybernæque rogant auidi conuiuia brumæ,
Virgo roriferos cælum liquefecit in imbres.
Extulit horribilem Moſes in prælia virgam
Sanguine Niliaco ſtillantem: Numinis Haſtam

San-

abſumptis in via, millia equitum & 500, peditum verò 2000. Hieroſolymã tenuere. ex Tyrio.

Viſa Crux cælum attingens, & brachijs Orbem amplectens. Roger. in Ann. Anglicanis ad ann. 1184.

Renouantur antiqua Hebræor. prodigia.

Ros ſuper exercitum noſtrum deſcendit. Quicũq; eo imbre cęlitus immiſſo tactus eſt, ita plenam mẽtis & corporis ſuſcepit hilaritatẽ, tamquã nihil laboris paſſus eſſet. Tyrius.

Crux Chriſti & lancea hoc in bello allata eſt: quã cũ cum Corbalõ

Sanguineamq;Crucem tulerunt Chriſti agmina,belli
Omina felicis, Barathro fatalia ſigna.
Dulce per augurium dum Crux, & Lancea ducit,
Ite animæ ingentes; arcem mutate Sionis
In Vaticani cæleſtia culmina montis.
Omnes vna arcus & conteret Haſta ſagittas,
Omnia Crux rapiet, Crux vnica ſigna ferocis
Odryſij. Calet Haſta Dei flammata cruore;
Et, potura hoſtis venas, vel millia mortis
Fulmina ſuccendet: Solymæ hac venale ſub Haſta
Imperium vobis, pretio ſudoris emendum,
Præco Amor exponit. Properate per inuia Regna:
Numinis Haſta viam reſerat: reſerabit & æquor
Sanguinis: hac Syriæ penetrabitis inuia Regna.
Clauis erit: pandet ferro, vel ſanguine franget
Mœnia. ſic cæli diſrupit limina ſanguis.
Hoc ferro ſulcos agris ducetis; vt inde,
Sparſa cruore hoſtis, meſſis prorumpat honorum.
Indiget haud ſtimulo Virtus;ſequiturq; volantes,
Non præit vox noſtra Viros. Compendia quæro,
Nec narraſſe vacat; dum voce citatior omni
Præuolat Armipotens acies, & deuorat alis,
An pedibus, curſuque vias, & prælia portat.
Præluxere igitur poſtquam portenta triumphis,
Poſt varios caſus Syriam tenuere Phalanges.
Prælia Turca dolis, armiſque immiſcet vbique:
Vincit vbique Deus: victoris & armiger enſem
Atque iras Gofridus agit, nutumque iubentis
Mente premit, labariſque notat, quæ littera circum
Hæc inſignit, acu & filo depicta: DEVS VVLT.
Vicimus ergo: voluntati vis nulla reſiſtit
Numinis. ille iubet: iam vicimus. arma mouere,

princeps Turc. videbat, in ea viſione cæleſtis armaturæ permanebat immobilis. Albertus Aquenſis.

Signum hoc militare natū ex vnanimi totius multitudinis ad Orationem Vrbani Pontificis apud Clarum montem acclamatione & vexillis præfixum narrant Robertus lib. 1. hiſt. ſac. & Gretſer. t. 2. de Cruce.

Godefridi in monteOliueto ad milites cõcio.

Eſt iactare manu palmas, prædâque potiri.
Fixa Palæſtinis hæc teſſera, credite, muris
Ducet in auxilium Superos, Solymamque recludet.
Omina ſed pugnæ, volitent in vertice primùm
Montis Olıueti victricia ſigna. Voluntas
Hinc Patris affulſit Verbo in certamen ituro;
Proſpectuque necis pauidum, ſcenâque dolorum
Armauit pœnis, animauit imagine palmæ.

Chriſto ad bellum cõtra Luciferum ituro prælu-xit hoc in mõte Patris æterni voluntas. Hac manifeſtata dixit: ſurgite eam⁹. Hanc Domini alacritatem dux aſſerit imitandam. Abimelech aſcendit in montem Selmon: præcidit arboris ramũ, victoriæ omẽ. Iudic. Godefridus vngitur ab Angelo in Regem Chriſti ſanguine è gleba Olıueti montis expreſſo.

Audior. In montem Dux agmina tendere Oliuæ
Atque iubet reſonare tubas, & talia fatur.
Da vexilla Notis, vexillifer: illa loquuntur;
Illa animos ad bella parant. Diuina voluntas
Vos regit: arma mouet: Dux eſt, atque arbitra belli.
Hanc Socij ſpectate. Deus, Deus ille, Parenti
Par Soboles, hoc monte graui ſub mole dolorum
Dum cadit, & preſſus curis, & ſanguine merſus;
Stratus humi, & victo ſimilis, dum proijcit arma,
Emicat in bellum, tollitque è puluere vultum;
Aligero monſtrante, patet dum teſſera belli,
Diuinique Patris cæleſtia ſigna: DEVS VVLT:
Tunc iterum capit arma: Metum, triſtemque Dolorẽ
Vulnerat, & clamat. Socij iam ſurgite: eamus.
Formido ſcelus eſt. Deus imperat. imbre timores
Obruit hic roſeo frontis, vireſque cadendo
Erexit noſtras in prælia. ſanguine Numen
Hoc pudeat ſudaſſe iugo, pro Numine venas
Sanguine ni exuimus, pectuſque implemus amore.
Quamquam ſudorem dabimus nos; Turca cruorem.
Has oleas inter nobis victoria floret,
Quas victor rorauit Amor. Dum vertice Selmon
Abbimelech ramo armatus viridantis oliuæ,
In Sichem noua bella tulit, non ariete muros

Non

Non arcem ſtrauit, ſed fronde. Hinc diſcite: frangi
Hoſtiles vel fronde acies, quando arma miniſtrat
Omnipotens, æquè gladio, folioque volanti
Terribilis. pondus dat ventis, æraque perflat,
Duraque abire iubet tenues diſperſa per auras.
Vellite vos oleas hac ſpe, Solymamque Tonanti
Reddite cum Solymis, & mœnia pandite ramis.
Hæc memorans, poſitis oleæ ſuper arbuta telis,
Aliger aurato maculatam ſanguine glebam
Preſſit, & elicuit ſudati nectar Amoris;
Regis & inſperſit frontem. ſubitòque capilli
Vt gladij fulſere: genæ rubuere fauillis:
Fulmina ſunt oculi, ſed Turcis. Aliger arma
Tunc ſua Gofrido vicina in prælia donat,
Et faciem auertens proprio ſe lumine celat.
Ille hilaris donis, clypei dum ſuſtinet orbem,
Atque ſuæ librat fatalia pondera fortis;
In parmâ munimen habet; palmamque futuram
Cernit, vt in ſpeculo, radijs clareſcere lucis.
Inde videt latebras hoſtis, quæ mente manuque
Præparet in bellum: tacitis ibi condere ſiluis
Arma doloſque: alibi cæcam committere peſtem
Telluris caueis, mortemque animare ſepulchro.
Illic intectas oſtendit ceſpite foſſas
Subſtruere; hìc vallos, & propugnacula pandit.
Non ſecus in ſcenâ lateris, paruoque theatro
Scripſerat Ezechiel ruituræ bella Sionis,
Spectabatque iræ ductas in puluere flammas
Numinis auerſi, delebatque imbre doloris.
Aſt ibi puluis erat, lux hìc certaminis index:
Lumine Gofridum nam qui tegit Ætheris vmbo,
Luce notat, Turcas circumdare milite muros,
Tunc

Ab eodem armis donatur, in quibus velut in ſpeculo hoſtium molimina videt.

Sume tibi laterem, & pones eum corã te. Ez. 13.

Videt in ſcuto Saladinum ſpem ſimulantem, ſed re vera timentẽ.

Videt quà parte aditus in Vrbem ſit.

Sagittam in Hieroſolymam ex Oliueto iacit prodigialiter ardentem

Et trepidare metu ſimulantes gaudia. Verſat
Dux clypeum;rurſuſque videt diſcedere nubes,
Aligerûmq; Crucis deſcendere ad arma phalanges.
Dum fruitur dono Diuûm, explerique tuendo
Neſcit, & in bellum iuſtâ ſe prouocat irâ,
Quà rarâ muros hoſtes cinxere coronâ,
Se videt in clypeo tutas inferre cateruas;
Infracti vires Saladini frangere; Syros
Frendere confuſo gemitu; fugere agmina, cæli
Non viſus quæ terror agit, funditque per agros.
Vt vidit, pauitque oculos, molimina belli
Aggreditur dextrâ Gofridus, & intonat arma.

Turcæ intenti extinguendo igni, aditū hoſti prabent in Vrbem.

Et vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei. Reg. l.4. c.6.

Ademarus Podiens. Epiſ. aliiq; permulti, in itinere mortui, apparent in muris armati pro Godefrido. ex Vville Tyr. Noſtri eos agnoſcunt & indigitant.

Brachia ſed primùm ducens diuerſa, Sagittam,
Aligeri donum, de culmine montis in Vrbem
Tunc iecit; ſubitòque faces, mirabile dictu,
Concipiens, omnes luſtrauit lampade muros.
Impete mox magno delapſa ex æthere, turres
Corripit hoſtiles. Syri dum flumina poſcunt,
Vulcano intenti, Martem ſenſere ruentem.
Incuſtoditos nam, ſparſo milite, muros
Obſidet extemplò Gofridus. Sidera rurſus
Cum Duce conſpirant. vtque olim feruere flammis
Vidit Eliſeus rutilo de monte quadrigas
In Syriam; haud aliter viſi per inania currus,
Chriſtiadum ante acies, flammato tramite ferri,
Armatoſque ſuper, ſtellatâ in veſte gigantes
Suda ſecare rotis, & circumflectere curſus,
Quadrupedeſq; monere flagris, atque arma mouere.
Nam pia Gofridi quotquot vexilla ſequuti,
Longum iter aggreſſi, feſſique ambage viarum
Liquerunt dulces animas, priùs aſtra tenentes,
Quam Solymæ muros, altis tot curribus adſtant
Gen-

Gentis in auxilium. Pauitant, gaudentque tuentes
Chriſtiadæ ſocios: agnoſcunt ora ſuorum.
Hic ait. ille, vides? redimit cui tempora vittis
Infula purpureis, & maieſtate timendâ
Emicat ætherei Dux agminis, armaque vultu
Tranquillo iacit impacata, manuque, ſinuque,
Militiam terroris habet; bellumque, necemque,
Et fouet, & pando cum ſyrmate pandit in hoſtes,
Eſt Pater, & Podij lux maxima Ademarus, æuum
Qui cælo renouat, metamque laboris in ipſa
Inuenit moriendo viâ. quas, aſpice, vires
Oſtentat comes Hemaucus? iuga flectit habenis
Proxima quis Comiti? mores, animamq; ſuperbam
Noſco Rainardi. Proh qualibus ardet in armis?
Quot trahit Henricus volucres in prælia currus?
Quinquaginta lues rapuit quæ millia, reddit.
Pro pallore, rubent malis cæleſtibus ignes:
In Syrios armata vmbris, & nuncia noctis
Lux redit in vultus: vis vitaque regnat in ore,
Tot paritura neces hoſti, quot funera peſtis
Laſſatâ fudit fœcundis mortibus aluo.
Se noſtris medium bellator Ademarus infert:
Stat propior freno adducto: dein talia fatur.
Viuimus ò Socij: vobis pugnamus: in Vrbem
Ite. fores manibus, cum vocibus, impulit ambas,
Impleuitque ſuas diuino robore turmas.
Hæ poſcunt dum bella, Timor ruit hoſtis in hoſtes
Signifer & miles, dux, atque exercitus idem
Numinis irati, qui Reges ſolus, inermis
Omnes exarmat, non territus omnia terret.
Dum properè fugiunt Arabes, quatiente medullas
Inſolito terrore, viam ſibi noſtra per Vrbem

Quinquaginta millia Bellatorum fuere peſte cõſumpta. ex Vuill. Tyr. Ii, quorum nomina recẽſentur, è cælo redeunt ad bellum.

Terrore pugnat & vincit Deus.

Enſe

Digitized by Google

Noſtri Vrbē inuadunt, & Turcas obtrūcant. Truncata mēbra ſpirant rabiem. Noſtri in æſtu victoriæ violata à Turcis loca ſacra dū vident, ea piè lacrymis expiant.

Enſe facit pubes, gaudetque in limine primo
Sanguineos aperire imbres è nube furoris,
In caſſum quo ſæuit Arabs. Cadit hoſtia Ditis
Igne cremanda ſuo Manus impia: vulnera pandit,
Lumina dum claudit: ſilet os; ſonat vnda cruoris.
Induit ille fugax enſem, gremioque ſepultum,
Vulnere diſſectus, furtiuum prodidit aurum.
Funditur ille manu, ſaxiſque alliditur: illi,
Dum clamat, foditur iugulum, vitamque, animamq;
Faucibus euomuit cum ſanguine. brachia, crura,
Truncatæque manus, capita è ceruice reuulſa
In media ſe morte mouent; fatumque, Deumque
Strata videntur humi, moriente laceſſere linguâ.
Victorum magis at Pietas, quàm flamma furoris
Viuit, & in multa morientum cæde triumphat.
Mars ferus, & mitis, cæcuſque, oculatus, & Argus
Peſſundat dum cuncta, videns peſſundata Chriſti,
Et Fidei monumenta, dolet, dum perfurit: enſe
Turcarum venas aperit, ſibi corda dolore
Sauciat, & lacrymas hoſtili in ſanguine miſcet.
Odit; amat: pietate calens, ſimul æſtuat irâ:
Victus amore, hoſtes vincit: ſe mactat, & illos;
Se lacrymis, illos gladio. ſic expiat aras;
Sic regnat. Sed Regna Deo quæ fœdere Mundi
Relligio peperit ſociata, ruere nefandis
Diſſociata odijs. Mutantur publica, ciues
Si priuata volunt ferro defendere iura.
Excutiunt Arabes poſt ſeptem luſtra decemque
Indomitâ ceruice iugum. ſic vipera in ictum
Colla leuat peſtemque acuit, dum vincula ſoluit,
Membrorumque rotam, quam ſors inimica laborat.
Contemptor Diuûm Saladinus ad arma morantes

Priuata noſtrorum diſcordia belli recaleſcentis occaſio. Hieroſolyma fuit ſub Mamete ab anno DCXXXVI. uſque ad an. M.XCIX. quo tempore à Godefrido capta eſt.

Pro-

Prouocat, & lapſis humero ſtridente catenis,
Euolat in campum, ſeſeque furoribus armat
Ipſe ſuis, portatque oculis ferroque pauores.
Non ſecus intentas dum ſaltu tranſilit haſtas,
Et laqueos eludit aper, iam liber in aruis
Mugitu tonat horribili, terretque fugatque
Agmina venantum; canibuſque ſequentibus inſtans,
Faucibus oſtendit patulis tumulumque necemque.

Ab alio Saladino rurſus occupata ſub Rege Guidone MCLxxxvij.

Iamque rebellantum ductor ſtipatus Auerno
Ex inopinato Solymæ Pomœria cingit
Extima militibus. Ciues nil tale timentes
Vincendos ferro, vincit formido: reſiſtunt;
Et timidi conferre manus, ſeſe aggere ſeruant.
Obſidione viros tamen ille fatigat & Vrbem,
Molibus erectis in mœnia: denique muros,
Militis & venas aperit, qui mœnibus adſtat.
Protinus irrumpit; ceu Nilus in arua Canopi.
Enſe fugat ſtricto trepidantia caſtra. ſed illa,
Dum Solymæ ſupereſſe negant, in funera tendunt,
Succurritque mori pulchrum; ſi cædibus hoſtis
Expendat ſcelus ante ſuis. iam bella retentant:
Arma abiecta petunt; morti nec inertia cedunt.

Hieroſolyma à Turcis obſidetur, & capitur.

At vos quę lacrymas pugnantũ in ſanguine fœdas
Funditis in poſtrema Vrbis diſcrimina, matres;
Quas non arma grauant, ſed flebile pondus amoris,
Ah malè fœcundæ natos abſcondite. tela
Sanguine lactenti Saladinus tinget; & agnos,
Improbus vt tenero lupus inſidiatus ouili,
Ante oculos patrum, matrumque ante ora vorabit.
Sic eſt. ecce fugit curis vrgentibus Agnes;
Et mox caſuram fertur bacchata per Vrbem.
Ægra ſinu prolem vallat, pallâquę niuales

Heu

Mulier cum prole ſugit in ſiluas.

De hac geſta Dei per Frãcos narrant ereptis alimẽtis filium in mare proiecisse.

Heu pueri vultus furatur, & auia quærit.
Euolat in ſiluas: pedibus timor applicat alas;
Addit amor menti. timet omnia; ſe timet ipſam,
Conſilijque ſui motus. nunc cara lacertis
Pignora conſtringit; nunc preſſat ad vbera. nauem
Cymbula ſic ſequitur, laqueiſque tenacibus hæret;
Poſtquam, laxatis per marmora ſubdola velis,
Tempeſtas quatit imbre latus, grandemq; triremem
Verberat. illa pauet, laterique adiuncta, procellis
Acta diù fluitat; donec cum naue, reuulſam
Fluctibus atque Notis, in præceps diripit æquor,
Comminuitque vadis. Infelix deuia poſtquam
Antra parens tetigit, vitæ vix credula nati,
Reſpirat; longamque viam ſolata querelis:

Alloquitur ſolitaria infantem ſuum.

Omnia perdidimus; nihil aſt amiſimus, inquit,
Dum te, nate, gero, miſeræ Fortuna parentis.
Erute ab excidijs Patriæque, domuſque cadentis
Me tegis; & vitam, quam merſam reſpuo curis,
Tu præbes, mea cura, mihi; lucemque malignam,
Quam fugio, mihi fronte aperis, retineſque fugacem.

Mali puer ignarus matre gemente ſubridet.

Quid rides, mea lux? riſu cognoſcere matrem
Deſine: non benè maternæ hæc tua fulgura vultus
Reſpondent nocti. lacrymis cognoſce parentem:
Diſce puer lacrymas: oculis aſſueſce dolori;
Cum Solymæ cineres, confuſaque rudera campis
Grandior aſpiciens, viſam, minimèque repertam
In Patria Patriam lugebis: Templa, lareſque,
Nate tuos ſparſo quæres in puluere. iuſtas
O ſi vindictæ torpenti è puluere flammas
Erueres Turcarum vltor, Patriæque redemptor!
Sæpiùs Heroes vos, ſiluæ, aluiſtis: alumnum
Vos, ſiluæ, ſeruate meum: ſit Cyrus, Achilles,

Ro-

Romulus & Patriæ melior. dum creſcis, ab aſtris
Te videam certare, puer: pro lacte, quod ori
Propino genitrix, hoſtilem redde cruorem.
Hos inter queſtus, nudato pectore, mammas
Admorat pueri labris. ſed cura, dolorque
Vbera ſiccarat. Tunc palluit illa, metuque
Anxia ſollicito, premit vbera; ſed nihil inde
Exprimit. exhorret: pectus percuſſa, comaſque
Vulſa, diu riguit, dedit, & pro lacte querelas.
Nate, meæ vires, & vita, quid arida preſſas
Vbera? non hæc molleſcent, ſunt ænea quando
Sidera; dum tantùm mollitur ſanguine tellus.
Dure dolor, quid me in lacrymas, quid corda liquaſti,
Saxea quò nato fierem, rigidâque charybdi
Durior inter aquas? gingiuâ frange papillas:
Eſt tuus iſte cruor, Sanguis meus: ebibe venas:
Sit tibi lac ſanguis; dum Patria ſanguine merſa
Hoſtiles alit hoc furias, quo mergitur, amne.
Funde amor è mammis alimenta & vince furorem.
Vbera frange puer; totam perque vbera matrem
Suge. ſed ah lento cum ſanguine vita recedat
Hauſta gradu; quò, care, meâ tu viuere vitâ
Nate diù valeas. lacrymas retinete cadentes,
Lumina; ne lacrymis cruor abſumatur. At ora
Quid pia, gnate, magis, mage quò crudelia morſu,
Vberibus remoues? Parcit ſi filius; antra,
Antra, tigres, vrſaſque, lupas, matreſque leænas
Promite, quæ lactent mea pignora. tota per Vrbem
It feritas: vos, credo, feræ miteſcitis: hoſti
Innatas furias, veſtraſque refunditis iras.
In ſiluis Solyma eſt: Solymæ ſunt antra ferarum.
Vbera ferte tigres. candor puerilis in ipſas
Obti-

Matri arent vbera, et puer fame conſumitur. Cruciatur mater pueri fame.

Alere ſanguine natum cupit.

Retinere lacrymas cupit, ne cruor in lacrymas abſumatur, quo nutrire filium cupit, lacte ſiccato.

Dolet à nato ſanguinem morſu non extrahi.

Illum alumnis feris commendat.

Puer incipit fame mori.

Adamo innocenti terra dapes vltrò miniſtrabat.

Obtinet imperium tigres, vultuque leænas
Edomat innocuo. Sed quò mea vota feruntur?
Nate fame confecte, genas pallore decoras
Inficis, & moreris. quid agam? mea tecta reuiſam,
Mollia quò pinſam labris alimenta? penates
Hoſtis habet, dominoſq; vorat, epulaſque. morabor?
At moreris, mea vita. dapes quæ prima Pudori
Silua inarata dedit, candori perfida nati
Silua mei, faciles tibi, pupule, denegat eſcas.
Quò ferar? heu Superi, me perdite. dira Megæra
Fert ſiluis egreſſa faces, figitque medullis.

Pueri mater dolore rapitur in furias.

Lux fugit alma. vbi ſum? videor per cæca vagari
Antra ſtygis, nemorumque vmbras, loca pallida nocte.
Squalentes iactant manibus fera flagra ſorores:
Cerberus in natum & matrem latrat ore trifauci.
Quem veſana aperis, dux deſperatio, callem?
Quò vagor? è ſtygijs fornacibus ignis anhelat.
Ardeo, nate. tibi fueram quæ mater, Erynnem

Putat ſe furiam eſſe.

Vertor in horrendam multo ſerpente comatam.
Iacto faces: pro lacte lucem diffundo papillis,
Scintillaſque oculis. vrat ne flamma, ſalutem
Vnda dabit. pelago vix hæc incendia toto
Vitabis. properemus: aquis mergêre profundis.
Vbera ſiccantur matri: dabit vbera Tethys.
Mentis inops dum verba iacit, complexa puellum,
Ad pelagus Medea recens, agitante furore,
Ibat per medias acies; timuitque, timorem
Qui ſpargebat agris victor Saladinus. At illa
Vt ſtetit ante fretum, pelago furioſior omni,

Lymphata currit ad mare.

Sorbuit extremos, vomuitque in verba furores.
Aſtra negant retinere animam: fundatur in vndas,
Omnibus amiſſis, ſuperat quæ ſola. procellis

Te

Te Patriæ, puer, vt tabulam, amplexata tenebam:
Naufraga dum curis pereo, tu ſcylla parenti,
Atque charybdis eris. moriamur. paſcere natum
Vbere ſi nequeo, ſaturabo natantia monſtra
Prole meâ, membriſque meis. Deſiſtite, Diui,
Fulmineos torquere ignes: en obruor vndis.
Ampliùs irato ne cælo deprimar, imo
Æquore deuoluor. ſatis haud eſt? mergor Auerno.
Dixerat, & natum medium proiecit in æquor,
Seque ſuper. Greſſum retraxit lympha relabens:
Ampliùs haud illud tetigerunt carbaſa littus
Naufragijs infame. vadum nam turbinat æſtus,
Et cæci latrant ſcopuli, lacerantque carinas.

Deſperat.

Se cum nato in mare proÿcit.

Sinus ille maris fit naufragÿs infamis.

Armis interea immiſſis, Saladinus Idumem
Vaſtabat victor, ſeque intra Templa ferebat,
Non furtis, ſed cæde ſatur. Delubra profanus,
Crimine quæ maculat, roſa quem deſudat in igne,
Imbre lauat. Summâ ſignum pendebat ab ara
Numinis affixi. temeratâ ſanguine dextrâ
Corripuit ſacram effigiem, fœdamque ſaliuâ,
Calcibus attritam, per iurgia, ſibila, plauſus,
Detulit in pompam ſceleris, ſpoliumque furoris.
Chriſtiadum crux, inquit, honor. de ſtipite pendens
En bellator amor, captæque redemptor Idumes.
Chriſtiadum date thura Deo: ſint thura vapores,
Qui fumant Solymæ tectis, dum torqueo flammas.
Hic Deus eſt: noſtræ, ciues, date colla ſecuri;
Vt cultu ſint prona Dei: decreſcite frontes
Regis in obſequium veſtri. feret ille ruenti
Præſidium Solymæ, quam figit in arbore, palmâ.

Saladinus quingẽtos camelos aquæ roſacea onuſtos in Dei Templum inducit, vt illud expiet, & Mahometi dedicet. ex Vu. Tyrio.

Chriſtum, è Cruce pẽdentem Saladin⁹ per duos dies circumferri ſolemniter, cõtundique fuſtibus iubet: et ex eo tempore nati homines cũ paucioribꝰ dentibus. ex eodem.

Non tulit hanc ſpeciem Templiq; aræq; Sacerdos
Hippolytus, cui ſanguis hebet; ſed viuida Virtus

Fœdata Cruci Saladinus ironicè improperat.

Sacerdos violatæ Crucis honorẽ tuetur. Inde ſolùm Chriſtianis rubor, quia Crucifixum Deum prædicare non erubeſcunt.

Corde viget, vireſque acuit robuſtior annis.
In medias ruit ille acies, Dominique cruenti
Vi rapiens inſigne manus & cordis, ab hoſte
Vellere luctatur, niſuque, & voce tuetur.
Chriſtiadum hic Deus eſt, inquit: ſic ore fateri,
Sic animo non erubeo. iace tela: fateri
Hoc non erubeo vel ſanguine: ſolus & ori
Chriſtiadum, membriſque placet rubor iſte cruoris.
Barbare redde Crucem; vel me per vulnera mille
Redde Cruci. Non fata timet, qui diſcit amare,

Chriſtus vt homo Patris victima.

Atq; mori; Crucis è cathedra dum mortua pendet
Vita, docetq; mori. Crucis ante hęc ſigna, Tonantem
Sæpè litare datum: memet nunc ipſe litabo.
Hæc memorans, manibus pia ſigna trahebat vtriſq;
Quē circũ glomeratæ acies hinc cominus atq; hinc
Intrepidum fodiunt iaculis. Stat Myſta, Crucemque,

Sacerdos vulneratur.

Quam ſemel arripuit, non deſerit. Abſcidit ambas
Barbarus enſe manus: nunquam ſed ſigna ſalutis
Abſciſſæ poſuere manus. Crux purpurat oſtro,

Crucem truncatus tenet.

Et reparat temerata decus, meliorque triumphat.
Luce nouâ gaudens, inter conuicia vulgi,
Emicat Hippolytus: pompam rorantibus auget
Vulneribus: nec fortis amor per mille vaporat
Vulnera; ſed creſcit, vitæ dum deficit ardor.
Fortiter infixo Cynegirum dente carinam

Ex Suetonio, & Iuſtino.

Fama canit tenuiſſe; fero poſtquam enſe reſectas
Detulit vnda manus. Blanditur nomine Acili

Ex Valerio Max. c. 2. de fortitud.

Roma ſibi, abſciſſæ qui tardus vulnere dextræ,
Contulit in læuam vires, hoſtiſque triremem
Continuit, preſſitque diù, noua bella retentans
Vnâ Centimanus palmâ, quæ ſtrenua pinum
Impulit in fluctus, nautaſque & carbaſa merſit.

Tu quoque tê maior Chriſti virtute Sacerdos
Nauigium cæleſte Crucis, cui pectoris hæret
Anchora, complexu ſtringis retineſque; cruoris
Quamuis diuulſos fluat vndique lympha per artus,
Atque manus calido geminas ſecet enſe Tyrannus.
At quę dextra Crucem numquam vel cæſa reliquit,
Velleris aurati, quæ nauigat æthera, Nauim
Fortunata capeſſiuit cælumque Deumque.
Viuere centeno transfixum vulnere Turcæ
Mirantur; Myſtæque intorto nexa rudenti
In Cruce membra ligant. pendenti vulnus adactum
In latus enſe fuit, quo vita receſſit in auras.
Felix morte tuâ, cui mors, & pœna, neciſque
Cauſa fuit, feretrumque Deus. Tu pompa triumphi,
Atque Deo tu currus eras: erat ipſe curulis,
Atque triumphalis tibi pompa. flagrauit in oſtro
Regia diuino tibi purpura: claruit oſtro
Sanguinis ille tui. Conuiua doloris vterque:
Fercula vterque ferens, pœnarum explebat amorem
Communi Crucis in menſa, quæ paſcit Amantes.

Affixus Chriſto Sacerdos eadem in Cruce fuit.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

Secunda ſit per Fridericum I. expeditio. Bellum committitur. Imperator dum vincitur Cruce defenditur. denique vincit: victoriæque curſum dum ſequitur, rapitur flumine. Ingens puerorum multitudo in Palæſtinam pugnatura contendit: ſed partim abſumpta vitijs: partim integra moribus, non ſine laude martyrij, naufragio perit.

Capta à Turcis Hieroſolyma Vrb. III. præ dolore obijt. Recuperata hæc à noſtris fuerat ſub Godefrido an. 1099, regnante Vrbano II. amiſſa vero fuit an. 1187. Vrbano III. Pontiſice. Clemens III. Gregorio apud Piſas duorũ ſpatio menſium extincto ſucceſſit Imperator Põtificis dextera Fridericus primus cum filio Corrado, & militũ 50. millibus bellũ inſtaurat. Hiſt. Violauerat Eccleſiæ iura, bellumq; mouerat Romæ, & Pontifici. Hiſt.

LIttus in Heſperium, terræque habitabilis oras
Heü lacrymas, luctuſque ſuos diuiſit Idume.
Cor Mundi, Romam tetigit dolor: ipſaque cordis
Vita, obit Vrbanus. mox omnes cura per artus
Permeat. At Pietas, non cedere docta malorum
Ictibus, oppoſitaſque ſuper regnare ruinas,
Gregorium parat in bellum. Bis Luna ſed orbem
Impleràt; cum fata dies ſecuere, parique
Truncarunt ictu populi naſcentia vota.
Prælia reſtaurat Clemens, Clementia mite
Quem meritò docet in Thraces dediſcere nomen,
Et iubet eſſe ferum Pietas. Tu, magna Parentis
Dextera Romani, capis arma; & Martis amore
Finitimas vrbes, Friderice, accendis, & armas:
Quinquaginta tuis parent dum millia ſignis.
Crux animos, atque arma regit. Fortuna laborum
Si ſupereſt, patiturque vetus ſi crimen inultum
Ira Dei, penitus deleto Thrace, curulem
Victor ages, capitique hoſtis iuga fracta repones.

Sed

Sed te victorem monſtrabunt fata; nec illa
Rumpere cum fluuio poteris. nunc perge: Tonanti
Scribe viros: extolle aquilas, labarumque ſalutis,
Tolle Crucem. Signo vel ſors aduerſa ſub iſto
Vincit, & in palmam fatalia funera cedunt.

Ille ſuis iter enſe aperit: per aprica, per vmbras, *Iter arripit Imperator.*
Perque ſitim, per damna famis, per ſtragis aceruos,
Per valles, rupes, per inhoſpita, & hoſpita, in ima
Vſta gelu, monteſque altos, campoſque iacentes
Nititur indomitâ virtute; pudorque, furorque
Ex ignominia violati Numinis ardens
Imperat; impellit Fridericum, atque agmina ducit.

Vt Solymam videre (canes ceu monte leonem *Hieroſolymæ cum exercitu propinquat.*
Cum fremitu aſpiciunt deſcendere) currite Ductor,
Currite, clamat: io ſocij. deuicta ferendo
Omnia ſunt vobis diſcrimina mille viarum:
Armatâ nunc meta manu carpenda, Deoque
Reſtituenda Domus, quam crimine polluit hoſtis.
Durate. hic requies: ſed ſtrata cadauera feſſis
Culcitra ſint: claudant æternâ lumina nocte;
Et vos ſecuros, hac ducite nocte, ſopores.
Hannibal, obiectis Italis è monte viretis, *Hannibal propoſitis Italię delicijs milites ad bellū allicit. ex T. Liuio.*
Si potuit Pœnos ad bella parare; Tonantis
Ecce vireta. ſalutares Crucis arbore fructus
Hìc maturat Amor; roſeique roſeta cruoris
Hìc vernant. viruit Solymæ Spes publica in aruis.
Nazareum ſi, caſtra, iugum ſuperabimus, omnes *Hieroſolyma cæleſtiū ager deliciarum.*
Vnâ delicias Superûm carpemus ab Æde.

At mora non ſegnem Saladinum detinet: acer *Pugna committitur.*
Bella canit, totaſque acies effundit in hoſtes.
Audaces tellus dirimit iam parua maniplos:
Iamque tubis, lituiſque gemens eliditur aër.

Tela volant: cælum eripitur: campique, cadentum
Corporibus, gladijſque acies latet atra cruore,
Fulgoremque tegit: celantur ſanguine membra.
Saladinus dolo pugnat. Fumo noſtri vincuntur. Hiſt.
Turbatus multâ Saladinus cæde ſuorum,
Aggreditur bellare dolis. Obnoxia Cauris
Chriſtiadum videt ora: iubet fatalia ſiluis
Vndique congeſtis iactari incendia, turbo
Quæ ferat; & Noſtri fumo inuoluantur & igne.
Adiuuere vltrò palantes flatibus auras
Eumenides. Volat ignis edax cum vortice rauco,
Et deuota Deo nigram ſuper agmina molem
Deuehit vndantis fumi, qui lumina condit,
Pectora ſuffocans luctu. manus errat ad ictus,
Quos oculi malè deſignant in nocte ſepulti.
Sed mors certa venit, dubiâ in caligine: tela
Excipiunt miſeri, vento pennata furenti,
Vulcanoque armata. Notis ſic incitus ignis
Incidit in ſegetes, & flamine turbat ariſtas,
Et flammâ gliſcente vorat. Formidine capti,
Atque atrâ clauſi nebulâ, fugiuntque, ruuntque,
Incertoque gradu medios labuntur in hoſtes,
Et reprimunt cum voce pedes. nunc tela remittunt
Irrita, nunc proprijs circumfunduntur ab armis,
Seq; premunt feriuntque, repercutiuntque; ſuoſque
Fridericus opem à Cruce implorat. Solem à Crucis luce in die iudicij obſcurandum nonnullorum SS. PP. ſententia eſt.
Campo proturbant, vel cæco tramite calcant.
Horruit euentu Fridericus, & auia fumo
Sidera luminibus quærens: Crux aurea, dixit,
Cælituum lampas, quæ ſanguine Numinis ardes;
Quæ caligantem Ditis fuligine terram
Æterno fulgore beas, Solemque reducis,
Sole tamen maior; quæ, Mundi nocte cadentis,
Iudicis ante Dei patefactum in nube Tribunal,
Ex-

Extincto pro Sole aderis, quid cæca phalanges
Obſidet vmbra tuas? veſtimur Sole, diemque
Perdimus, heu miſeri. noſtris hæc gloria factis;
Hoc illuſtre decus, tenebroſo funere condi?
Crux hominum lux alma, faces diffunde; faceſque
Hoſtiles extingue. Tibi, ſi vota ſecundas,
Templa, cor, arma, manus, vires, momentaque vitæ
Omnia deuoueo. Vix hæc; cum, nube reclusâ,
Fulget amicato Crux æthere clara: tenebras
Conglobat oppoſitas Noſtris, ventoque maligno
Portat in aduerſos, inimico murmure, Turcas.
Cæſaris exultant acies: timet hoſtis, & vmbram,
Qua profugus lateat, mediâ iam quęrit in vmbra.
A Cruce qui tegitur nebulâ, Cruce proditur idem.
Lumine ſic olim, cæli quæ tramite Nubes
Iſacidis monſtrabat iter, fœcunda Canopo
Mortis erat, tenebriſque grauis; ſed mater honorum
Iſacidis, & lucis erat. Saladinus (opaca
Vt lupus in nebula, qui ſicco gutture cernit
Cuſtodes ouium inſomnes, vigileſque Lyciſcas)
Exuperat furijs flammas, quæ nubila rumpunt,
Nubila ab irato Crucis erumpentia vultu.
Turbinis in morem præceps, hàc feruidus illac
Conſerit incertas incerto milite pugnas,
Mammetem incuſans; donec Cruce miſſa procella
Telorum lapidumque fuit, confinia longi
Qui poſuere cadaueribus fatalia belli.

Attamen hæc, Friderice, tuis via lata triumphis,
Extitit. innumeras ſubigis tibi cædibus vrbes:
Nec ſemel arreptam pateris marceſcere palmam.
Crux, ſtimulus, tibi pectus agit, qua mœnia pandis,
Qua cuneos penetras, tibi qua recludis Olympum.

Votum vouiſſe aſſerit. Henricus Caniſius.
Crux fulgurat: tenebras à noſtris diſſipat, et eas in hoſtes importat.
Crux detegebat hoſtes ictibus, dum tegebat vmbris, clara noſtris, illis obſcura. Ignea columna dum lucebat Hebræis, tenebras olim offundebat Aegyptijs.
Turca cæco Marte pugnat, & ſuorum cadaueribus impeditur.
Victor Imperator victoriæ curſum proſequitur, cuius, in auxilium etiam è cælo veniſſe candidatorum acië narrat Vuil. Tyr.

Mutatur fortuna, & fortunæ mutatio prodigijs præſignatur.

Sat, Cæſar, viciſſe. fluunt mortalia. poſtquam
Æquora certarunt æſtu, franguntur arenâ.
Regum fata mouent Superi. Fridericus, opimis
Dum cumulatus ouat ſpolijs, properatque, ſecundo
Quò flabro ſors fauſta vocat; clangore receptum
Non viſæ cecinere tubæ, ſonituque pauorem
Inſinuant. terræ victores lumina figunt,
Et pæana acies in mœſta ſilentia vertunt.
Abſtulerat ſed longa Duci fortuna timores;
Solus & hic fidens animis, atque omnia ridens:
Irritat tuba vos, ſocij, non diſtinet, inquit.
Paremus; ſequimurque Deum. Dum talia fatur,
Caſtraque dum motat Sallephi ad mœnia; flumen
Præcipites opponit aquas, quod Turca Calydnum
Nominat. obliquis tunc fortè licentiùs vndis
In freta currebat; condebat vortice fraudes.
Tunc miles nemus omne ſecat, curuatque; ferocis
Diuidat vt fluuij lapſus; multoque refectus
Et domitus ſulco, facili vada præbeat amne.
Mole ſub impoſita queritur, diroque ſuſurro
Indignatur onus. Sciſſis ſuccedere lymphis
Caſtra iubet Cæſar; fatiſque heu ductus iniquis,
Ipſe prior vada cæca ſubit. veſtigia pilo
Lubrica defixo firmat. ſed gurgite multo
Iam pulſata labant: manibus iam flumina iactis,
Non pede perrumpit. Regem malè fida natantem
Pernegat vnda pati. quæ duros vicerat hoſtes,
Molle vadum ſuperare manus, fluuiumque morari
Non potuit. trahitur: Dominumque exercitus vnum
Integer haud ſeruat. Te tolle, ſuperbia: frontem
Ingere ſideribus: preſſis prope Tartara foſſis
Sublimes attolle domos: tibi ſeruiat Indus,

Flumen Fridericus ingreditur.

Dum flumen traijcit, mergitur Hiſt.

Per-

Perſa, Cilix, & durus Arabs: ceruice iugatâ
Ampla tributa ferant, rumpantur & horrea meſſe:
Te timidè lambat, rodat non dentibus æuum.
A centone oſtrum Mors non diſtinguit: eâdem
Falce metit Reges, inopeſque: clementa Tyrannis
Non parent. rapit vna omnes Mors cæca; nec vlli,
Indiga nullius, parcit. non tela, nec enſes
Illa timet, quam cuncta timent: non alta tuentur;
Ima nec eripiunt Morti, quæ fulminis alis
Alta petit, præcepſque cadit, tegiturque ſepulchris.
Congere diuitias: ſtellis impone penates:
Agmina, Regna para: nam quò maiora parabis,
Maiori ſub mole rues. Documenta, ſuperbi
Quàm fragili ſtarent in ſede baſique coloſſi,
Victor, & in fluidis Fridericus naufragus vndis
Attulit. Armorum, cum flumine, gloria fluxit,
Martis & ingentes extinxit lymphula flammas,
Vitrea quæ fuerat morituro clepſydra Regi.
Rurſus aquis extincta fuit ſpes publica Mundi,
Floruit in tenerâ quæ pube; & flore, ſalutis
Dulcia ſeruabat Syrijs in tempore poma.
Spiritus in puerûm viginti millia mentes
Se nouus inſinuat, Solymæ ſuccurrere genti;
Siue liquare niues ætatis, fonte cruento,
Qui ſalit in venis, Fidei vt defenſor auitæ
Exiliat, caleatque ſolo morientis Idumes.
Gallia magnanimam parit in certamina pubem,
Et quæ lacte ſuos nutrit Germania partus,
Germanæ vt reddant Fidei pro lacte cruorem.
Ingenui puer Henricus Dux agminis, omnes
Qui charites in fronte gerit, quas bellicus ardor
Innectit, ſociatque choro. perturbat amanter;
Aſpe-

Vidimus an. 1213. infinitā puerorū multitudinē Hieroſolymā iter aggreſſos. &c. Cantiprat.
Multi fuere Martyres, quibus templum condidit Gregor. XII.
Puer amabilis, & terribilis ceterorum Dux.

Aſperat; atque roſis & fulmine tempora cingit;
Floret & igneſcit lepor & vindicta labellis;
Gratia candeſcit; rubet ira; minatur; amorem
Allicit, atque eadem ſæuire ignara, ferocit;
Ira amor eſt; amor ira; inſpirat amicus ocellis

Cyrus puer, cum inter paſtores ludos ageret, vbi ſe regem agnouit ſeueritatē induit, pueros verberauit dicens: feci vt Rex. ex Iuſtino l. 1.

Prælia, blanditias, riſus, & fulgura. talis
Cyrus erat, cum paſtorum puer altus in vlnis,
Se tandem agnouit, puerûm inter ludicra, Regem;
Diſiecitque rudes flagro reſonante cateruas.
Hac ſpecie ſocias Henricus & ore phalanges
Prouocat ad bellum. Pubes æquæua; meique
Æmula feruoris, ſuperanda ætatula factis,
Virtutiſque opibus vis eſt ſupplenda tenelli
Pectoris: Atlantes pueros facit illa; nec annis

Henrici ad pueros adhortatio.

Vtitur, aſt animis. Natitantes æquore turres,
Atque peregrinas vrbes in gurgite vaſto

Natura grādia minimis operatur.

Piſciculus remoratur; aquæ ventique catena
Et nautas nauesque ligat, quas anchora dente
Non tenet ærato. ferientem vertice nubes,

Echeneis ſiue Remora.

Ligni vermiculus deturbat ab aëre quercum.

Auicula apud Indos naues perforat.

India quam mittit, roſtratas paruula naues
Roſtro findit auis, lateri quod ſubdola figit.
Nil poſſit Natura. Deus nos armat in hoſtes;

Gratia minimis magna peragit.

Rurſus & immittit culices in Regna Canopi,
In Syrij Pharaonis opes, oculoſque ſuperbos.

Ex Exod. c. 8.

Sæpiùs ille ſolet moliri grandia paruis;

Ex S. Paulo 1. ad Cor. 1.

Fortiaque infirmis infirmat. Penna ſagittis
Dat pondus leuis & vires; ſi dextera pennas,
Et iaculatoris moueat vis ardua telum.
Improbitas robuſta ſenum, firmataque plauſu,

Dan. 13.

Pugnanti verbis Danieli ceſſit: & armis
Non cedat noſtris Arabum eneruata libido?

Nos

Nos ibi bella manent, vbi fronte Gigantis in imam
Preſſa iacet vallem ſcelerato pondere tellus.
Non ſtrauere acies, ſternentem corda pauore,
Non robur, non arma Ducis, qui vertice toto
Maior erat populis; aſt inſultantia cælo
Colla manu puer abiecit, ſecuitque, tulitque,
Portentum Fidei, & regum documenta: triumphos
Non Latio tantùm curru, ſed ſæpè puelli
E dextrâ pendere, regit quam dextra Tonantis.
Henrico fauere omnes: deſcriptaque Sede
Nazareâ vexilla leuat, vocemque Lupertus.
O ſocij, Domus hæc pueros in prælia ducit,
Quam puer armipotens coluit Deus: arma puellis
Hæc dabit, atque animos. Cum Rupis imagine ſigna
Bethleæ Placidus tollens: hæc Numinis, inquit,
Quæ gerimus, ſunt caſtra. Puer ſe Rupe ſub iſta
Artubus armauit noſtris in prælia Ditis.
Nænia matris, erat barritus euntis in hoſtem;
Armaque lacrymulæ; vagitus claſſica pugnæ;
Faſciolæ vexilla; faces pugnacia Pupi
Lumina; paupertas belli ſtipendia; matris
Brachia falcati currus, paleęque ſagittæ;
Plauſores Superi, ſpectatoreſque duelli.
Vicit io: vincemus io: victorque Puellus
Hoſtibus ereptas, pueris victoribus arces
Reſtituet Fidei. Volitat Caluaria ſignis,
Paule, tuis, clamaſque. Mei, ſuper alta, ſodales,
Hæc iuga ferte gradus; inſignia figite monti:
Aligeros Pacis, nos hic volitare iuuabit;
Lætitiæ lacrymas lacrymis miſcere doloris.
Fert illuſa Dei viuaci Buſta colore,
Extimulatque ſuos Eurillus, & omnibus vna

Dauid puer Goliæ victor in Palæſtina. Reg.1.c.17.

Pueri bellum parant. Sacrorum Palæſtinæ locorum imagines præferunt in vexillis.

Scilicet vagitu ad arma eſſet conuocaturus infans &c. Tertull. l. contra Iudæos c.9.

In Caluariæ monte Angeli pacis amare flebant. ex Pſ. c.33.

Vox

Vox cantu modulata ſonat. Rex maxime Regum,
Redde Crucem, Regni ſolium, Solymamque, cruore
Quæ radiat Regina tuo. pæana puelli,
Atque Hoſanna iterum, Turcâ lugente, canemus:
Intrantem Solymæ muros, te voce feremus,
Te votis, te corde. olim cum matre iugali
Pullus erat, ſeniorque ſuo comes ibat alumno.
Iunge viris pueros: puerisque viriſque triumphet
Semper adultus amor, pueri ſed amabilis ore.
Palma triumphalis noſtris quoque florida palmis
Vernabit; dum florifero pubeſcimus æuo.
Palma feret fructus, feret & pro frondibus enſes.
His pugnare iuuat, capitumque incidere meſſem.
Hæc pueri: greſſuſque mouent & vota: ſed illa
Curſibus in medijs fraudum ſcelerumque repertor
Dux Erebi fregit, docuit quem ſæpè timere
Integritas ignara doli. Pauet ille Pudorem:
Æternum, Siſaræ ſimilem, ſub lacte ſoporem
Se nouit potare; manus quos candida vibrat,
Non ictus exire oculis, non fronte ſuperbâ.
Scilicet eſt Candor Diti nigra vena veneni;
Ætatis lux prima, Orci magis horrida nocte.
Agnetes, Agapeti, Agathæ, Vgoneſque, iuuentæ
Agmina mille, giganteis quæ viribus arma
Lucifero mouere, animo indignante recurrunt;
Inſinuantque metus iterum, renouantque dolorem;
Dum ſua victa dolet tam ſæpè venena niuali
Lacte Pudicitiæ, niueis quod moribus albet.

Se rurſus parat in fraudes, & caſtra luporum
Collocat inter oues. Sub ouina pelle, ſub ipſo
Nomine paſtorum, quot parturit Africa monſtra,
Tartara quot ſudant peſtes, tot Lucifer abdit.

Sic olim palmarum die ce cinere. ex Matth.21.
Sedens ſuper aſinam &c. Matth.21.
Dæmon timet innocentiam puerorũ, quia ſæpè fuit ab hac victus.

Sic

Sic latet humenti coluber ſinuoſus in herba.
Fulguris in riſu condunt ita nubila fulmen.
Se pupi bellè immiſcent, & crimina inurunt
Exempliſque fouent, altores, atque magiſtri.
Abſoluunt timidas pœnæ formidine mentes,
Inque ſolo puerûm mollito ſemina mortis,
Auulsâ Virtute, ferunt. corrumpitur ætas:
Tincturamque voluptatum, immedicabile virus.
Ebibit,& nutrit: quæ fugerat,otia quærit.
Gloria non Fidei ; libertas,præda,cupido,
Luxuriata Patrum ſine legibus, arma miniſtrant. *Malę conſuetudinis effecta.*
Tantum animos mutare valent commercia pubis,
Quæ libertatis ligat inſidioſa catenis
Fœdera amicitiæ, verumque reuellit amorem.
Scilicet hoc hamo trahitur mens neſcia fraudum.
Otia titillant primùm dulcedinis eſcâ;
Sed ſcintilla voluptatis mox creſcit in ignem,
Dulcis alit quem ſermo, ſuâque euentilat aurâ,
Laturum flammâ exitium, cineremque doloſum.

Hoc ſcelerum iactata mari, diſperſa per Orbem *Puerorum exercitus diſſipatur. Cantipr.*
Naufraga turba fuit. ſed pars, quæ crimina corde
Repulit inuicto, quæque in vexilla Cubile
Virginis extollit, Syrias calcauit arenas, *In Palæſtinâ perueniunt, qui pro vexill, ferunt Nazarenam Virginis Domum. Poet.*
Hoſtibus atque dedit meliori ſorte cruorem,
Quam ſi victrici rapuiſſet cuſpide. iuuit
Hanc feritas inimica. Fidem defendere ferro
Si nequijt; meliùs defendit ſanguine, palmam
Bis referens; ſociale nefas, exemplaque fratrum,
Funeris atque metum tenerò dum pectore vicit.

Namque Palæſtinum texere vbi carbaſa littus, *Iubentur vexilla projcere,& Chriſti fidem.*
Deſcenduntque alacres pueri, ferus excipit hoſtis.
Abiurare iubet Romani iura Parentis;

Nazareoſque colorabant quæ ſigna Penates
Mittere in æquoreos victâ cum Virgine fluctus.

Iuſſa repelluntur armis. Freces ad B. Virg. fundũt. Occumbunt: viſuri poſt mortem in Piceno Nazarenam Domum, vt refertur in vlt. l.

Horruit ad voces vexillifer: arma vibrarunt
Certatim comites,& verba: Virago, Puellos
Nunc tege, Diua, tuos: Arabum da ſanguine ad Vrbẽ
Ire tuam, domito victores æquore; flores
Carpere & inde triumphales in ſerta triumphi.
Numinis hæc hortis, natiuo & non ine floret.
Annuit illa; deditque Lares poſt fata beatos
Cernere. nunc telis confixi pectora, dulces
Expirant animas. numero ſuperantur,& aſtu,
Viribus,atque odijs. illi tela irrita iactant;
Aſſyrij ſed certa: cadunt; æuoque perenni,
Decurtata viret campis cæleſtibus ætas.

Octo ſupra decem ſe ab hoſte cum Nazarenæ Dom᷒ vexillo natatu proripiunt.

Vt vidit ſocios occumbere, ſigna Lupertus,
Nazareâ depicta Domo, complexus, in vndas,
Ne ferat illa hoſtis, ſe proijcit. octo decemque
Poſt illum vada traijciunt malè fida natatu,
Et ſcopulo accedunt, vbi cymbula fortè marinos
Naufragio proiecta æſtus, ſine remige, nautis,
Et duce ludebat, nudâ ſecurior aluo.

Ad ſcopulum enatant,& in cymbulam ibi fortè repertã inſiliunt.

Nauigant armis pro remis vſi.

Vt nando fregere vadum, puerique propinquam
Inſiluere ratem; pro remis, enſibus æquor,
Et iaculis torquent: tendunt, ceu carbaſa, ventis
Nazareæ vexilla Domus, fugiuntque per vndas,
Inſolitoſque mouent ad læta celeuſmata remos
Littus in Heſperium. Peregrinas Virginis Ædes
Aligeros credas per cerula ducere pennis,
Atque ſecuturos Superûm ſignare labores.

Orant B. Virginem.

Dum findit freta cæca manus, cor ſidera votis
Pulſat, & exclamat: Virgo da vincere fluctus,
Et fratres, Patriam, Patreſque videre. videbis:

Red-

Reddita vox: grex parue: Deo iungere parenti,
Atque mihi, quæ mater ero: fraternaque Diuûm
Agmina complectens, Patriam mutabis Olympo.
Eſt anguſta tuis tellus virtutibus: aſtra,
Aſtra decent pueros, comitum queis nulla nocentũ
Perrupere animos exempla; nec vlla voluptas
Pectora perflauit Zephyro inſidiantis Amoris.
Sic, licet in cælum nigros polluta vapores
Perpetuò iaciat tellus; tamen aſtra colorem,
Fulgoremque tenent, nec labe, aut puluere ſordent.
Hæc ſunt, bellaſtis, pueri, quæ prælia. Turcæ
Vos ferro vincunt: ſed, quæ vicere Tyrannos,
Crimina victores viciſtis. nubila & ignes,
Turcarum impedient ſtygiâ caligine frontem;
At vos aſtra coronabunt. Hæc verba, tumultu
Mota procellarum, leuis vnda ſequuta, Notuſque,
Diſpulit in præceps puerosque ratemque; nec inde
Viſa ratis, puerique. imo tamen illa profundo
Emerſit tandem: ſuperaſque euadere ad oras
Aſpexit, vicina legit dum ſaxa phaſelo,
Expectans noctu Lycidas ad retia piſces.
Et memorat vidiſſe ratem per inania flammis
Et rutilis innare vadis, quam ſidera circum
Excipiunt, miſcentque choro, religantque carinæ,
Maior in Oceano quæ labitur ignea lucis,
Et mare remigibus primùm vaga ſubdidit Argo.
Hanc etiam ambitio pubem commiſerat vndis
Velleris aurati: pro vellere ſanguine diues
Æthera quærebat; victoque inuicta Colubro
Aligerûm ſedes & patria regna ſubibat.
Quin etiam ſpectaſſe refert vexilla, colorant
Virgineam quæ fronte Domum, per ſuda ſerenis
Ple-

Pueros Virgo ſolatur vicinæ cali potiundi ſpe.

In medio nationis prauæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. ad Philipp. 2.

Naufraga puerorũ cymbula iungitur naui, quę poſtquã vexit ad prædam aurei velleris Argonautas, collocata fuit inter aſtra. Pueri fuſo pro Chriſto ſanguine, aureo tanquam vellere diuites.

Google

Plena tumere notis, criſpari, ſurgere, flecti,
Nazarenæ Domus vexillum arte mira ventilatur ab Angelo.
Nunc arctare ſinus, leuibus nunc pandere ventis;
Cogere nunc rugas, rurſuſque vndare; iacentes
Nunc ſubmiſſa Euros agitare, hinc inde voluta,
Explicita, implicita, & languenti, & præpete motu,
Ducta, reducta, refuſa procul, collectaque, dextrâ
Aligeri verſante, alijs plaudentibus alis,
Et cantu, & choreis; & deſignantibus vltrò
Nazareni vexilli agitatio mouẽdam patria de ſede prænunciat Nazarenam Domum.
Nazareæ ſic Sedis iter, pompamque futuram,
Aliger in mediâ dum iactat ſigna carinâ
Gemmatis pueros cernit conſidere tranſtris,
Et cantare Celeuſma. feros non impigra motat
Pro remis gladios, ſed palmas dextera: laurus
Implicat ardentes cæleſti luce capillos,
Temporaque obnubit: vox gaudia pandit ouantum.
Animæ puerorum ſua canunt in naui.
O ſocij, nouus aſpirans vehit Auſter in altum:
Fracta procella necis; ſcelerum ſuperata charybdis,
Cæcaque ſcylla fuit: reduces certamine longo,
Littora fida ſalutamus, Patriamque beatam.
Adoleſcentiæ Virtutes.
Diſcite quæ ſuperas, iuuenes, inſternat arenas
Semita; non potare mali prædulcia cœtus
Pocula; non turbâ ferri; non facta popelli
Deteriora ſequi: Virtutis tramite, fixo
Aſt hærere gradu, mentemque inflectere nunquam,
Hanc niſi cæleſti Sapientia molliat igne;
Paucis aut nullis gaudere ſodalibus, atque his
Non genio ſociare animos, ſed lege Pudoris;
Frangere amicitias, ſcelerum quas vincula nectunt.
At ſi quis fraudes caſtâ ſub imagine condat,
Nexibus abruptis canere illico ab hoſte receptum,
Dum vapor erumpit primus malè olentis Auerni;
Non homini, ſed frena Deo dare, libera cordis;

Non ſe venalem facili diuendere linguâ;
Pauca loqui, ratione tamen librata; parentum
Arbitrio parere; feros compeſcere motus;
Sceptra ſui tractare; fidem, moreſque ſupinos,
Otia, delicias, vitamque odiſſe ſepultam;
Non ſtudijs, factiſque mori; deducere venas
In ſe virtutum, Sophiæque canalibus vti;
Plurima rimari, ſed plurima nolle; timorem
Numinis, aurigam decernere mentis, ad alta
Dum rapitur: iuuenes hæc ſemita ducit ad aſtra.
Talia dum Lycidas miratur, marmora latè
Hiſcere cernit, & ingenti ſpumare fragore; *Turbatur mare.*
Verticibus circum colles pendere liquentes,
Et frangi æquatis prope ſidera collibus vndas.
Ecce autem populator adeſt, pelagique tyrannus *Balena ingẽs emergit è fundo maris.*
Fluctibus è medijs immani corpore Cetus,
Mons animatus, aquæ reuomens in nubila montes,
Viua vorago, voraginibus qui regia fundat
Tecta ſibi, populumque ſuum formidine mutum *Piſces, mutũ pecus, exterret.*
Territat Imperio, & iaculato verberat imbre.
Æquora diſturbat, ſpumâque albeſcere canâ,
Incuſſo terrore, iubet; terriſque, marique,
Nauibus, & regnis, ventiſque inſultat, & aſtris.
Huius ad aſpectum cycladis per ſalſa natantis,
Saxa fremunt ſcopulique; ſinu mare mugit ab imo,
Vndarumque globus concuſſus inhorret, & vrget
Humidaq; in antra fugâ, premiturq; premitq; procellas.
Per Mundi delata metus fera bellua ſurgit;
Attollitque toros, & longa haſtilia præfert,
Dente ferox, armata vndis, atque ardua pinnis,
Ipſa ſibi turris, fremitu ſibi buccina belli,
Nare tonans geminâ, ſibi fax, & bellicus ardor

In medio flagrans pelago, certamina rictu
Machina parturiens. Lycidæ ſed gaudia Cetus
Inſtillàuit aquis: vidit nam millia monſtrum
Agmina muta ſequi; poſitoque timore, choreas
Ducere, montano Ceti pendentia dorſo.
Iræ ſecuri patulis in faucibus halec,
Salmones, ſoleæ, thynni, cum mugile mullus
Prælia ludebant cum phocis ludicra. Delphin
Adnabat lateri; turbæque choragus aquoſæ
Iungebat ſaliendo choros: bis mille ſedentes
In conchis Tritones erant; cornuque ſonoro,
Et liquido in cantus criſpabant æquora vento.
Piſcis in Oceano, cui nomen Stella, ſuperbit
Æmulus aſtrorum cæli: nam fulgurat igne,
Et freta conſumens, quidquid face tangit, adurit,
Filius vndarum, ſed degener. Ætheris æquor
Dum flagrat inuidiâ; fulgoribus aſtra laceſſens,
Stellifer æquoreis piſcis rutilauit in vndis.
Scilicet ante ſuis quam figeret orbibus aſtra
Conditor Omnipotens, cælique volumina torno
Fingeret, & terræ fluitantem funderet auram,
Æquor vbique fuit: mollique tyrannide aquarum,
Immenſæ domitor molis, dominuſque ſuperbus
Regna pererrabat terræ, duroque premebat
Cuncta iugo. Non ignis adhuc, non aëris vllum
Senſerat imperium; liquida ſed in arce ſuperbum,
Carceris impatiens, ſpatium telluris & ignis,
Aëris & cæli vallabat fluctibus oras,
Subdebatque ſibi totum pro littore Mundum.
Sed poſtquam poſuit legem, & confinia Ponto
Rex Superûm, foſſiſque ſuis, & carcere preſſit;
Deſuper explicuit cælum, vulgauit & ignes
Solis

Lycidæ ſpectāti lætitiam parit non timorem.

Claros ſapiētia autores video mirari ſtellam in mari. Huic tam igneum feruorem eſſe tradūt, vt omnia in mari contacta adurat. Plin. l. 9. c. 60. Initio aquæ vniuerſam terræ faciem occupabāt ex. Gen. cap. 1. Mox fuere à firmamento diuiſæ. Stella piſcis à mari genitus cęleſtium ſtellarum ob inuidiam.

Solis & aſtrorum; caluit tunc ætheris æquor
Inuidiâ; ſtellaſque videns: quid ſidera Ponto
Magne, ait, ò Genitor prohibes errare, globoſque
Irradiare meos, rapido quos turbine voluo?
Da, precor, in ſtellas piſces animare: ſit ignis
Inuidia in cælum, qua cunctis æſtuo lymphis.
Annuit, & viuum migrauit piſcis in aſtrum.
Ergo ſtellati venere ad funera piſces
Terga ſuper Ceti funalia viua, tenebras
Expulſura necis, cæleſtis pompa triumphi.
Vt terræ tetigere oras (mirabile viſu)
Octo, decemque piâ puerorum duxit ab aluo
Corpora Cetus. Erant ſine vitæ viuida ſenſu:
Purpura viuebat malis, & gratia fronte:
Cereus ore vigor; candorque, ruborque natabant
Lactis in amne: oculi, dorſum, coma, pectora, ceruix,
Brachia, crura, pedes ſine labe: ablutaque cædes
Æquore viſa fuit, non mors illata puellis.
Integra depoſuit poſtquam ſua pondera Cetus,
Acceſſu facilis quà lucet arena, rediuit
Sæuus ad ingenium, poſitaſque reſorbuit iras:
Æquoreum pecus abſceſſit: liquidoque ſub alueo
Dum caput occultat, Lycidæ fluitantia ponto
Retia, & iniectos æquatis fluctibus hamos
Pondere curuauit, prædâque onerauit opimâ.
Magnanimæ ſed quà Pubis, cedentibus vndis,
Compoſita in funus iacuerunt corpora; ſurgunt,
Et puerûm gaudent inſontum nomine Templa:
Atque gerunt has fronte notas. Hic ſiſte carinam,
Quiſquis committis malè fidis vota procellis.
Pulſari cernis prono quod ab æquore ſaxum,
Colligit ingentes pueros, qui mente gigantes

Puerorũ corpora à balena integra deponuntur in littore.

Balena depoſito ſacro pondere ſeuit iterum, ſeſeque immergit.

SS. puerorum templum, ſepulchrum, & epitaphium in ſepulchro.

 Bel-

Bella tulere Palæſtino, metuenda Tyranno.
Belligeris flammis, & magnis plena medullis
Aſpiciant Reges hæc oſſa; furorque pudorque
In Syriam extimulet; dum vana per arma vagantes,
Oceano non extinguunt bella ignea toto,
Non raptura Dei Buſtum; factura ſed Orbi,
Regibus, Imperijs, populis, Fideique ſepulchrum.
Chriſtiadum quæ bellantum ſint præmia, diſcant.
Dum pueri fuſo quærunt in ſanguine Idumem,
Æquoreis merguntur aquis: animæque potentes,
Victrices dum ſe vincunt; dum crimina calcant;
Dum ſociale nefas fugiunt, ſuper aſtra locantur.
Luſimus vſque puellaris certamina Martis.
Aggredior maiora. monet ſic Virgo: monentem
Audio. Idumęis noua gloria ſurge ruinis,
Obruta naufragio Friderici. Surgere bellis
Te iubet ecce nouis Ludouicus, vertice mentis
Altior Imperijs, Fortunâ grandior omni,
Tartari & inſidijs, & Morte potentior ipsâ,
Quam Virtute domat, ſupero clypeatus amore.
Non timet ille mori, Pietas cui ſecula ſignat;
Æternum qui mente Deum & Ventura fideli
Suſpiciens, retro quæ currunt, deſpicit vltrò.
Non timet, infidas Friderico, fluminis vndas,
Cui ſtabilem præbent cæleſtia littora portum.
Ergo age, Rex; pulſo non Iani cardine, Olympi
Poſtibus at verſis noua bella vocantibus, arma,
Arma Palæſtino Friderici merſa fluento,
Fallaci piſcare vado; dilutaque, bello
Redde: pium pia namque decent hæc prælia Regem.

Merſo Friderico, S. Ludouicus IX. Galliæ Rex bellũ reparat.

Fridericus I. aqua, qua merſus eſt, menſus eſt vitam.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

Ludouicus IX. vitæ redditus à B.V. bellum à Friderico relictum reparat. Traijcit in Syriam. Potitur Aegypti clauſtris: ſed, Nilo creſcente, victoriæ curſus abrumpitur. Premente lue diſcedit è Syria. Ante diſceſſum Nazarenam B. V. Domum inuiſit. Ludouici diſceſſum ſequuta prodigia, & Palæſtinæ clades extrema. Parante Turca Ptolemaidem, quæ ſola reſtabat, euertere, Pacifer cum S. Domo meditatur è tota Syria diſceſſum, & obuentura illi mala, malorumque ſigna prædicit. Denique Ptolemais obſidetur.

QVattuor, incertus vitæ, ſine lumine ſoles
Viderat affixus lecto Ludouicus; & artus
Dira febris torrebat adhuc. caligo iacentis
Ingruit ante oculos: morituro frigidus atram
Profluit in frontem ſudor: grauis arida languor
Pectora corrumpit: cedunt è corpore ſenſus:
Vis perit, & labris vox mortua conditur. omnes,
Et nati ſimul, & coniux extrema legebant
Spiramenta animæ; cum protinus halitus ore
Ampliùs haud errat patulo. iam labra rigeſcunt:
Iam macies malas minuit: pupilla quieſcit.
Non defrenato coniux, natique dolore
Extinctum gemuere: ſonat plangoribus aula;
Nec rigat hæc lacrymis, lacrymis ſed Lilia ſiccat;
Heroum florem, Pietatis amabile germen,

S. Ludouicus grauiter ægrotat.

Quatriduo iacet ſine vllo vitæ ſenſu, & creditur obijſſe an. 1253. ex Marino Sanuto l. 3. c. 1. par. 12. Secreta fidel. crucis & ex Vuill. Tyr. de geſtis Francor.

Liliū inſigne Gallorū.

Reuiuiſcit. ex iiſdem. Abſumptum credit dum crudo funere Regem.
Dum populi, dum Regna vlulant, Regina cadauer
Dum caſto fouet amplexu; lux ecce reuixit,
Et per regales rurſus natat aurea vultus.
Emicuere genæ: ceruix compoſta reſurgit:
Vena cruore calet: reſeratis lumina valuis
Receptam vitam B. Virgini vouet. Ex iiſdem. Excipiunt animata diem: vox, nuncia vitæ,
Denique prorumpit. Reuocatum è limine mortis
Quæ, Genitrix, in regna vocas? en rurſus in auras,
Inque acies, inque arma feror. lacrymabile murmur
Vincla recuſantis Solymæo in carcere turbæ,
Et nunquam domitus furor excitat. ibo: Parenti
Pareo diuinæ. vires, animoſque miniſtrat
Illa mihi, reparatque dies, & commodat vltrò,
Quos mihi Mors rapuit. reddam pro fœnore vitam,
Sanguinis & fructum referam tibi, Diua, ſuperſtes
Funeris ipſe mei. tibi dextera ſeruit: honori
Sacra tuo gerit arma; tibi pes calcat arenas
Lætus Idumæas. pedibus quæ Regna ſacraſti
Quæro peregrinus: peregrinum dirige Virgo:
Duc acies animoſa meas. Sic nominis heres
Sumpſit Maria ſoror Aaron tympanũ, etc. Exod. c. 15 Virgo tui, per aperta maris, per inhoſpita terræ
Iſacidas olim duxit: nemorumque ſilentum,
Marmoris & pauidi ſuſpenſa ſilentia rupit,
Argutâ torquens plaudentia tympana dextrâ.
Aedificemus ei propugnacula argẽtea. Ego murus, vbera mea turris. Cant. c. 8. Inde fugam pelagi cecinit, pelagoque voratum
Cum Duce niliaco Nilum, gentemque ſuperbam.
Surge age bellatrix, cui propugnacula mammæ
Argento fabricata tument, cui pectora murus,
Cui manus armorum campus, cui lilia vallus,
Lilia tartareis ſed quæ ſunt hoſtibus haſtæ,
Infixæque ſudes arcanâ fraude ſub herba.

Sur-

Surge age Idumæis mea prælia dirige campis.
Hic ceu paxillos, cæcâ tellure latentes,
Turcarum in caſum mea gallica Lilia figam.
Ne ſterileſcat humus diuino hìc ſanguine rorans,
Arida nunc ſcelerum Boreâ, quem ſpirat Auernus,
Addam ſudoris riuos: nam ſudor Amantum
Vel cruor eſt Chriſti, vel Chriſti ab origine cordis
Profluit, & flammis ſolaris inundat Amoris.
Sic Nilus mediâ creſcens æſtate, profundit
Illuuiem campis, & gaudia feſta colonis.
Dixit, & excuſsâ prælusit morte cruentis
Cædibus Aſſyriæ. Facta ad pulcherrima pectus
Impelli, facilèque ſequi iam ſentit, & hoſtem
Iam deſiderijs victor ſubſternere gaudet.
Tympana ſubſultant: belli dant claſſica ſignum
Agmina luſtrantur. ſacris de more peractis
Sacrifico ſtipante choro, ſpectabilis oſtro
Cycladis auguſtæ, medium procedit in agmen
Myſta, Crucis vexilla gerens, & gaudia Regis.
Procubuere acies, & maieſtate ſubactâ,
Optato Princeps donatur pondere. at alas
Ille putat ſe ferre humeris; ſubitòque volanti
Addita vis animo; Pietas adoleuit & ardor.
Cui Myſta: hoc ſigno te vincere doctus, & hoſtes
Vinces. lernæam domuiſti corporis hydram,
Quæ dulci furit igne, luem quæ dulciùs halat.
Nunc aliena rebellantum da corpora letho
Ipſe tui victor. mouet hos victoria greſſus.
Crux tibi dulce iugum: iugum ineluctabile mortis
Hæc erit Aſſyrijs. eadem ſic preſſit Auernum,
Et nos erexit, cruciati pondus Amoris.
Excipio Rex, inquit, onus. Caluaria pectus

In militia idē eſt lilium, ac ſudes cū fraude infixi ſub herba, vt corruat hoſtium equitatus.

Exercitum inſtruit ad bel.ū anno eius ſeculi 45. ex Paulo Aemil. l 7. Domine Epiſcope ego vos requiro, vt Crucem vltro marinā meis humeris imponere debeatis. S. Ludouici verba ſunt apud Vvil. Tyr Victor ſui cętera facilè vincit.

Hoc tempore ait Cantipratenſis l. 2. ex c. 3. ſereno cælo, & in nulla ſui parte obſcuro Crucem in cælo ex clariſſimo, & ſidereo lumine apparuiſſe formatam.

Digitized by Google

Accepta à S. Lud. Crux sã guine rubet, & ſuam inde mortem ille præſagit. Anno 1249. Damiatã poſt longũ iter tenet, pugnat, et vincit: potitur Peluſio, & Damiata Aegypti clauſtris an. 1249. ex Paulo Aem. l. 7. & ex Marino Sanuro l. 3. c. 1.

Et cor erit noſtrum. vel in hoc mea regna reuiſam;
Siue ſub hoc, placidâ compoſtus morte, quieſcam.
Crux comes vna viæ; Crux meta, & terminus; enſis
Hæc mihi bellanti, vincenti palma, corona
Sola triumphanti, ſi bello victor abibo.
Hęc dum dicta daret, rubuit Crux ſanguine; ſanguis:
Regis & in venis diuino ferbuit æſtu.
Rurſus ait. Moriar: ſic bello victor abibo.
Vocalis cruor eſt: poſcit cruor iſte cruorem.
Ite acies. dabimus. Solymæum ſanguine Regnum
Sic fundare iuuat. dixit, vexillaque iuſſit
Sanguinolenta ſequi: factis, & voce pauentes
Prouocat in curſum. Poſt multa pericula tandem
Traijcit in Lybiam: Lybicis fert prælia: vincit.
Sidonios Gallo populatus milite campos,
Enſe viam ſternens, Tunetana in littora turmas
Intulit. Ecce pij Terror Dux agminis ingens
Corda obit, & lacerat. cæcas fugit hoſtis in vndas,
Obrutus atque vndis inimico vortice fertur.
Gallus Getulas victricia ſigna per oras
Ventilat: hoſtili maculatos ſanguine fluctus
In Nilum immittit: qui turbidus imbre cruento,
Expiat impuro pollutam crimine terram.
Iam Lybicos, Syrioſque premens circumtonat armis
Chriſtiadum Mauors. Solymæam vertere ad vrbem
Bella parat; gladioque pio, Pietatis honori
Pollutos ſacrare lares, atque impia Regna;
Deſolare agros, & funere mergere acerbo;
Et, Ductore Deo, ſtirpem extirpare nefandam.
Quid Cruce non poſſit Pietas armata, Fideſque?
Si caret hæc armis, ſê ſolâ armatur inermis.
Chriſtiadum Probitas & bello, & pace probatur.

Ten-

Tendere ſcit cælo, belloque interrita palmas.
Ipſa ſibi vilis, ſed non ingloria, frontem
Submittit Superis; ſed in hoſtes erigit: ora
Dum cinere infuſcat, generoſos excitat ignes.
Corda Deo donat; ſed iuſtæ commodat iræ;
Miteſcitque ferox, mitiſque ferociùs ardet.
Sic Iudittha; Palæſtini ſic ætheris Atlas,
Muſicus & miles, pacatus, & armiger, aſtra
Torquebat precibus, plectebat cædibus hoſtes.
Bellica ſub viridi iudex ſic Debora palmâ
Mella liquabat apis; ſed cuſpide bella ferebat
Arbitra Iuſtitiæ, Pietatis & arbitra: Palmæ
Iungebat gladijs medicatos nectare fructus.
Sic te manſuetum Probitas, eademque ſeuerum
Mellitumque domi, ſed campo Martis acerbum
Formauit, Ludouice, Ducem: tibi credita belli
Summa Palæſtini: Syriæ per funera gentis
Da Solymis laxare Fidem tentoria campis:

Fides Chriſtiana non otioſa non vilis, ſed grandiū operum molitrix. Eadem miſericordiā iungit, & iram. Iudittha, Debora, Dauid belligeri ſimul, & manſueti. Iudicabat populū ſub palma. Iud. c. 4. Debora apem ſignificat. Dactyli dulces. Rami palmæ ceu gladij.

In Syriam ruit ergo animis Ludouicus, & armis.
Ad Peluſiacas ſed claſſibus impiger oras
Rex priùs appellit. Nilus circumſonat irâ,
Militeque immiſſo ripis: clangore tubarum
Telorumque tremit criſpata nitoribus vnda.
Collectas ſubitò turmas in littore ſiſtit
Soldanus, prohibetque hoſtes tellure potiri.
Spumantes Gallus naues per ſalſa remulcat,
Et terram roſtris inimicam findit: at ille
Totam aciem opponit. confligitur. agmina ferro
Sternit, iterque facit Damiatam Gallus in vrbem.
Tuta petunt ciues; nec ſuſtentare ruentes
Mœnibus, aut portis poſſunt. per limina terror,
Per turres, per tecta volat: manus, arcus, & ardor

S. Ludouicus cum Soldano pugnat.

Bellū hoc narratur à F. Henrico Sedulio in S. Ludouici vita.

Cum

Cum iaculis languet: diuulſæ pectora matres,
Arreptâ cum prole latent. pars obice poſtes
Dum munire parat, confixo corde, cruentas
Ferro animas aperit: pars impete voluitur imas
Cernua per foſſas, pontemque cadauere tollit.

Ipſi ciues dũ fugiunt vrbẽ incendunt ex Henr. Spondadano ad an. 1249 t. I.

Spe poſitâ accipiunt rabiem: poſtremaque victos
In ſe victoreſque armat vindicta. ruinâ
Pugnauere ſuâ: miſcent incendia tectis,
Protinus & fugiunt, Patriæ flagrantis Erynnes.
In ſua ſic vertit Carthago pectora tædas,
Et cineri, moritura, ſuo, face buſta parauit.

Fœmina per flammas gemina cum prole fugit.

Ecce autem medijs erupit fœmina flammis,
Tarda fugæ, retinente metu: natoſque gemellos
Materno fouet amplexu, queis florida membra
Tæda liquat, vultuſque roſas corrumpit amœni.

Incendia puerorum pupillas abſumpſerant.

Infuſcat niueas fumus fuligine malas:
Pars crinis combuſta: oculos abſumpſerat ignis.
Sola videt genitrix, lacrymis quæ vicerat æſtus.
Edere vagitus moribundâ voce puelli
Dum nequeunt, plorant ſtillatis funera membris.

S. Ludouicus accurrit, vt pueros eripiat ab igne.

Hic non abſtinuit lacrymis, Ludouicus: & enſe
Euolat abiecto; regali pignora fletu

Mater ſe potiùs flammis quàm hoſti credit.

Vt matri direpta lauet. Sed mater in ignes
Rurſus abit, timuitq; hoſtem, quem ex hoſte parentẽ
Effinxit Pietas. ſic flammis perdis amores,

Pellicanus dũ accenſos à venatore ignes in nido alis quærit extinguere, eo magis aucto cũ pullis conflagrat.

Pellicane tuos; dum diros aucupis ignes
Heu malè iactatis credis reſtinguere pennis.
Rex iterum victor poſitis accingitur armis,
Depellitque faces. Afros mox inde fugaces
Laxatis indagat equis. hos monte ſupinat;
Hos ferro necat, hos fluctu. Quid, Nile, recidis
Incrementa Ducis, dum creſcis? Fonte ſoluto

Dum

Dum Peluſiacos fœcundas auctibus agros,
Infœcundus eris; nam palmas amne, virentes
Perfidus arefacis. tibi ſic exareat vnda.
Palpitet in ſiccâ moriens Crocodillus arenâ:
Omne caput fluuij, velut Herculis hydra, crémetur,
Igne ſuperiecto; vel ſint tibi vincula ripæ,
Turbide molitor fraudum, cane ſæuior illâ,
Qua regnante tumes, nec littore colligis amnem.

Nilus creſcẽs S. Ludouici victoriæ curſum impedit.
Dirę in flumen.
Nili capita ignota.
Sub canicula Nilus exundat.

Exerit ergo caput natiuo Nilus ab alueo,
Victriceſque acies obiectis alligat vndis.
Proh ſcelus? Heroum genitrix quem Gallia miſit
In ſacra bella, Ludouicus, Rex gloria Regum,
Martis honor, ſcelerum ſceleratorumque flagellum,
Flos Fidei Tutorque, & non ſuperabile fulmen
Effuſis vincitur aquis. Mox ipſa Potentum
Mors regina domat. Dum flumine bella ſecundo
Ad Solymæ muros, ventoque fauente, feruntur,
Reflauit Fortuna: alacres victoria curſus
Fregit; & aſpectu duræ perterrita mortis,
Proiecit palmas. fixis tentoria ſignis
Corripuit miſeranda lues; & inertia paſſim
Corpora proſternens, belloque ferocior omni
Vna Ludouicum victorem vicit. Amorem
Non tamen inuictas vidit protendere palmas.
Arma iacit manibus; ſed inermis pectore robur
Rex alit; & manicas ſi ſoluit Turca, ſoluto
Induit ille animo Pietatis vincula. vincit,
Et rapit in celeres Pietas alata volatus.
Ergo volat per mille necis diſcrimina: victus
Omnia iam ſuperat; donec veſtigia fixit,
Et cor ſtillatum lacrymis appreſſit, amicas
Nazarei montis quâ tellus excipit vmbras.

In S Ludouicum cum flumine peſtis coniurat.

S. Ludouicus captas vrbes reddere cogitur, & quinquennio in Palæſtina moratur, vt per otium ſacra loca perluſtret ex Marino Sanuto l. 3.

Vi-

Nazarethum iter intendit ex Iodoc. Clitou. ſer. de S. Ludou.
S. Domum ſalutat.
Dolet ſe ſacro in bello non extinctum.

Vidit vbi pendere Domum de monte, lyceum
Grande coarctati Verbi, cathedramque ſalutis,
Eloquium didicit lacrymarum: verbaque cordis
Voce ſequutus: aue, dixit, vernantis Olympi,
Telluris vepreta inter, lacrymiſque gementum
Roſcida villa. tuis mea Gallica Lilia plantis,
Hoc & in areolis cor inſere. fonte rigabo
Sanguinis. O vtinam roſeas de pectore lymphas
Elicuiſſet, agens dirum in præcordia ferrum,
Barbarico ingenio Syrus? decus adderet aruis,
E cratere micans cordis, fons aureus vndis.
O vtinam hanc animam tibi, nobilis Ara, litaſſem,
Ara Dei ſpolijs, atque hauſto ſanguine diues?
Regia purpureo tunc victima vellere fulgens,
Regna coloraſſem, noſtrique inſignia Regni.
Haud licitū hanc animā generoſo impendere letho,

Mori optat in S. Domo.

Atque ſaginatam curis tibi, Diua, vouere,
Vnica cura mei cordis. non exeo telum:
Do iugulum: optatis Amor ictibus immolet. omni
Carior Imperio mors eſt in Limine Vitæ.
At vos, ò fidi Comites, bellique maligni
Relliquiæ (in patriam ſi quæ leuis aura vocabit
Fortunæ) narrate: Ducem, poſt bella, cubantem
Pacis in amplexu, vitam expiraſſe minacem
Aſſyrijs, caram Superis, Ereboque timendam.
Dicite: inaſſueto quaſſauit hic ariete muros:
Obſidione vrbes cinxit: ſine milite montes
Turbine corripuit belli, manibuſque ſubegit:
Nudus opes rapuit: terris prædatus Olympum eſt.
Vicit io: Ducibus præſtantior omnibus, Orbem
Iam tenet Imperio. Domus vna eſt grandior Orbe,
Quam tenet amplexu, & placidis circumligat vlnis.

Hinc

Hinc prædam exportat, geſti noua præmia belli,
Sceptra, coronales lauros, diademata, Regna,
Et quæ cara magis lauro, diademate, gemmis,
Torquibus auratis, & Regni lùmine, Mortem.
Dicite: nulla Duci ſurgant monumenta ſepulto
Condita marmoribus, pariſque effulta columnis.
Cellula, quæ cælo maior ſuper Æthera frontem
Extulit, atque Deum celauit, prodiga Diuûm,
Nunc amplexa Ludouici frigentia membra
Dum fouet, & pigros cineres exuſcitat igne,
Præparat æternos vitæ melioris in ortus.
Hæc ait, adſpectæque calens ardoribus Ædis,
Protinus auguſtos humeris proiecit amictus,
Sceptra manu, diadema comis. ſic, axe calores
Dum geminat medio directa potentia Solis,
Arboris obiectæ folijs nec vincitur ardor;
Æſtiuum dimenſus iter per aprica viator,
Exuit impatiens, proiectis veſtibus, artus.
Membra Ludouicus, pretioſis libera vinclis,
Tegmine ſetigero veſtit, cordiſque pudici
Circumſeptus agros dumis, in Virginis hortum
Sepe coronatus rigidâ, ſed floridus intrat.
Atque rubos inter, pro ſceptro, Lilia defert,
Nomine ſcripta ſuo. Pauet: æſtuat: alget: anhelat:
Ingemit: exultat: fixis obtutibus horret
Attonitus: Pietas, Amor, Horror, amica Voluptas
Bello confligunt placido, ſeſeque laceſſunt
Pectoris in caſtris. vox inter prælia prodit.
Tene ego parua Domus, te ſemita lactea cæli,
Conſita Virtutum ſtellis, amplector! in aſtra
Quæ me penna rapit! videor conuexa tueri,
Sidereis habitata choris, & prendere viſu

Inde ad Templum progreſſus pedibus, cilicio ad carnē indutus, ingreditur in Deiparæ cella S. Euchariſtiam ſumit magna lacrymarum vi ingentique religione perfuſus Turſel. l. 1. hiſt. Laur. c. 1.
Rapitur extra ſenſus, & mente ſiſtitur in cælo.

Nu-

Numinis immortale iubar; trabeata Cohortis
Agmina penniger æ; centum ſublime columnis
Templum,auguſtũ,ingens, Diuûm cui gloria lãpas,
Quam ſuccendit Amor, lacrymiſque alimenta beatis
Ingeſſit Metanœa, ferens flammantia luctu
Gaudia, dum terris hoc imbre bibebat amores.
In me cæleſtis quis funditur impetus aulæ?
Quæ Procerum formoſa acies fluit aurea circum
Limina? quæ Superos ſupereminet alta Virago,
Os habitumque gerens Reginæ? ô Diua, Tonantis
Intemerata Parens,ſpes ô fidiſſima Mundi!
Ora patent: vanâ nec fallor imagine: Virgo es,
Virgo decus cæli, quam terris actus & alto,
Quæro per arma diù: quæſitam ſanguine, votis,
Inſidoque mari, lacrymis, ſudoribus, armis,
Iam teneo. roſeis pedibus da iungere labra:
Da libare manus, Genitrix, & cernere vultus.
Diſſimulata diù Maieſtas panditur: vndat
Protinus ecce genis tempeſtas clara nitorum,
Et ſpectare licet.Deſcripta in lumine frontis
Fata lego voluenda mei felicia Regni;
Ardeoque immenſo famæ venientis amore.

Huius vitæ lacrymæ,ad alẽdum æternæ lætitiæ lumẽ, in oleum vertuntur.

In cælo B.Virginem intuetur, aperiente ſe paulatim luce manifeſtam.

Quis puer ille,faces Mariæ,& maria ampla decorũ
Ore vorans tenero? ludit cæleſtibus vndis
Merſus, vt æquoreis ludunt Delphines in vndis,
Seriaque indomito portendunt prælia Ponto.
Hic Delphinus erit. prænunciat ecce procellas
Luſibus innocuis: Mahometis caſtra pauete.
Alme puer, noſtræque Domus ſpes vna labantis,
Quem genitrix vtero ſterilis, fœcundaque votis,
Corde, aluoque parit, multis voluentibus annis,
Virginis auſpicijs naſceris, & auſpice creſces

Ad B. Virginis lucem è matre ſterili Delphinum filium naſciturum agnoſcit.

Vir-

Virgine: virgineis victor ſacraberis armis:
Noſtra retentabis certamina: pectore Virtus
Calcar aget; fortiſque animo Deus incidet alto.
Incipe, parue puer, magnis aſſueſcere bellis:
Te Regno parit Anna; parit ſed Virgo triumphis.
Cedo armis: ſuccede puer: tibi caſtra relinquo:
Te Bellatorem meliori gurgite Pontus,
Et claſſem excipiet, pacatiſque efferet vndis
Ad Solymæ muros, ad culmina fœta Tonantis
Sanguine. Iam pallet maculis Othomanica miris
Luna cruenta. notat venientia funera pallor.
Chriſtiadæ magni, captiuaque turba gementum
Regalem implorant dextram: miſerere laborum:
Faſciolas exolue tuas, vt vincula ſoluat,
Indignaſque leuet manicas, non digna catenis,
Sed ſceptro pubes. i: Lilia ſparge Tonantis
In Tumulo: vernet Spes publica mortis in agris,
Floris alumna tui: generoſo milite pignus
Aſſere: ab aſſerto ſurget tua fama ſepulchro.
Hoc regale parat ſolium tibi Gloria: cunas
Deſere: in armigeros, cunas conuerte, curules.
Iam Venetus fremit ore Leo: ſe iungere bigis
Apparat & Latij cuſtos, Regina volantum. *Lilium ſpei ſymbolum. Sic videre eſt in antiquis numiſmat.*
At te parua ſitu, Regniſque Domuncula maior,
Cui votis, vlnis, animoque infixus, Olympum
Peruolo, Nazarei ò ſi quis de vertice raptam
Inferat Europæ cordi, cor nobile Mundi!
O ego ſi dorſo obnixus, manibuſque reuellam
Barbarica de ſede Domum? quo concita plauſu
Gallia, victorem exciperet, prædamque, triumphum, *Deſiderat Nazarenam Domum in Europā transferri.*
Regna manu, currus, palmas, & ſidera, cælum,
Denique cuncta, vnâ contenta in mole, ferentem!

Ita-

Digitized by Google

Italia Heroum mater, contermina cælo,
Hæc te dona manent cæleſtia. cerno volucres
Iam ruere effuſas ad dona vehenda phalanges.

Prædicit in Italiam trãſferendam.

Me ſinite, ò Superi, ſupponere colla labori.
Syrmata depono: vos dorſo adiungite pennas:
Me veſtris miſcete choris: ferar ales in auras:
Regia Rege Domus vectabitur: ite; ſequemur.

Pro Chriſto multa pati, atque etiam mori victoria eſt.

Hæc dum dicta dabat, ſibi redditus, aſtra reliquit;
Et poſt ſiparium, patuit quæ ſcena, recedit.
  Hæc ſecum pia vota ferens, auroque redemptâ
Pace redit, dum fata volunt, non impia fata.

Multi aut bello, aut peſte conſumpti cęlo fuere donati nõ ſine Luciferi rabie, cui pœna creuit.

Viciſti victus, Ludouice: inimica maniplos
Mors populata tuos, victores intulit aſtris.
Hæc plaudunt, dũ terra gemit: gemat illa; triũphent
Dum populis hæc aucta nouis. tellure dolente,
Tartara non rident; turbæ nam pœna nocentis,
Noxius atque tuis creuit ſudoribus ignis.
Tartara dum doleant, tellus gemat, aſtra triumphẽt.
Viciſti victus. quæ continet omnia nutu,
Cunctaque circumagit, vicit diuina Voluntas.
Hæc dedit arma, eademque rapit. nõ ſãguine Turcæ
Sed voluit ſplendere tuo, qui lumen inumbrat
Solis, & aſtrorum. morborum fertilis aër
Agmina vaſtauit: ſed dum contagio labem
Impreſſit membris, animi nituere. nocendo
Mors prodeſt, palmaſque metit, dum diſſecat artus.

Patientia sẽper victrix.

Viciſti victus. vicit Patientia. fortes
Aggrediendo facit; patiendo perficit. arma
Corde retundit. agens nihil hæc, agit omnia. bellum
Dum ſe vincit, agit. par omnibus vna tacendo eſt.
Actio bellantis ſunt otia. Non flagra Cyri,
Non iuga Xerſis aquas pelagi, non mille catenæ,

Non

Non pontes, ſcopuli, remi,non mille carinæ,
Perdomuere; domat, patitur quæ ſubdita fluctus,
Atque immota manet pelagi fluitantis arena.
Vna fuit, Ludouice,tibi iactura, doloris
Vna ſeges, lacrymanda lues, æterna cicatrix,
Quam fruſtra lacrymis medicaris. ſcilicet arcus
Arguis Afrorum nimiùm in tua vulnera inertes;
Eſt grauius tibi morte, mori non poſſe; fidemque
Pectore confixo telis, animâque fideli
Oſtentare. redis hoc victus: cætera Victor.
O Superi! Ludouicus abit. quas æthere nubes
Luce migrante, Palæſtinis coaleſcere regnis
Aſpicio! cuſtos diſcedit: cedite campis,
Cedite, Oues, Syriæ: tempeſtas incubat atra:
Erucæ, bruchi, rubiginis, atque locuſtæ
Relliquias comedet. grex irruit ecce luporum
Hac in nocte, fames quem longa exegit. Idume
Vt ſtabat, ſubitòque ruit poſt fata Iacobi:
Diſceſſu ſic mota tuo, Ludouice,ruinam
Fertur in extremam.Regnorum ſola leuamen,
Et fulcimentum Pietas eſt. Diſcite Reges:
Non munire armis,& milite Regna; ſed arces
Pectoribus fabricare viros, quæ Numinis armat
Ære graui Pietas, lorica tenerrima cordis.
Poſtquam ſancitam Ludouici fœdere pacem
Diſcidit ambitio Procerum, Meleſeraſa bellum
Integrat, Hugonis poſt funera ſæuior: omnes
Contrahit in bellum vires, ſocioſque Tyrannos;
Stirpibus vt nomen Syriâ è tellure Latinum
Vellat, & Imperium. Dum bella extremā parantur,
Vltima, fonte loquax,cecinit diſcrimina tellus.
Nazareus frontem,quâ mons obliquat, & æquor

8. Ludouicus è Palæſtina diſcedit.

Poſt diſceſſū Palæſtinæ calamitas. Cauſæ, Dominorum ambitio, & diſcordia,& corrupti mores Latinorum. Hen.Spondā. t.1. an.1291.

In Nazareth viſitur fons, ex quo in pueritia Ieſus ſolebat haurire, & Matri ſuæ deferre. apud Henr. Caniſ. t.6.

Huius fontis origo.

Fluctuat arboreum ventis, ſeſeque viretis
Scena aperit , trepidat terræ fons vber, & altor ,
Luxuriatur agris,& florum ſidera paſcit .
Proſiluiſſe ſolo memorant, ſcatebrâque niuali ,
Cryſtallo ſimilem , cœpiſſe allambere flores ,
Serpere per collem , ſonitu per deuia labi ;
Cùm Puer, Æterni ſoboles æterna Parentis ,
Et Genitricis amor , per ſaxa rigentia repens
Dextellâ, dubìoque mouens veſtigia paſſu ,
Denique feſſus ait. Genitrix , hìc ſiſte parumper,

Infanti Deo Caluariæ ſpecies obijcitur & mater obuia.

Et mecum, mea vita, ſede . ſedere . Puelli
Illico ſed mentem ſubijt Caluaria . vidit ,
Pondere dum feſſus ligni fatalis anhelat ;
Conſternatus humi dum ceſpitat ; agmina contis
Tundere deiectos humeros;iterumque laborem
Inſtaurare viæ ; tremulam ſub mole doloris,
Attonitamque ſibi Matrem occurſare dolenti.
Tunc Puer optati recreatus imagine montis ,
Ardet , & illacrymat, dulcedine paſtus amanti.
Mater, ait, ſurgamus ; Amor veſtigia ſoluit .
Crux vbi ? Crux mea vbi eſt ? ò ſi Caluaria , collis

Nazareth ciuitas florum.

Obiecta pœnarum ſpecie puer mortem cupit.

Nazareus fieret ! quid flores nomine præfers ?
Auerſor flores: horrores ardeo. tardum
Vrge iter, ò Mater. properantem in funera Natum
Quid greſſu ſequeris pauido ? quæ dulciter vndat
Lacryma nunc oculis , in rubrum verſa cruorem,
Omnibus ò ſi ſtagnaret circumflua membris.
Crux vbi? Crux mea vbi eſt ! vbi dira ſatellitis haſta?
Sanguinolenta vbi ſerta ? vbi vincula, tela, catenæ?
Hæc dum balbutit ; ſtimulis dum currit Amoris
Per iuga Nazarei montis; dum Mater euntem
Vix ſequitur, titubante gradu prolabitur Infans :

Et

Et rigidâ proiectus humo, rorantia fletu
Ora ſuper lapidem colliſit. tactaque rupes,
Et lacrymis mollita Dei, lacrymauit; & inde
In fontem iaculatur aquam, argentique liquentis
Fundit opes. at dulcis erat quia lacryma Pupi,
Dulcia potanti fert gaudia: funera, morbos
Obruit & curas; lacrymaſque doloris amaras
Dulcibus exiccat lymphis, dum labra rigantur.
Quin etiam viles animas, mortemque timentes,
Ambitione Crucis, pœnarumque imbuit æſtu,
Efficit & vitæ largos, fideique tenaces.
Rore leui qui ſparguntur, peritura peroſi
Munera ſortis, amant duros perferre labores,
Exhaurire ſinus, & fonti reddere fontes
Sanguine purpureos, & relligione calentes.
Ingerit hæc etiam, dum labitur vnda, vigorem,
Lubrica quo ſpecies, quo labile temnitur aurum.
Oblitis terrena, Deum cęlumque propinat.
Hinc æternorum ſitis ardet, feruet amoris
Ebrietas bene ſana. Parens hoc fonte lauabat
Nati faſciolas & lintea. purior vnda
Panniculis hinc ablutis ſaliebat, Olympi
Exuperans cryſtalla. Niues, ſic hauſta, Pudoris
Et Paupertatis ſub pectore alebat amores.
Subdita, candidior vitro, dum prata ſecabat,
Ludebatque ferens argenti molle tributum,
Sæpiùs affuſo gemmabant lilia rore,
Et roſa purpureis vlnis repebat in auras.
Rorabant lacrymis hyacinthi: brachia cedri
Et palmæ in cinctum tendebant florida fontis:
Nutabant virides cuneatâ fronde cupreſſi:
Aſpiciebat agros melior Sol, auraque riſu

E pueri cadẽtis attactu fons oritur. Mira fontis effecta in corporibus, & animis.

Fons natus è Chriſti pœnis barum amorẽ epotus excitat.

In Nazareth fons: vbi puer Ieſus balneatur, veſtes per matrẽ abluũtur, &c. Guilielm. de Bald. Apud Can. t. 5. p. 2.

Poſt S. Ludouici diſceſſum fons prodigiater rubet, & curas epotus ingerit.

Digitized by Google

Flores afflabat : Boreas non germina flabro
Mordebat ; ſuſpirantes ſed murmure venti
Motabant frondes , & odorum prata procellas
A zephyris agitata dabant , fluctuque tumebant
Florifero : querulam plorabat turtur ad vndam :
Lætum lugebat philomela, iocantibus Euris :
Sidebant niueæ, lymphâ currente, columbæ
Ad fontis labrum ; ſinuoſi curſibus amnis ,
Lambentis iuga,lætantes , ſpeculoque liquenti .
At poſtquam Syriæ Ludouicus ceſſit ab oris
Bellonæque furens rapuit Meleſeraſa tædas ,
Corrupit fons argentum , fœdoque cruore
In mare mortiferum vitiatas impulit vndas ,
Triſte rubens : potus non gaudia corde fouebat
Sed ſtillabat aquis miſtas formidine curas .

Fauſtus Eremita propè fontē habitat.

Non procul à ſcatebra fontis, ſtatione remotâ ,
Fauſtus erat,dominuſque ſui,Superiſque propinquus,
Pacis amans, contemptor opum,ſibi diues, & inter
Arboreas vmbras rutili ſpeculator Olympi .
Nixus in hoc, Mundi concuſſi pondere tutus
Sideream ſcenam,& pictæ ſpectacula noctis
Dulcia quærebat : muſcoſo pumice ſomnos
Stringebat,modulante ſonos & ſomnia riuo.
Septus tutelâ Superûm, ramalia tendens ,
Venabatur amore Deum , luxumque domabat
Luxuriantis agri cultor ; ſibi iura ferebat .
Herba famem ; grauidas precibus ſed frigida fauces
Mulcebat: fuga lenis aquæ, zephyrique, cachinnus,
Frondibus impulſus per frondea rura, dolentis
Lenibat curas . Fortunæ rector & auctor ,

Sanctior Diogenes .

Motor & immotus Cynici non præla , ſed orbes
Vertebat ſuperos animo : manibuſque cauatis
Dum

Dum lambebat aquas, potabat flumina lactis,
Et compreſſa fauis cæleſtia mella beatis.
Ergo ſemel dum collectis in pocula palmis,
Vincat vt ardores, fugitiuum colligit amnem,
Obſtupuit rubuiſſe: tamen libauit. at ora
Guttula vix tetigit; cum protinus enthea pectus
Flāma coquit, mentemq; rapit. Lymphatus in Vrbē
Nazaream per ſaxa volat, ſeſeque domare,
Dum nequit, exclamat. Quò me vindicta Tonantis,
Quò malè fatidicum raptas? diſcedite, ciues,
Exilio in cunctas, miſeri concedite terras;
Celatoſque ſinu, matres, abducite natos.
Ira Dei plenâ tandem ſupereffluit vrnâ.
Criminibus preſſum veſtris ſorbete venenum;
Nec ſitula in fundo ſedeat crateris: Idume
Iam ferale coquit virus: ſorbete: quid vltra
Vertitis ora procul! veſtra eſt hæc potio, veſtra.
Pocillator adeſt Meleſeraſa: plena furoris
Pocula propinat. quia diduxiſtis ab hauſtu
Labra, ſuo Pietas quem nectare condijt, vndam,
Sugite lethalem, quam tabida porrigit Ira.
Hæc veſtris poſtrema malis medicina paratur.
Vrbis Nazareæ montes, vbi Pupulus olim
Luſit Amor ſimilis capreæ ceruoque fugaci,
Horrida nunc alijs eritis proſcenia ludis.
Pulpita pulſabunt Furor & Vindicta cothurnis.
Creuit Amor, rumpitque vias, & clauſtra furoris:
Creuit; & in vulnus fremet ore, armabitur vngue.
Qui fuerat ceruus, leo fit; qui fugerat hoſtes,
Præcipites aget in vallem, & mœroris abyſſum,
Præcipitare auſos patrio de culmine Numen.
His dum fatidicis contriſtat vocibus Vrbem,
Impatienſque ſui, vario luctamine currit,

Eremita fontem potat, & ſacrum rapitur in furorē.

Vicinum Palæſtinæ totius exitium vaticinatur; fæx eius, &c. pſ. 74.

Duxerunt ad montē, vt præcipitarent eū ex Luc. 4.

Digitized by Google

Virginis occurrit Laribus. ceu detumet vnda,
Fauſtus tacto limine S. Cellæ ſomno corripitur. Et cadit ad ſcopulos, fregit ſic ille furorem,
Procubuitque ſuper Limen, mentemque recepit,
Os,& corda domans. mox dulci lumina ſomno
Preſſit,& euigilans tremefacto pectore ſurgit.
Euigilat, turbatuſque prænunciat S. Domus fugam. Ceu prohibere fugam tentet, tenet ore Penates
Amplexuque ligat. Ciues, proclamat, adeſte:
Regia Cælituum Conclauia, pignora cæli,
Virginis ecce Lares fugiunt. retinete fugaces
Corde manu, votis, lacrymis, amplexibus, ore.
Itala terra rapit: rapiunt nos vltima fata.
Tartara quotquot alunt, in nos irrumpite Thraces
Dum fugit vna Domus, mouet omnia; ſuccutit arces:
Mœnia ſuccumbunt, agri vaſtantur, & vrbes.
Ante limen S. Domus emoritur. Hæc vlulans profugis figebat millia muris
Oſcula. ſed merſus lacrymis felicia clauſit
Lumina;& excluſus parua de Sede Tonantis,
Ætheris immenſas habitauit Spiritus ædes.
Exigui fontis lymphas in flumina vidit,
Torrenteſque voluptatum,& dulcedinis æquor,
Enſis apparet ignitus in cælo. Creſcere, ab æternis, quòd labile montibus errat.
Nox quoq; ſigna dedit. Dirùm per inane coruſcat,
Vmbrarum quamuis vaginâ conditus, enſis:
Abrumpit Solymæ nebulas, Tripolique minatur:
Sanguineo tenebras ſulco inficit, aſtraque terret.
Denique funereos Ptolemaidis arcibus ignes
Exonerat ſuperimpendens. Nox palluit arma,
Vaſaque collegit Phœbe fugitiua, recuruo
Caſtra iubens cornu ſtellata recedere campis,
Quos nouus Orion tenebroſo lumine turpat.
Cælo Luna pauet dum pallida, ſanguine terris
Turcica Luna rubet. Lætas Meleſeraſa turmas
Per Solymę excidium Tripoliſque his vocibus vrget.
Ma-

Magna, viri, res acta: tamen quæ maxima, reſtant.
Chriſtiadum ſtirpem inuiſam, niſi ſtirpe reuello,
Non viciſſe puto. progerminat arbor, ab ima
Ni radice ſecas, ni ferro perdis, & igne.
Ergo perdatur ferro, perdatur & igne,
Gens inimica mihi, cineri quæ ſæpè ſuperſtes,
Sæpiùs extinctos bellorum ſuſcitat ignes.
In clauſtris fera clauſa fremit, quæ ſparſa per agros
Spargebat pecori cædes. Ptolemais inertes
Sola tegit turmas. hac vnâ vertitur vrbe,
Spes, & vita hoſtis. ſi concidit vna, ſepulchrum eſt
Nominis, Imperij, armorum, populique Latini.
Vrbis floriferæ de vertice Pacifer audit
Talia iactantem: ferit alto corda dolore,
Alloquiturque pias triſti ſermone ſorores.
Virtutum dilecta cohors, Laris hoſpita noſtri,
Venit ſumma dies, Genitor quam ſæpè monebat
Omnipotens properare, ſcelus cui calcar Idumes,
Et Regum ambitio. Polluta relinquere Regna
Cogimur. Ante tamen ſpectabimus vltima gentis
Funera, vt immiti grauius ſit morte perire
Pacis in aſpectu, ſcelerumque holocauſta cremari,
Virtutum ſpectante choro. Sic Regia Diuûm,
Regibus atque diù tellus regnata Latinis,
Sed deſpecta Deo, fundo volueris ab imo,
In Thracum ruitura manus, Erebique lacunas.
Cernis vt antiqui renouantur ſigna doloris,
Et Solymam exterrent poſtremæ monſtra ruinæ?
Heù dolor? heu lacrymæ? quæ mentē turbat imago
Horrida, crudelis, Solymæo ſanguine, & enſe
Hoſtili depicta? procul diſcēdite, Diui,
Pollutaſque aras, Templique relinquite ſacra.

Pax diſceſſū adornat. Socias virtutes alloquitur

Hæc excidij ſigna olim viſa in excidio Hieroſ.

Vir nomine Ieſus cœpit clamare: vox ab Oriente. væ Hieroſolymæ. Idem.

Sera templi, quæ tanti pōderis erat, vt vix à 20. viris moueri poſſet, per ſemetipſam eſt reſerata. Idem.

Media nocte lux in tēplo.

Stella ceu gladius in cælo per totum annum apparuit ſupra ciuitatem.

Vir plebeius, cum inter flagella ſpiritum emitteret, aiebat væ Hieroſolymæ. Idem.

Auditis? vox vna ſonat: migremus ab aris.
Ara profanato calet igne. migremus ab aris.
Numinis ex Oriente furor prorumpit in ædes:
Ære immota graui, violati limina Templi
Sponte recluduntur, queruloque in cardine lugent:
Lux aditus immiſſa tenet, noctemque, diemque,
Fœdere terribili miſcet: lux nunciat vmbras,
Fulguris in morem. miſeri, ne credite luci;
Quam nox atra parit: nigrâ ruet ignis ab aluo,
Quà ſcelerum duxere viæ: glomerabitur ira
Concepta in tenebris, in lumine fulminis orta.
Regum formido, ferali crine cometes
Ad Solymæ funus tædas accendit; & altis
Perſonat irrequieta tuis vox præfica muris,
Excidij præſaga. Cruces minitare, neceſque;
Tunde genas; diſcerpe humeros, & vulnera fige
Mille viro: vox vna ſonat: vox vulnerat aures
Vna tuas, echo cæli geminanda: peribis:
Ibis in extremi venundata littoris oras;
Si ſupereſt quid ab enſe, moras rumpente dolorum.
Non ſatis eſt perijſſe ſemel: reparata peribis
Semper; & æternis nunquam infecunda ruinis,
Cladibus implebis terras, & Tartara queſtu.
Pande aures, animum ſi claudis: lumina pande;
Obſtruis infelix pauidis ſi vocibus aures.
Aſpice: diſcurſant iterum per inania currus,
Præcipitante rotâ: ſtrident caua nubila: telis
Pallida inardeſcunt, proque imbribus atra timores
Diſciſſo fundunt vtero, morteſque, minaſque.
Diruta Templa loca: recidiuas erige turres:
Rupibus effoſſis, fundamina pone Theatris:
Cuncta trahent iterum, fato impellente, ruinam,
In-

Incumbentque ſibi fundamina, Templa, Theatra ;
Numinis, igne vorax, erit Ira cuniculus. ædes
Diruet hęc, Vrbiſque arces, & ſtrata viarum.
Crux vltrò iactis quæ proruit ignea foſſis,
Et veſtes depaſta virûm ſerpebat in artus,
Monſtrum erat, & bellis omen fatale futuris.
Pullulat in clades tua vita, reſecta Latinis
Enſibus: exurgis, rurſus moritura: ſepulchris
Innumeros tibi terra Titos inimica profundit,
In te quos animat furor Omnipotentis, & armat.
Arma, faces, & dira fames, & turpis egeſtas,
Dedecus, æternumque iugum, ferrique catenæ,
Vmbra, pauor, rabies, & Erynnes mille ſedebunt
Heu diſiecta ſuper tua ſaxa. Tenella parentes
Corpora natorum gremio diuulſa vorabunt,
Atque cruentabunt labra ſanguine, corda veneno;
Et ſaturæ furijs, ſaturabunt viſcera monſtris.
Dira Palæſtinos, crinita Megæra colubris,
Peruolitabit agros: fecundum crimine pectus
In tua concutiet diſcrimina: dente draconum
Gens ſata prodibit, quæ cordibus intima ſubdet
Vipereas animas, inſpirabitque Meduſæ
Vrbibus afflatum: maioremque orſa furorem
Demetet exuuias Solymęæ perfida gentis.
Infelix Patria, & ſerpentibus eſca; laceſſis
Quid Superos clamore? cruor, cruor ille phalanges
Euocat hoſtiles in te, dum feruet amore,
In tua quem Clauis duxiſti damna. flagella,
Quæ quaſſat Bellona manu, ſunt Flagra, per artus
Carnificum quaſſata manu: diademata Regni
Deiecere Rubi: ſceptrum deiecit Arundo:
Vincla Deo conflata, tibi peperere catenas;

Cum Dei tẽplũ Iulianus Apoſtata ſubſtrueret, erupere è fundamentis flammæ, & cruces. Niceph. l. 10. c. 33.

Maria mulier Hebræa filium vorauit. ex Ioſ[eph]

Chriſti pœna in Hieroſolymã deuoluta.

Ser-

Seruitijque iugum Crux intulit. imprime vulnus:
Finde latus : pia corda feri: furor inde, procellis
Profluus ignitis , exuberat : inde ſagittæ ,
Hoſtileſque acies, roſeo cum ſanguine manant.

Signa excidij, à Pacifero mente præuiſa, ciuiū oculis reipſa ſubijciuntur.

Vix ea fatus erat, cum protinus omnia mentem
Fatidicam quæ turbarant portenta, furoris
Cardine diuini conuulſo, lumina terrent,
Et miſeram veris implent terroribus Vrbem,
Aëra per vacuum vox latè miſſa: migremus.
Crux ſalit è terra: lux deſilit æthere, noctis
Filia : pulſantur celeri nigra nubila curru.
Nil tamen iſta mouent hoſtes : præſagia belli
Fauſta putant. Vultu ſpirans Meleſeraſa clades,

Ptolemais obſidetur. Oppugnatur ab equitum 60. peditum verò 160.m. Defenditur à 30.m. armatorū exceptis ſupplementis. Henr. Spond. t.1. ad an. 1291.

Obſidione premit Ptolemaida : mœnia ciues
Aggeribus cingunt, Turcaſque è turribus arcent.
Aſt illi circumſiſtunt, atque ariete muros
Proturbare parant, foſſaſque implere iacentes.
Chriſtiadæ obniti contra, magnoſque molares
In circumiectas niſu detrudere turres;
Spargere malleolos, imbres feruentis aheni,
Eruta ſaxa focis, pluuias candentis arenæ,
Lapſilis ac olei calidos effundere riuos.
His vires addit ſors vltima : roborat illos

Sic ſe olim ſub Tito defenderat Hieroſolyma.

Vltima, quam ſperant, poſtremi gloria belli.
Sic magis audaces extrema pericula rumpunt:
Tela inter media, atque ardentes igne procellas
Diſcurrunt, portaſque tenent, & cardine vellunt.
Pectora Chriſtiadum vulſis pro poſtibus adſtant,
Obijciuntque animas pauidæ pro mœnibus vrbis.

Turcæ irrūpunt.

Sed fruſtra miſeri, voluentibus omnia fatis,
Hærent in portis. per vulnera, & oſtia Turcæ
Dant cuneum: vincunt numero, virtute minores.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

Turca Ptolemaidem vaſtat. Moniales, vt pudicitiam tueantur, ſe vulneribus deformant. Patriarcha, dum ſua ſecum naui plurimos excipit ad fugam, inuerſa pondere naui, naufragium facit. Chriſtiana fœmina gladio pudicitiam defendit; hoſtemque vlta, fugit ad naues. Soluunt cum illa plerique; ſed ea in ſcopulo ſalua, in mari cæteri pereunt. Parta victoria, venationi dux Turc. indulget. prodigijs terretur. Chriſtianos infantes, in antro à matre ſeruatos, enſe diſcerpit.

QVis lacrymis luctus æquet? Meleſeraſa tędam
Atq; Erebũ pro corde gerens: hoc ite, cateruę
Tramite, ait, facio quẽ flammâ: hoc pellite Chriſtum, *Dux ingreditur.*
Chriſtiadaſque ſimul; ſed mortis pellite ad vmbras.
Hæc ſuper exurgat Mahometi fumida templum
Rudera, quæ tumulent cum relligione Tonantem.
Hoſtibus euictis, vos vincite cuncta nefandis
Crimina criminibus. frenos laxare pudori,
Sit pudor. impietas, audacia, ſtupra, rapinæ
Militiæ ſint forma meæ: ſit teſſera Martis.
Ille ſceleſtus erit, ſceleri qui parcit; iniquus,
Iuſtitiæ qui iura timet. me Principe, laudem
Crimina maiorem, quæ ſunt maiora, merentur.
Barbare, quid voces, Meleſeraſa, perdis inanes?
Sat factis, ſat fronte doces peccare. Tyranni
Sunt muti voces, exempla. è vertice montis
Nun-

Cæſi è noſtris capti, & abducti in vniuerſum vltra ſexaginta millia. Spondanus. Diruta vrbs die 44 obſidionis. Nic. IV. Pont. anno pontif. 4.

Digitized by Google

Nunquam ſaxa ruunt, campi ſine ſtrage iacentis:
Cuncta trahunt, celſaſq; cedros, humileſq; myricas.
Per fora, perque domos ſcelus æſtuat omne. per arua
Sic Nilus cœno ſpumantem digerit æſtum,
Vndiſono feruente globo. Per templa per aras
Promouet ira nefas, & cædibus omnia miſcet.
Templa Sacerdotum ſaturantur ſanguine: rorant
Sanguine pollutæ veſtes; cultroque recepto
Purpureas animas calidum in cratera profundunt,
Nectare qui gemmat Chriſti. Sacra lipſana Diuûm
Sacrilegis manibus ſcelerantur: ventilat aura;
Deuorat vnda; pedes, temerati cæde recenti,
Proculcant cineres, veteris veſtigia flammæ,
Quam ſeruabat Amor ſub pectore cordis in ara.
Fluctuat infelix dum terra cruore; profanis
Moniales in hoſtiũ ingreſſu naſum ſibi præcidunt, & alijs vulneribus facies deformãt. Spondan. t. 1. ad ann. 1291.
Sacra natant dũ mixta; manet Domus integra tãtùm
Virginibus multis habitata. Hæc inuia fugit
Accipitrum cupidos oculos, quam Gratia pennis
Læta ſuperuolitat: cæloque dicata, coronat
Lilia complexu, nullis violanda procellis.
Hac in ſede oculos ad Numinis ora Columbæ
Partheniæ vertunt, caſtâque cupidine feruent
Solis ad aſpectum; dum belli nubila circum
Eripiunt alijs turpi caligine lucem.
Vrbe cadente, tenent cæleſtem cordibus Vrbem,
Columbæ ſuper riuulos, &c. Cant 5.
Atque Deum lacrymis. Hoc lotæ fonte, pererrant
Mente Polum niueæ volucres, vigilantque; Pudorem
Ne maculet nigris miluorum exercitus alis.
Ad aram cõfluunt Chriſti è cruce pendentis.
Porticibus medium quà diuidit area clauſtrum,
Virgineis erat ara choris ſolamen & vmbra,
E Cruce pendentis ſimulacrum amplexa Tonantis.
Ad hanc orat Abbatiſſa.
Hanc circum Platani, Solis dum lumina frangũt
Fron-

Fronde,repentinâ folijs viduantur ab aura.
Pro folijs niueo nix veſtit vellere ramos:
Canitie tegitur; redimitur & ara pruinis.
Huc Agatha, & centum virtutibus Heroinæ
Conuenere. Prior tenuit tunc illa cruenti
Signa Dei,lacrymanſque infit.Conſurge,Pudoris
Sponſe ſimul,cuſtoſque mei; conſurge:quid vltra
In Cruce dormitas? Clauos in ſpicula verte:
Accipitres diſpelle procul. ſint ſpinea ſerta
Septa Pudicitiæ; lateris ſit vulnus aſylum;
Arma cicatrices,ſint foſſę,pegmata,& arces;
Crux tua ſit clypeus.Pudor his armatur inermis.
Non mortem horremus: teſtor tua lumina: mortis
Ora placent;poſtquam ſequimur te, Sponſe cruoris.
Ferre neces,& tela iuuat; ſi tela Pudorem
Vulneribus vallant; ne torqueat arma Cupido
Exitij faber & mortis. Sint candida corda,
Membra cruenta: feræ lanient: Pudor vnus, & vna
Integra ſit Pietas. Moriamur, eamus ad vmbras;
Ne Pudor intereat mea lux,& vita: timere,
Candide, Candori docuiſti: ſola timorem,
Cæca libido parit. minùs horreo Tartara: Auerno
Et pice voluamur: Pudor eſt ſi pectoris hoſpes,
Rore volutamur; medio ſpatiamur Olympo.
In tua ſepta ruunt apri: gemit hortus & horret.
Eſſe volutabrum poterit tua villa! pedemque
Hac inſana feret Cypris, quà lilia florent,
Lilia, quæ ſerimus lacrymis, capitique maritas,
Sponſe, tuo! Propera ruris fidiſſime cuſtos:
Sterne apros, aut funde. Manu implacabile Sanſon
Prodigium ſiluæ potuit quaſſare leonem,
Collaque collidens lacerare, & fauce malignâ
Ex-

Exurge quare obdormis Domine pſ.43.

Exterminauit eam aper de Silua pſ.79.

Fauum reperit occiſi leonis in ore. Iud.14.

E vulnere quod imprimit leo corruptum profluere ſanguinē teſtatur Plin.l 8.c.16.

Exprimere hyblæum fœdo pro ſanguine rorem.
Num Sanſone minor Pudor eſt? diſcerpe leonem
Aſſyrium; victorque caue, ne flamine lædat
Tabifico. tua ſit virtus ibi mella Pudoris
Condere, vbi æternæ metuebam toxica mortis.

Non permiſit me coinquinari. Iudith. 13.

Si iugulum petijt duce te, Iudittha Tyranni,
Huius & impuras extinxit ſanguine flammas;
Si Cypriæ caput enſe, roſas ſi meſſuit vno,
Candoris noua Flora ſui; par robur in hoſtes
Virginibus da, Sponſe, tuis. Babylona videmus
Sede Palæſtina, noſtriſque efferuere Regnis.
Suggerit atra faces in corda libido: penates
Stant circum flammæ. ſed, te præſente, Puelli
Viderunt migrare faces in germina florum.

Species quarti ſimilis filio Dei. Dan. 3.

O ades, & medius tua florida ſepta tuere:
Dulcibus irrora nimbis; flammaſque retorque
In Mahometiadas: fornax cæleſtis Amoris,
Non Veneris fornix Magnæ ſit Virginis Aula.

Pudor Virginib' apparet. Pudoris forma, & habitus.

Hæc Agatha dicente, Pudor prope ſigna Tonantis
Adſtitit ante aram manifeſto in lumine. crines
Solis erant radij: quæ cælo candicat aſtris
Lactea zona, humero pendebat. Lilia campis
E ſuperis decerpta gerit. diadema ſerenat
Iris amica comas: argentea palla per artus
Fluctuat, atque niues ſuperat candore: pudicas
Lactea vena genas cum ſanguine mixta colorat.
Eſt Pudor inceſſu. dum pennis verberat auras,
Plaudit, & harmonicis irritat motibus aſtra;
Interpuncta gerit namque alis aſtra. pharetram
Ex humero grauidam radijs ſuſpendit acutis.
Se globus agglomerat circum, cæleſtis origo,
Gratia, Maieſtas, & quæ vicina Tonanti

Æter-

Æternum potat Veri Sapientia fontem,
Flos Superûm Virtus, blandâ Pietate ſeuera,
Et formidato rutilans fulgore Venuſtas.

Virtus, & Venuſtas.

Vt Pudor obtutu, quo cernit, & ingerit ignes
Ipſe Deus (pupilla Dei nam Candor amantis)
Partheniæ pubis labefecit corda; loquuntur
Dum reſonis comites digitis; hæc reddidit ore.
Nuſquam tuta fides niueo iurata Pudori,
Sanguine ni rubeat. mens eſt qui miles, Olympi
Æmulus, haud flammis, ſed purpurat imbre cruoris.
Armatur, rubro dum fulmine ſcinditur æther,
Fulmineaſque rubore faces in vulnera pingit.
Sic amat, atque rubet cælo qui militat: ignes
In ſua belligeros ſuccendit ſanguine bella.
Si ſua membra ferit, ferit hoſtes; vincit Olympum,
Tutaturque Pudicitiam, cui vulnera mammæ,
Lac cruor eſt; roſeoque mari velut vnio candet.
Hæc etiam portenta docet Natura. pruinis
Cernis vt exhorrent hæc arbuta? vt imbre Notoque
Mœſta flagellantur! crebro coma vellitur ictu;
In flagra vertuntur rami: torquentur ab aura
Arboris in vulnus, multo quam verbere tundunt.
Delicijs gemit illa ſuis pulſata: ſed inde
Illius augetur virtus, niuibuſque ſubacta
Prodiga luxuries foliorum, preſſaque nimbis,
Stricta gelu, rapidique Noti lacerata flagellis,
In ſtellas, Soleſque nouos ſe viuida credit:
Se ſeruat perdendo; nouat rediuiuaque formam.
Hyberni deformatur dum flatibus Euri,
E ſqualore decus, vigor ex horrore vireſcit.
Sic roſa; ſic noſtrâ florent quæ lilia dextrâ,
Vt vigeant, horrent rigido circumdata vallo.

Pudor virgines hortatur ad vulnera. Suis vulneribus hoſtes vulnerat Pudor.

Hortatur exẽplo arborum, quibus nix prodeſt.

Sicut lilium inter ſpinas.

Spi-

Digitized by Google

Spina tuetur opes, dum vulnerat: aſpera flores
Vallat in obſequium, pœnamque. an punica dumis
Poma carent? an vulneribus quæ fracta ruborem
Oſtendunt formoſa magis? ſic forma Pudoris;
Sic calor, & viuax concreſcit vulnere Virtus.
Sed Natura ſile: docet hanc, Cruce pendulus, artem
Me præceptor Amor. non Maieſtate Tyrannos
Sed liuore, cruore, flagris, & vulnere vicit.
Aſpice: turpato ſcelerum hic incendia vultu
Preſſit, & extinxit. Venus, hoc fœdata, decorem
Perdidit & pretium; rurſuſque ſub æquore vultum
Condidit indignans, maculoſaque proluit ora.
Nunc age: ſume Cohors animos in bella viriles.
Fama viros celebrat, ſi caſtra inimica cruentant.
Virginei ſit fâma Chori, ſe vincere ferro,
Exercere odium, cui ſeruiat ardor Amoris.
Numinis exemplo decus exue, gratia frontis
Ne pereat, pereat. placeat quò forma Tonanti,
Hoſtibus haud placeat. Superare vel aſtra venuſtas
Pro Chriſto fœdata poteſt. ceruſſa cruoris
Ad Crucis hoc ſpeculũ vos, Sponſæ Numinis, ornet.
Flos formæ ſic ſanguis erit; ſic vulnera gemmæ.
Sanguine nata Venus mergatur ſanguine. caſtos
Dilaniate artus: ſic integra corda manebunt.
Truncentur venæ, pereatque in corpore corpus,
Viuat vt inde Pudor. Sint victima viua Pudoris
Membra reſecta: Pudor ſit Myſta, ſit ara, ſit ignis,
Sit gladius. Gladio qui vos flammante Sacerdos
Nexibus auratis, Mundique fauentis ab vlnis
Diuiſi, vos à vobis nunc diuido. dixit.
Protinus in gladios radij micuere coruſcos,
Corpore qui toto radiabant. enſibus ara

Sicut fragmẽ mali punici. Cant. 4.

Hortatur exẽplo Chriſti è cruce pendentis.

Domine Ieſu feciſti de corpore tuo ſpeculum animæ meæ. Drogo.

Scias virginitatem ſemper gladium habere pudicitiæ S. Hier.

Pudoris radij migrant in gladios.

Mil-

Pluribus ardebat: chalybis nec dira ſupellex
Terruit ardentes magis in ſua vota puellas.
Inuolat in gladios Conſtantia: Barbara cultros
Arripit, vt ſurgat veræ Pietatis in auſus.
Symphoroſa manu mucronem ſtringit,& inquit:
Prodiga Virginitas natis, da pignora: venas
Sanguine fecunda, ſeptenaque vulnera præbe,
Pignora non ventris, ſed cordis. Lucia ferrum
Dum capit,exclamat: Renouabo exempla Pudoris.
Ne placeant oculi, fomenta libidinis, vltrò
Lucia virgineos oculos exhaurio luce:
Carior atque oculis, & vitâ carior ipsâ
Lumen eris, Pudor, & pupilla. Pelagia ſicam
Et tenet, & clamat: Te forma,Pelagia, vincet
Noſtra; Pudicitiam paribus dum proſequar auſis.
Vt ſtet corde Pudor, tecti te culmine ad ima
Sanguinolenta iacis: pelago, Barathroque profundo
Mergar ego præceps;niueo dum pectore Candor
Non cadat. aut noſtro purgabitur Orcus amore;
Aut ego caſta meis ſuperabo incendia flammis.
Multa animo Iachelina mouens, ſua proripit arma,
Magnanimas rumpens rumpendo è pectore voces.
Nomine non indigna tuo, Iachelina, probabor.
Saxa vbi, vbi rupes,ſcopuliſque minantibus æquor?
Si ſcopuli deſunt & rupes; æquora ſaltem
Pectore diffundam,noſtro criſpata cruore.
Hoc pelago te ſeruo, Pudor. ſic floridus infans
Incubuit Nilo Moſes, viridique phaſelo
Floriduli calathi, pollutis purus in vndis,
Incolumiſque, vndas Sol paruulus ore piabat.
Tunc Birgitta tenens gladium: te Scotica,dixit,
Æmulor, ò Birgitta:genas, oculoſque cruento

A Pudore animata moniales cognomines ſibi virgines imitantur.

S.Pelagia ſeruatura Pudorem è tecto ſe proiecit. Boland. in v.

E rupe Iachelina. Bin.

Moyſes in fiſcella ſcirpea ad Nilū expoſitus.ex c.2. Exod.

Birgitta Virgo ne fœdè ametur, oculos ſibi fœdè diſtorqueri à Deo poſtulat, & impetrat. ex v.

Vulnere ſulcabo . ductis vos creſcite ſulcis
Lilia mixta roſis, thalamumque ornate Tonantis.
Succedunt aliæ , Pietas quas efferat , & quas
Vel feritas facit eſſe pias . Iam tela feroces
Suſtollunt, ictuſque parant . Ah ponite ferrum :
Fœmineas non arma decent fatalia dextras .
Arma viri rapiant; vobis ſint vota ſagittæ :
Fœmina belligerat lacrymis. Nil verba morantur
Magnanimas acies . pars ambas diſſecat aures :
Pars mucrone ferit malas ; pars verticis aurum
Radit, & inflammat: pars ſanguine pectora fœdat .
Eruit illa oculos : hæc vbera vulnerat . omnes
Denaſant ferro vultum. Riget horrida forma ;
Pulchra Deo ſed forma: rubro velantur amictu.
Sanguinis hæc rutilant ſponſarum flammea fronte.

Vulgò armellinus.

Haud aliter cœno ſeptus, mus Pontice, contos
Venantumque haſtas, pedicas, & vulnera temnis.
Certe mori, non fœdari; potiùſque cruore,
Quàm fœdo maculare niues, & vellera limo.

Hoſtes in Virginum clauſtra irrũpunt,

Interea prædatus opes, rapturus honorem ,
Cum grege prædonum geminâ Meleſeraſa tædâ
Gradiui, Veneriſque aderat . perrumpit in ædes
Hac face Parthenias, niuibus qua corda ſolutis
Molliat in cœnum . durauerat illa ſed ardor
Numinis in glaciem , lapideſque adamantis; & oris
Vulnera in ardentes radiorum verterat enſes .

Deformatæ Virgines pulchrius ornatæ.

Vt Turcæ venere , vident clareſcere vultus ;
Fronte ſedere metum, ſplendorũ cyclade cinctum ;
In malis errare faces ; diſſecta fauillas
Labra, cicatrices pro ſanguine tela vibrare ;
Implere exhauſtas oculorum, ſidera , ſedes;
Triſte micare comas, Veneris Martiſque flagella .

Vt vidit, perijt formidine turba procorum;
Et radijs orbata oculis, per clauſtra, gradufque
Dum tentat celerare fugam, ſibi ſenſit inuſta,
Quotquot Parthenijs ſteterant fera vulnera mẽbris.
Hic oculis; caret ille labris; hic vertice crines;
Hic mentis ſe quærit inops. ſe cæde cruentos;
Mordicus auulſas inhoneſto vulnere nares,
Sulcataſque genas mirantur, ſectaque labra.
Quodque ferit grauiùs; ferientis dextera,& ictus,
Hoſtis & ipſe latet. Sic vultu bellica pugnat
Virginitas,cui miles Amor, cui ſidera tela,
Ductor & Omnipotens. ſic ore Minerua Gigantes
Nuda armis, Candore potens, deiecit ab aſtris.
At clauſtris dum Virginitas ſic pugnat inermis
Hoſticus vrbe furor flagrat, multoſque trucidat.
Truncatis micat hic digitis; hunc icta ſecuris,
Abſcidit hunc enſis; deglubitur ille,pigroque
Conficitur letho. ſcrutatur plurima ferrum
Viſcera: vibratis fœdantur plurima ſaxis
Pectora: diſſectis apparent viſcera coſtis;
Oſſaque ſparguntur calido ſtillantia tabo.
Sunt quos vnda rotat; quos laxis impete frenis
Raptat equus, rapit os ori, rapit artubus artus.
Aggerat ira cateruatim pœnaſque, neceſque,
Membraque confundit,confuſo ſanguine. Sed te
Diſtinguit iubar inſolitum, Corrade, Minorum
Grande decus; fractâ nam dum ceruice per vndas
Volueris, & roſeo pingis maris arua cruore,
Sidera cum pelago tibi nobile funus adornant.
Vitrea pro nigro ſe ſternit lympha feretro:
Quattuor hoc ventis effertur: præfica plorat
Fata procella: tegunt feretrum,velamina,nubes:

Virginũ vulnera hoſtibus imprimuntur. Exhorruiſſe hoſtes terrore affirmat. S. Antonin. tit. 24. c. 9.

Minerua ſolâ pulchritudine gigãtes è cælo deiecit.

Super decollati corpus in mare proiectũ duo viſa luminaria per triduum. In 2. p. Chr. Ord. Minor. l. 5. c. 15.

Auulſum vortex caput à ceruice coronat;
Succendit cælum funalia: viſaque circum
Corradi extinctum crudeli funere corpus
Tres noctes, totidemque dies iactare per æquor
Sidera bina faces. Sileat nunc Orphea mendax
Fabula, cui funus cæleſtes, Aſtra, camœnæ
Dum cantu, dum luce parant; lacrymantibus vndis,
Euris atque Notis effert vlulantibus Hebrus
Dũ caput atq; lyram; mœſto lyra murmure in aſtrũ,
Quæ dominum luget, rutilo cum pectine lucet.
Os, Corrade, tibi fuerat lyra muſica cæli,
Cui concentus erat Verbi ſapientia, corda
Quo lenibat Amor, ſcelerum diſcordia bello.
Hæc etiam lyra fertur aquis, & mortua viuit
Prodigijs animata: ſonum ſuper Æthera fundit:
Sidera mulcentur, reſoni Sirenes Olympi;
Motaque monſtra maris mergunt in fluctibus iras.
Sed Turcam non illa mouet, cui ſtridor Auerni,
Et placet armorum ſtrepitus, fremituſque furoris.
Funera dum gliſcunt; Ptolemaidis inſula vincit
Nicoleos cui ſacra caput, flammam inter & hoſtes.
Ad mare deſcendit, rapturus in omnia ſecum;
Tentamenta fugę ſi quis poſtrema ſubire,
Exiliumque pati vellet, vitæque labores.
Mœroris merſum tenebris & noctis, in vnam
Sedem ex diuerſo miſerorum confluit agmen,
Matres, atque viri pueri, innuptæque puellæ,
Exitio collecta phalanx, Fideique Latinæ
Triſtes exuuiæ, noſtrique anathemata luctus.
Vrbs mare quâ ſpectat, fidâ ſtatione carinæ
Sex vada carpebant roſtris, littuſque tenebant,
Affluxiſſe greges vbi Paſtor vidit; amori

Cogi-

9. Sphera pro muſis habitæ.

Caput Orphei, & lyra in Hebro reſona.

Fuerat concionator.

Aſtra ex Pythagoræ ſententia harmonica.

Vltimus Patriarcha: qui cum triremis eſſet in promptu, vt fugiẽtes in hanc exciperet, nimio pondere merſus eſt. Spond. to. 1. ad an. 1291.

Cogitur indulgere : iubet conuertere proram ;
Et nautas aptare ratem . tum flebile pondus
Intrauit; nauique alios ſuccedere dextrâ
Annuit, alloquiturque . Mei , mea viſcera, ciues ;
Huc agite; & mecum, miſerę ludibria ſortis,
Linquite diuino fumantes fulmine terras .
Omnibus vna ſalus; aut omnibus vna ſalutis
Sit pariter iactura . neci ſi deſtinat Æther ,
Tendo manus, cæli, ripæ melioris , amore .
Relliquias hominum, reparandi ſemina Mundi ,
Reddidit in ſegetem quondam Ratis vna feracem .
Spes hac puppe iterum, nunc merſa, tenebit arenas
Læta Palæſtinas, ereptaque littora . Nubes
Parturit, & nutrit lacrymis radiantibus irim :
Sol è nocte oritur : ſequitur pax aurea bellum ;
Ferreaque aurata diſſoluit nubila luce .
Tu Deus euerſæ Solymæ miſerere : Parentis
Sume animum, moreſque tuos poſt Iudicis iras .
Da profugis, ò Chriſte , domum; da ponere ſedes.
Quò trahimur? quis finis erit, quæ meta malorum?
Vix ea : cum ſuperas allabi viſa per auras
Iride cincta caput, ramumque virentis oliuæ
Læta columba ferens . laturaque prælia roſtro,
Protinus aduerſo Iouis ales peruolat axe .
Explorat pennis auras , & verberat : iras
Excitat alliſu : iaculatur fulgura vultu .
Illa timet, celeratque fugam . ſequiturque pauentem
Vnguibus , alarumque ſono Regina volucrum .
Subdola ſe varijs ſinuat modò flexibus ; vrget ;
Imminet, & ſtrepitu fremit ambitioſa ſecundo .
Hoſtiles fruſtratur auis modò candida morſus :
Rurſus & explicitas ſeſe proiectat in alas.

Excipit , & alloquitur.

Sperat , vt Noemus in arca .

Prodigium. Columba ab aquila diuexatur; hoc eſt Chriſtiana Fides à perfidia Turcarum.

Aſt aquila aduolitat circum: ſtridore volatum
Proritat, vireſque acuit, terretque columbam.
Iam ſuper impendet, motuſque volumine cingit.
Columba implumis, mox renouans plumas, augurīū Chriſtiani imperij in Syria reparandi.
Aggreditur, preſſamque tenet, morſuque maligno
Deplumat, populata decus, viridantis oliuæ
Nititur at fruſtra ramum diuellere. bellum
Nuda columba gerit, pedibus quam ſuſtinet vncis
Prædatrix inimica. gemit, gemituque propinquas
Poſcit in auxilium ſocias è turribus altis.
Ecce autem niueis properans exercitus alis
Nubibus increpuit, placidâque animoſior irâ
Inuehitur; mixtim agglomerat ſeſe agmine denſo.
Soluere confertos Aquila implacabilis hoſtes
Niſibus inſudat vanis; iactatque columbam,
Oleæ ramus in fulmen vertitur.
Mordicus hærentem ramo. Tunc bella diremit,
Protinus in fulmen quæ fulſit oliua, Iouique
Hoc aquilam Iouis fulminum miniſtrā colūba terret, & fugat.
Tela miniſtrantem, nocituro terruit igne.
Nam poſtquam luctata diù diſtraxit ab ore
Dulce onus; in flammas frondes rubuere triſulcas:
Corripuere aquilæ pennas; quæ nubila & imbres,
Extinctura faces, dubio ſubit ægra volatu.
Columbæ triumphus.
Dum fugit hæc;volucres,humero famulante, colūbā
Attollunt, veterique locant ſuper arbore, nido;
Implumes donec rurſus pluma induat artus,
Pacis & ereptæ ramos in fulmina vertat.
Omine Nicoleos viſo: Pax, inquit, Idumes
Tollitur atque Fides, ramo ſignata virenti,
Prædicit Nicolaus ſuum, & ſuorum exitium.
Quem niueæ volucri rapuit Iouis aliger vngue.
Olli pluma cadit: ceu plumæ pondus inane,
Spargimur heu miſeri: rapidus fert omnia turbo
Numinis auerſi. Nos hic deturbat in vndas.
Sed non in finem mea Regna, ratemqae, viroſque
In-

Inuoluet Furor omnipotens. admota Latini
Has iterum Ratis Imperij tranſmittet ad oras
Belligeras altâ ſtantes in puppe columbas, *Colũbę Chriſt. milites.*
Quæ Crucis auulſas renouabunt arbore pennas.
Candida namque Fides ſpoliatur ſæpè;ſed alas
Dum candore nouat,regnis veſtitur ademptis.
Pax iterum reflorebit; ſed oliua tonabit
Hoſtibus in fulmen, Solymæ dum florida vernat.
Dum ventura canit longæuus fata Sacerdos, *Iram Dei cũ antiquis prophetis vertentem fundo Solymos videt.*
Et Patriæ extremo paſcit lacrymantia viſu
Lumina; diſiectæ ſuper vrbis mœnia, flammis
Stare Iram videt armatam; quam mille ſequuntur
Agmina Cælituum. nam Numinis Ira ſub armis,
Non ſecus ac Pietas,ſuperas habet Æthere turmas.
Ezechiel vili turres exæquat arenæ,
Et plana in turres congeſto puluere vertit.
Vallat Eliſeus campos: Ioele mouente,
Nulla domus, non vlla tenet ſua pondera moles.
Viſceribus Ceti vt quondam viuoque ſepulchro
Prodijt horribili Ionas in littora vultu,
Nunc in rupe ſedens, irarum turbidus æſtu,
In bellum reſerat pelagum, portuſque reuellit;
Libera caſtra procellarum quò mœnia pulſent,
Proſcindantque omnes cum defenſoribus arces.
Quattuor è pelago Daniel renomentia cædes *4. viſa à Daniele monſtra è pelago ſpectat exire. Dan. c. 7.*
Monſtra vocat. ruit vrſus aquis, & dente laborat
Mandere tergemino populos. Pennata leæna.
Ora, iubas, oculos, atque vdas concutit alas,
Præcipitatque iras. Capitum ſiluâ horridus vndas
Euomit & flammas pardus. furit altera rictu
Bellua ferrato; ramoſaque cornibus,artus
E fluctu leuat horrendos, & pulſibus aptat.

Increpat ad pulſum Daniel: docet ire per aulas,
Et pauidas curſare vrbes, & fauce cruentâ
Lethiferos morſus laceris infindere venis.
Michæas dum calcat equo ſpumante penates,
Vertice proturbat. Citharâ trepidante tumultus,
Bella neceſque ſonat, Lunamque & ſidera terret
Belligero Dauid cantu. Superemicat altis
Curribus Elias; & inardeſcentibus auris
Quadrupedes agit ignitos rutilante flagello.
Spargere malleolos, & pila flagrantia gaudet;
Ceu quondam Horebi iecit de culmine flammas.
Heroina viros ſequitur Iudittha curuli,
Atque venuſtatem nebulâ terroris inumbrat.
Dum fert aura pedes; agitat non vota, ſed ignes
Nubibus attonitis Eſter; per mutua palmas
Debora cui nectit; dextrâ quæ fulmina Iudex
Dũ quatit, horriſonũ trahit vmbra abrupta fragorẽ.
Vaticinæ ferro flammâque Cohortis, ab imo
Omnia dum ſpectat verti; fortè Ira feroces,
Æquoris in ripas, oculos contorquet, & atrum
Aſſimulans riſum: quid, ait, concurſus ad vndas,
Quid fuga Chriſtiadum poſcit? transmittere curſum,
Et vitam incolumem? prohibet Deus, Iraque, fundo
Omnia quæ vertit. vos vertere cuncta docetis,
Dum peritura Deo præfertis, turpia cœlo.
Hæc dicens quatit Ira enſem; tacitoque timore
Perfodit errantes ſemoto in littore gentes.

Ira Dei Chriſtianis paratis ad fugam minatur.

Vt pauidæ glomerantur apes, dum nubilus Auſter
Bella minatur agris; populi ſic turba fugacis
Præſulis in nauim properat. ſub pondere puppis
Ingemit. oblitus propriæ tamen ille ſalutis,
Nunc hos, nunc illos, extenſis accipit vlnis.

Ar-

Arcetur nullus. Pietas confinia neſcit.
Si deſit tellus, ſi Pontus, Mundus & Æther,
Omnia ſi deſint; ſibi ſola relicta, dolentum
Viſcera in amplexus & corda capacia laxat.
Intendi iam vela iubet, ſoluique rudentes;
Affixos terræ morſus conuellere nauim,
Et nautas remis incumbere; ſalſa ſecare.
Sed dum flabra vocant, dum laxant carbaſa; vita
Soluitur atque ratis; lentataque pondere, ciues
Cum Paſtore omnes medias exponit in vndas.
At tua naufragio non merſa eſt fama, repertor
O Pater Æthereæ Solymæ, quam prælia turbant
Nulla; nec in vitreo iactantur carbaſa Ponto.
Te pelago tumulauit Amor; te fluctibus idem
Extulit ad Superos: perituram fronte thiaram
Abſtulit; æternis diademata texuit aſtris.
Exilium fuerat tibi Patria; Patria cælum:
Exilium cælo mutas; vbi pabula Paſtor
Diuini Paſtoris agris felicia carpes.
Non omnes tulit vnda. diù connixa lacertis,
Et iactata diù molles prenſauit arenas
Turba: ſed exundant tranquillo in littore curæ.
Quid faciat? iam nulla quies; fuga nulla relicta eſt;
Nulla fides terræ, pelagoque: repellitur inde,
Aſſyrijs obſeſſa feris; hinc præda marinis
Ire feris horret. mors vndique, & vndique nuſquam
Attamen apparet fugientis copia mortis.
Stabat arenoſæ ſtipata crepidine ripæ,
Et dubia vndarum & terræ. nouus ingruit horror,
Clamor & auditur. Laceris intacta capillis,
Et calidum fœdo mucronem ſanguine geſtans,
Virgo erat ex Arabum dilapſa libidine. Ciues

Patriarcha mergitur.

Sancti viri in terra exules ſunt, in cælo ciues.

Enatant aliqui rurſus in littus.

Virginem in littore reperiunt è Turcarum Ducis libidine gloriosè dilapſam.

Vt procul agnouit, cum fletu ad littora præceps
Proceſſit; tendenſque manus: ſocia agmina, dixit,
Tollite me ratibus; medias vel ſpargite in vndas.
Integra ſum. merces animi per ſalſa pudici
Vel portare iuuat, vel vaſto mergere Ponto.
Vrbis in exitio vici; dum verba ſalacis
Principis eluſi. Victæ libanda ferebat
Dum ferus ora; manum lateri ſubduxit: & enſis
Tunc ego nacta locum, & læſi ſolatia vultus,
Protinus hoſtilem vaginâ libero cultrum.
Cor obnixa peto: cor haurio: ſanguis & ignis
Pectore turpis abit. fugio; ſpoliumque ſacrandum
Hoc vnum, euersâ ſupereſt ex vrbe Pudori.
Hoc ſatis eſt. ſeruato animo, perijſſe iuuabit.
His dictis mutati animi; timor additus hoſtis,
Speſque fugæ. Mordent quæ littora curua, biremes
Protinus inſcendunt; Pontumque laceſſere freti,
Incumbunt remis: impulſibus vnda tremiſcit;
Et perit ipſa oculis Patriæ pereuntis imago.
Mœſta laboriferos vix æthere Cynthia currus
Oritur tempeſtas. Extulerat; cum viſa notis palleſcere miris
Sidera. ſtellatos vix Luna agnoſcit alumnos,
Et ſobolem timet ipſa ſuam: crudeſcit Orion:
Bina poli furit Vrſa: Canis ferit aſtra latratu;
Sollicitatque fugam, curru ſtridente, Bootes:
Igneus ingentes in ſpiras ſoluitur Anguis:
Nunc primùm Alcidem tangit metus: ora manũque,
E ſerpentiferis retrahit formidine nodis.
Poſt hæc aſtra cadunt: caligine tingitur æther:
Exoritur graue murmur aquis: freta cæca tumeſcunt:
Saxa gemunt, ſcopulique: Auſter, Boreaſque, Notuſq;
Contorquent mare turbinibus. de ſede reuelli
Cun-

Cuncta putes elementa: ſalo ſe fœderat imber:
Fulgetra cum nebulis confundit lumen & vmbras:
Cum pelago Styx atra coit. mare, ventus, Olympus,
Fulmina, nox, grando, geminata tonitrua, nubes,
Ciuibus heu profugis intentant omnia mortem.

Tot ſtipata malis, & cędibus, omnis in altum
Tollit turba manus; dum fluctibus omnis anhelat
Vnda necem. iactis, non auditura, querelis
Aſtra quatit, Superoſque implet. Longæuus Ioſephs
Infortunati Dux agminis, vltima fudit
Vota: ſed abrupit ſubito mors fulminis ictu,
Diripuitque animam mœſtas cum voce per auras.
Ille ait. ô Superi, deeſt ſi terra, negatis
Æquora quid miſeris! noſtris arcemur ab oris,
Vt tumulemur aquis? Patriæ inſediſſe ruinis
Felix qui potuit, cinerique flagrantis Idumes?
Non valuit iuſti gladium retudiſſe furoris,
Candida quæ flagrans, diuinis, victima flammis,
Nicoleos pelago occubuit? Si Numinis Ira
Feruet adhuc; ſi lympha vorat, quos lympha ſalutis
Extulit æternum luſtrali gurgite in ortum;
Ah faciles ſeruate animam; ſeruate Pudoris
Defenſi exemplar, gladio generoſa diremit
Quæ Veneris nexus, & amantis vincla Tyranni.
Vix ea: quina polo in quinas rubuere biremes
Fulmina terribili tonitru; compreſſaque ventis
Atque expreſſa, diem rupere, viroſque rateſque
In ſcopulos pepulere: vorax vbi turbine vortex,
Virgine ſeruatâ, nautas cum nauibus hauſit.
Nam facili ſublata vado, dum Pontus hiabat,
Se ſcopulo applicuit: gladium, quem fortè gerebat
Vlta Pudicitiam; regeret quo membra, marinis
Cau-

Senior auertere precibus iras cæli contendit.

Merguntur omnes excepta Virgine, quæ ex impudico Turca euaſerat.

De hoc naufragio vide Bzouiũ l. 13. ann. ad an. 1191.

Nō niſi petris adhæret, circaque ſcopulos legitur. Plinius l.9.c.36.

Cautibus affixit . ſcopulis ſic purpura pendet,
Piſcis, honor Regum, placiduſque eludit aquarum,
Ventorumque iras . Animo conſtantior ipsâ
Caute puella , manu quam carpit, pectore Numen
Implorat tacito: pelagi nam verba tumultus

E ſcopulo Virgo pendens Deum orat .

Impediunt . O Chriſte, inquit, ſpes, anchora, nauis
Naufragij ſecura mei ! modò credita rupi ,
Et pelagi, Patriæque ſimul ſuſpenſa ruinis ,
Cor tendo : nam membra regunt fluitantia palmæ.
Exul, inops , & ſola , mari dum iactor iniquo,
In medijs ſitiens vndis, impaſtaque, & Orcis
Præda, carens Patriâ, viduata parentibus, aurâ,
Ion.2, Luce, ſalute , meis, & mê , ſuper æquora pendens,
Non tamen infelix, in amaris gaudia lymphis
Dulcia delibo . nam ſola , relicta Tonanti
Omnia poſſideo, licet omnibus orba . relictos
Pſ.9. Suſcipit ille, fouetque ſinu . Tê, Chriſte, regente ,
Exitijs pendere iuuat . Quem gratia Regum ,
Nobilitas, & opes, & Mundi gloria fulcit ,
Ille ruit : medijs pelagi ſtat firmior vndis ,
Si quem nulla regunt mortalia. Reſpice ſolam,
Solus amor cordis. Saxis affixa , marique ,
Sed tecum, magis oblector , quam Principis aulâ
Aſſyrij Regina . procos magis horreo phocis.
Illic naufragium timui , ſcopuloſque Pudoris ,
Sireneſque voluptatum : hìc tranquilla procellas,
Obruta pube tenus , Siren innoxia temno ;
Et quacunque cadam, tecum, mea vita, cadendū eſt,
Intacto Candore . Mari concreſcere gemmæ
Si niueæ poſſunt , poterit concreſcere Candor .
Hæc dum verba dabat , lacrymis rorata decoris,
Et magis è Domini nutu , quam pendula ſaxo ,

Vnda

Vnda ſilet, Zephyruſque redit: componitur æquor:
Eurus abit Boreaſque: nouo ſe lumine cælum
Induit; & nebulis, pluuijſque abſtergitur æther.
Dum ridet tranquilla quies; emergit ab imo,
Et loricatis euerrit cærula pinnis
Dux gregis humentis delphin. Squamoſa natantem
Agmina circumſtant; caudâque ſecante, fragorem
Dant freta iucundũ. Scopulo tunc ille propinquans,
Subiecit caſtæ famulantia terga puellæ.
Dona recognoſcens Superùm, ſe Virgo iugali
Credidit æquoreo, dorſoque inſedit acuto.
Pondere lætus, aquas glomerans è pectore delphin,
Eminet è placido pelagi cum Virgine fluctu.
Hæc incerta viæ, quærebat ſidera votis:
Certus iter tamen ille, iugo ductabat herili
Grande Pudoris onus: donec freta conſita regnis
Apparent Cytheræa nouem, tellusque beata,
Cypria cui nomen dederat Venus: expiat at nunc
Virgo, Palæſtinis ſupereſt quæ ſola ruinis,
Siccatæ ſemen Fidei, germenque Pudoris.
Vt delphin littus tetigit, ſpumante puellam
Depoſuit dorſo, & notis ſe reddidit antris.
Occupat illa locum precibus, ſubmiſſaque terram
Ore petit; mox vrbis agros, & mœnia viſit,
Et Syriæ teſtem excidij ſe ciuibus offert.
Finierat iam Turca ſcelus. tormenta morando
Sed quæ longa parat, quæ vindex æquat iniquis
Ira Dei pœnas; atque hos, & crimina perdit,
Incipit ordiri vindictæ ſtamen in hoſtem,
Sera quidem, ſed certa. Satur iam ſanguine Ductor
Plenus & Imperio Syriæ: iam, parcite, clamat,
Agmina: Chriſtiadum nihil eſt, quod veſtra requirat
Tela,

Virgine orãte pacatur mare.

Hæc à Delphino per mare ducitur. Poët.

In Cyprum defertur Veneri ſacram.

Melec-Seraph à ſuis occiſus in venatione. Ipſi Duces mutuò perẽpti. Sanutus, & Henr. Spond. t. 1. ſſ 11. ad an. 1291.

Tela, manuſque: iacent ſine Regno, nomine, mébris.
Quid ſæuire iuuat, furijs ſi pabula deſunt?
Cede furor: ſatis eſt: animo ſuccede voluptas.
Æternùm ſedet in noſtro qui pectore, cedat
In Chriſtianos Ducis acerba vox. An furor? hic animos animat. non cedat: in vrbes
Si nequit ire, feras agitet. Quid, Chriſte, recentes
In mea tela acies non cælo immittis; ab agris
Quando Palæſtinis non pullulat, enſe ſecanda
Chriſtiadum noua progenies, maturaque ferro.
Hos tamen enſe petam rurſus, rurſúſque laceſſam.
Hos perſequi vult vel à feris voratos. Aſt vbi? corporibus, fibris, extiſque ferarum.
Diripuere feræ proiecta cadauera campis:
Si quid adhuc ſtomacho crudeſcit; perſequar armis:
Crudum viſceribus, fibris, extiſque reuellam,
Diripiamque feris. feriam; pars vltima donec
Particulæque atomus pereat gentiſque, Deique.
Ergo agite: vrſorum donec ſub dentibus artus,
Chriſtiadumque tremunt venæ, patuloque redundat
Sanguis ab ore lupi; cunctos indagine ſaltus
Cingite: quadrupedes, latratoreſque melampos
In montes vrgete omnes. Hæc ſola voluptas
Mixta furore placet. Lætis vlulatibus olli
Reſpondere acies: equiteſque Duceſque citatis
In ſiluas ducuntur equis: veſtigia quærunt,
Telaque depromunt pharetris: venabula tollunt:
Nunc apros ad tela premunt, canibuſque morantur,
Et fodiunt iaculis: nunc damas compede nectunt.
Prodigium. Ceruus cum Cruce. Ecce autem dum diſcurſant per teſqua, per antra,
Per iuga, per dumos; fictâ formidine ceruus
Proſilit è cauea, Tripolique propinqua fatigat
Arua fugâ. Miſere canes ad vulnera ſignum,
Argutique ruunt pariter. Stetit ille, metuque

Aſpi-

Aſpicit abiecto Turcaſque caneſque. ſed inter
Cornua Crux aderat; qua viſâ corruit hoſtis:
In rabiem venere canes, Dominoſque cruentant
Morſibus, & ſtragem pauidis dant vndique ſiluis.
Tunc reſupinatus Meleſeraſa ſubrigit ora,
Sibilat inque Crucem, ſerpentis more iacentis
Compreſſique rotâ: Crux impia, victa triumphum
An canis, & terres? ſi vinces, Cerue, leones;
Vincar ego. dixit: niſuſque exurgere, rurſus
Concidit; & calidas attritu frontis in iras,
Vt ferro contrita ſilex, ſcintillat; herumque
Oblatrant, mordentque canes; dum vertice prono
Saxa, ſolumque grauat. mox ipſi vulnera iactant,
Diſpenſantque ſibi mortes rabido ore moloſſi.
Ira Dei ſic deſcripſit vicina Tyranni
Fata Ducumque, pari qui concurrere furore
In Comitum venas, in mutua vulnera. Regna
Sic malè labuntur, malè parta: & ſæpè cruore
Quod Deus hoſtili pingit, delineat vmbris.
Fulminis ante ignes præteruolat vmbra; fragorque
Intonat è fractâ per cæca tonitrua nube.
Funera ſignauit ceruus: qui ſæpè pauorem
Si premit & ſuperat, vincit virtute leonem.
Poſtquam deiecit verâ formidine Turcas,
Ceruus abit, nemoriſque ſinu ſe condit opaco.
Ergo, ſequente metu, curiſque, odijſque, reſumunt
Venatum Aſſyrij, falluntque labore timores.
Dum peragrãt campos; terrent dum curſibus antra,
Flebilis auditur pueri vagitus ab antro
Per caua multiplici geminari ſaxa ſuſurro,
Et gemitu mammam reſonare. Ah, pupule, fletus,
Et teneros compeſce ſonos: pro matre Tyrannus

Dux proſtratus Cruci maledicit.

Canes aſpectu Crucis ſe inuicem occidũt, & deſignant ſuorum Dominorum mortẽ, qui mutuis ſeſe vulneribus confodere.

Dilapſo ceruo venationem reſumunt.

Vox pueri auditur è cauerna.

Eſſe-

Efferus ecce aderit, cunctiſqe ferocior vrſis,
Tigribus, atque lupis. lapides, colleſque ſupini,
Et tua te prodit vox, bellule pupe, Tyranno.

Fœmina è Ptolemaide fugitiua lupum inuenit in cauerna.

Vna duos partu natos excluſerat vno
Infelix Fauſtina: ſinu reptabat vterque;
Maternoque comes lateri, quacumque mouebat
Illa pedes, ibat. ſed cum Ptolemaida Turcæ
Irrupere, ſuâ genitrix cum prole per omnes
Terrorum cuneos penetrauit in abdita montis;
Vt ſuffocaret ſobolis lamenta cauernis,
Eriperetque neci. Sed dum, fugientia viſus,
Horrida ſaxa ſubit; qui fortè latebat in vmbra,

Cum lupo luctatur, vt ab illo natos defendat.

Ora lupus rotat in matrem, parcitque puellis.
Illa ſibi, natiſque magis, timet, excita caſu,
Perſtringitque feram manibus; ne vertat in illos,
Funera inhalantes, libato ſanguine, fauces.
Se clypeum generoſa facit, vallumque furenti:
Opponit moritura artus. amor armat inermem:
Inſtruit Athletam ſine lege, docetque perire,
Heu geminâ pereat ne bis, in prole perempta.
At lupus, impatiens nexus, ferit vngue cruento,

Lupus puellis parcit; matris vbera laniat. Pueri lupo ablãdiuntur. Pro filijs mater timet.

Diſcerpitque ferox obiectas vulnere mammas.
Blandiri catulum, Dominamque allambere linguâ
Mens ignara putat puerorum: auertere monſtrum,
Ne lactis furetur opes, ſua dona, laborant:
Inijciunt patulis dextellam faucibus: aures
Erectas ſubigunt: contundunt verbere malas,
Sanguineaſque acies fodiunt. Timet anxia mater,
Ne furias lupus in prolem, irritante dolore,
Fataque corriuet: timor hic eneruat;in hoſtem
Fortia fœmineâ dum tractat prælia dextrâ.
Dum lac vberibus violatum ſanguine manat,

Lac

Lac gemini labris rapiunt, mixtumque cruorem, *Pueri vulnera matris ceu mammas exugunt.*
Detruduntque manu monſtrum, ſolique papillas
Exhaurire volunt. geminat tunc bellua vulnus,
Et guttur petit vngue. patet via denique letho. *Mater à lupo diſcerpitur.*
Nec dimittit adhuc moriens Fauſtina ſecantem
Vngue feram latebras animę; ceciditque; ſimulque
Arcuit inmitem duris amplexibus hoſtem.
Exuit vt nodos tandem fera dira tenaces,
Diuellit malas: fugiente cadentia ſenſu
Pectora dilaniat, merſatque in ſanguine rictus:
Diſtrahit ex humeris, infixo dente, lacertum:
Viſcera rimatur: fibras, miſerabile viſu,
Extrahit & lacerat; pulpâque exuta, medullis
Exuit oſſa: trahit; rabiemque, famemque laceſſit.
At pueri, poſtquam genitricis forma receſſit;
Hanc abijſſe rati, lacrymantia lumina voluunt,
Sæpiùs atque vocant, matremque in matre requirũt. *Pueri gemũt parente amiſſa.*
Inclamant mammam: reſponſant vndiq; mammam;
Et rigidæ molli tenereſcunt nomine rupes.
Rupe ſed indomitâ Meleſeraſa durior audit; *Lupus matris vorator incidit Turcarũ venantium in manus.*
Et pro voce ſonum iactato reddidit enſe.
Accurrit: ſubitòque pedum fera territa motu,
Proripuit per prata fugam. Sed capta, latronum
Incidit in meritos prædatrix impia caſſes.
Vt ſtillare luem dux guttura vidit: hic, inquit, *Ducis impia voces.*
Chriſtiadum cruor eſt. inuiſi effecta cruoris
Experior: rabies calet hoc è ſanguine venis.
Sentio belligeras animum peruadere tædas,
Sanguinis atque ſitim ſtimulari ſanguine. mecum
In ſiluas, in teſqua, alacres, & in antra ferarum
Rumpite iter, ſocij. lacero de corpore ſi quid
Intactum ſupereſt, rabidi conſumite mecum.

Has epulas, atque iſta parant conuiuia ſiluæ.

Turcarũ Dux orbatos parẽte pueros in antro reperit, verbis vulnerat, ferro iugulat.

Hæc ait; atque antrum, vox vnde erũpit amoris,
Barbarus irrumpit. Pueri timuere ruentem,
Qui non ora lupi matrem pauere vorantis.
Ille autem: Mala progenies, & nauſea mortis,
Fortunæ reiecta, rotis perrumpere frontes
Chriſtiadum quæ feſſa, ſedet ſuper axe, putatis
An ſterili rurſus radices figere ſilua,
Surculi & in noſtras iterum ſoboleſcere cædes?
Gens Mahometiadum iacet extirpata ſecuri,
Deſolata iacet: ſi viuo, iacebitis omnes.
Non vos Romulidum lupa nutriet: vbera vobis
Nulla dabit tigris: veſtro vos ſanguine paſcit
Dux Arabum. lallate, mei, capite vbera, pupi.
Vbera ſint, facio quæ vulnera. dixit; & enſe
Tranſadigit coſtas, & cerea corda gementum:
Prenſa manu mox ad ſaxum corpuſcula fregit;
Atque ait. eſca feris vos linquo: redibimus; atq; hic
Carnibus allectos veſtris, venabimur apros.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM.

Turcæ dum S. Domus ante limen in venatione pertranſeunt, in feras cum ſuo Duce conuerſi, mutuis ſe morſibus interimunt. Pacifer è capta ab Hoſt. Palæſtina diſceſſurus Nazar. è monte S. Domum auellit. Terra timet ne cæleſte pignus transferatur in cælum. 4. Venti, Maris vndæ, 4. Elementa, 4. Mundi Partes, Sidera cum Sole de vectanda S. Cella concertant. Angelus cæli motor hoc ſibi munus depoſcit. Rebus ita compoſitis, componitur in S. Domo ſupellex, ſcyphi, patinæ, Chriſti crucifixi imago, & Virginis ſimulacrum, cuius cauſa nigroris affertur.

INde nouâ lætus Meleſeraſa cæde, ferocem
Quadrupedem freno per prata recentia duxit.
Et iam Nazareos curſu tranſmiſerat agros,
Currebatque iugum, quod Numinis Aula coronat,
Cunctaque fronte humili ſupereminet Ætheris aſtra.
Fortè redibat Amor venatu feſſus Amantum,
Lætus & ingenti præda, ſuſpenderat arcum
Virginis è muris, quorum bonus hoſpes ad vmbrã,
Dum calet è curſu, molliſſima frigora captat.
Numinis ante Fores venantum feruere turmas
Vt vidit; dulcis non eſt Amor ampliùs; ira,
Ira fit; ignotaſque faces in prælia ſentit,
Aſſyrij, clamat, ſubeunt mea Tecta? pedeſque
Sanguinei ducent ſulcos hac Sede cruentos?
Non sũ Amor: ira, odiũ, furor, & vindicta Tonantis

Dux ad Nazarenam Domum venando peruenit.

Diù Amor in venatione animarum feſſus in S. Domo venabula ſuſpẽdit, et quieſcit. Turcarum ibi vindictã meditatur.

Nunc ego ſum: furor, ira, odium, vindicta Tonantis
Eſt violatus Amor. Turcæ commiſſa luetis;
Atque hæc Cella, Dei miſerentis meta, furoris
Meta erit: hac veſtros, ſcelerati, frangite fluctus:
Huc licet vſque procellarum conuoluere montes:
Hinc redeant caput in veſtrum. Sed pœna furori
Quæ dabitur veſtro? dabitur furor ipſe: ferarum
Naturam induitis; vultus quoque ferte ferarum.

Deliberat, denique ſtatuit Turcas in feras mutare.

Monſtra, meas laceraſtis oues: vos denique veſtris
Rictibus immanes diſcerpite: mille cauernis
In vos extraherem portenta, tigreſque, lupoſque,
Pantheraſque, leaſque, vrſos, colubroſque, leones,
Africa quidquid alit, quidquid Styx atra: ſed ipſo
Nulla fera Aſſyrio magis effera ſæuiet. ergo
Ipſe ſibi fera ſit; ſit lictor; pœna; Tyrannus:
Dente ſuo pereat: pereat. ſpectacula mortis
Et venatorum placet hæc venatio. ſic eſt.

Cum beſtijs feriſque erit habitatio tua: fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis. Dan. c. 4.

Mutantur Turcæ in feras.

Egerit Impietas ſic Regna vorata: nouantur
Nabuchi pœnæ, ſcelerumque exempla ſuperbi.
Dixerat atque Domus impleuit puluere dextram
Virgineæ, Syrûmque oculis iniecit arenam.
Lumina vix tetigit fatalis pulueris vmbra;
Cum membris humana procul defluxit imago,
Inque feras migrant. Melliſſa cacuminat aures,
Fit lupus, atque vlulat: ſunt brachia crura, ſolumque
Aſtuto premit inceſſu. tibi cornua, Meloch,
Vertice concreſcunt: agitat præcordia terror,
Præcipitaſque fugam ceruus. Melimeſſa fit vrſus:
Eminet ex oculis rabies, villiſque rigeſcit:
Tenditur os: ſe in crura leuat poſtica: minatur:
Excauat vngue iras & luſibus. eſt aper Accon:
Grunnit, & in vulnus ſe roſtro, & dentibus armat.

Ti-

Tigris Amurates maculoſo vellere corpus
Induit : aſt animus maculis maioribus horret.
Infremit, atque iubas pro colli crine comantes
Scanderbæus habet. pardique, leæque, leones
Se reliqui mirantur humi procumbere vultu;
Confuſos pro voce ſonos è faucibus, iras
Promere cum gemitu Sed quæ Meleſeraſa forma
Veſtiet ora tibi, qui pectore cuncta ferarum
Monſtra geris? canis ecce latras, & corde caninam
Eructas rabiem. dumque atra per ora tumeſcit
Spuma, caditque, canes naſcuntur mille, luemque
Inuidet his, Barathri qui gutture Regna trifauci
Cerberus immani cuſtodit pronus in antro.

Dux Turc. fit canis, & à ſuis militibus verſis in feras miſerè diſcerpitur.

Vt canis, atq; canũ genitrix, genitorque Tyrãnus
Se medijs errare feris, & naribus auram
Senſit ſe noti canibus contingere odoris,
Oblatrat; fugiuntque feræ; ſequiturque moloſſus,
Perſequiturque ſuos, confertque in milite dentes:
Exigit hos, agitatque: ferit, roſtrumque cruore
Merſat amicorum: furijs, latratibus inſtat.
Irritata diù, redit in certamina turba;
Obijciturque feris rabies, Dominoque rebellant:
Vndique circunſtant: ſtragem dant vndiq; monſtra:
Cornibus inuadit ceruus: leo ſauciat vngue:
Ore lupus lacerat. gemit ille, & ſidera fruſtra
Terrificat roſtro, quo promere iurgia tentat:
Sed dum verba cupit, baubatibus inſonat æther.
Denique ſuccumbit: malè potum fauce cruorem
Chriſtiadum reuomit: fugit indignatus ad vmbras
Spiritus: inferni cuſtodem liminis ore
Terruit, & ſonitu Manes ſimul ambo latrarunt;
Hic mage terribilis, quem Cerberus ipſe veretur:

Nouus iſte canis Cerbero iunctus vmbras terret apud inferos.

Cæteri duces mordët ſe inuicem,& extinguuntur.

Rex timet ipſe Erebi, Furiæque, Vmbræq; nocentes.
Strato Rege, canis ſub imagine; monſtra feruntur
In ſua damna iterum: committitur vrſa leoni,
Pantheræ tigris, tigri panthera, leænæ
Rhinoceros, parduſque lupo, ceruuſque ceraſtæ.
Dentes exertant: ſtrident ſub dentibus artus:
Mutua fit ſtrages: alternâ morte ſaginant
Viſcera: quiſque ſuo pœnas pro crimine ſumit:
Reddit & ipſe ſuo iuſtas pro crimine pœnas.
Morſibus æquantur morſus, ſulcantur & oſſa
Vnguibus, & rabies in amico ſanguine viuit.

Scelestorum pœnæ Deum eſſe conuincunt.

Sic periere omnes; expletaque cæde, Tonantis
Ira fuit. ſic Impietas inuicta triumphat,
Et raptâ fruitur prædâ, Regniſque potitur,
Et pæana canit. Deus eſt. i: perdita, factis,
Linguâ, mente nega. Deus eſt: ſic omnia clamant
Horrendo tormenta ſono, quibus ille ſuorum
Crimina,ceu genitor, plectit, ſed amabilis irâ;
Fulminat aut iudex non exorabilis hoſtes.

Iuſti cadunt, vt ſurgant:nõ ſic impij.

Chriſtiadæ cecidere; ſed his tulit ipſa ſalutem
Pœna ferox: Arabes cecidere hæc ſola ruina eſt,
Vno quæ caſu mentes,& corpora voluit.

Occupata penitus à barbaris Syria Pax de diſceſſu cogitat. Eodem anno qui fuit ſuprema Palæſtinæ cladè inſignis S. Domus è Syria diſceſſit. Ioan.Vill.l.7.

Hic Regni finis Solymæi, hic exitus Vrbis.
Ætatem quoque Regna ferunt, moriuntur,& vrbes.
Cum populo æqua ſolo Tripolis iacet: æmula cælo
Culmina procumbunt: Othomanica cornibus arces
Luna quatit: Syriæ columen Ptolemaida fundo
Arietat,& buſto cinerum tumulatur Idume.
Audijt armorum ſonitum, Solymæque cadentis
Pacifer: & memori ſeruans ſub mente repoſtum
Numinis imperium: turbatis cedere regnis
Cogor, ait, Superûm Rector. tua magna Voluntas

Ala

Ala volantis erit, Cellæque migrantis in auras
Machina; pacatæ qua vecta feretur in vlnas
Europæ; quæ ſceptra manu, diademata fronte
Proijciet, poſitura comis regalibus Ædes,
Queis Cybele inuideat turrita, & maximus Atlas,
Stellas qui torquet, mundique volubilis axem.

Ptolemais capta fuit medio circiter anni 1291. aprili menſe, & in ſequenti mēſe eiuſdem anni aſportatur S. Domus in Europam Nicol. IV. Pont. Turſell. l.1. c.2.

Cedimus ergo. Domus, latebris euulſa profundis,
Protinus exiliat. Deus imperat. ite per auras,
Perque plagas telluris, & æquoris ite per vndas,
Tecta Palæſtinis fugitiua è ſedibus, ite;
Verſaque in aëream, Pacem vectate, curulem.

Vix hæc: cum montis tremuere cacumina: Tellus
Succutitur, ſubitoque metu conterrita, frontem
Erigit, & miſtas horrendo murmure voces.

Vellitur S. Domus è fundamentis cum terræmotu.

Dilaceror pereoque. Domum, cor nobile Terræ,
Quis medijs rapit è fibris, & pectora findit?
O nimiùm noſtris cæli Regio inuida donis!
Scilicet in volucres hæc inuolat vna Penates;
Vt Telluris opes aſtrorum miſceat auro.
Non ergo ſatis eſt in noſtra ligonibus ire
Viſcera, & inde auri ferro diſcerpere fœtus,
Indecorique metalla fame, gemmaſque vorare,
Splendida curarum fomenta? fodina ſalutis,
Theſauruſque meus, pretioſior Ætheris auro,
Diripitur! miſeranda Parens quid denique reſtat?
Pande tuo cineri iamiam moritura ſepulchrum.
Vos triſtes animæ & Terræ ſuſpiria venti
In latebris vlulate meis: geminate querelas.

Terra timet ne S. Domus in cælum feratur.

Pacifer in luctus, vt Terram incumbere vidit,
Vocibus excuſſit triſti de pectore noctem.
Pone, inquit, curas: labentem in deuia mentem
Luctificam reuoca: redeat rediuiua voluptas.

Pacifer Terram ſolatur.

Motibus inſolitis quæ pandis viſcera, ad imbres
Roriferæ reſera dulcedinis. Hoſpita montis,
Quam ſentis nutare, Domus, meliore locanda
Vertice gemma volat. tua frons eſt Itala tellus:
Fronte tuâ nectenda volat, quam læta mouebis
Æde coronatam, ſummoque æquabis Olympo.

Læta Terra ad S. Domum ferendam vẽtos euocat.

Riſit Humus; pulſoque metu, rubuere roſetis
Labra. Iubet celeres acciri è carcere ventos,
Atque aptare oneri pennas, quibus aëra ſulcant.
Æole ſurge, inquit; tibi credita cura laboris:
Tu famulatrices animas deprome cauernis.
His monitis antro, quatuor comitantibus Auris,
Æolus irrumpit. Boreas regnator ab oris
Venit hyperboreis: rapidum glomerauit eois
Eurus equis curſum: ruit Africus: Africa mittit,
Fluctibus indomitis luctantem. immurmurat Auſter
Sole calens, ſed amore magis. capita ardua flectunt,
Quadrifidoque pares Mundo ſuſtollere muros
Ardent. ardores quid non ſibi ventilet aura?

His Nazarethum eũtibus torpet mare.

Sentit Neptunus Pelagi vacua atria ventis;
Inſolito mergi refluentia regna veterno;
Curſibus in medijs hærere natantia monſtra;
Non ſcopulis latrare vndas; freta cæca ſilere.
Obſtupuit, terræque imos infuſus in artus,
Tramite multiplici decurrit; donec ouantes
Incidit in Ventos, muroſque efferre parantes

Mare ambit vectare S. Domum.

Argumenta, quibus id cõtendit euincere.

Virgineos: dextrâque graui ſuper arua tridentem
Concutiens, irâque tumens: quò tenditis, inquit,
Æoli ad imperium, Venti? vectoribus iſtis
Non opus eſt. noſtris vectabitur alta procellis
Machina. ſi Mariæ Domus eſt; Maris euehet vnda.
Cum quondam immiſſis æther effudit habenis

Præ-

Præcipites imbres, ſceleratumque obruit Orbem;
Vnda Domum Pacis tulit irrequieta per Alpes,
Armeniæque iugis fida intulit. vnda Pudoris
Vitrea imago, Pudicitiæ non deferet arcem?
Si Pelago incubuit Mundi lactentis in ortu
Spiritus Omnipotens, dum maieſtate domaret
Æquoris indomitas iras, & flamine ventos;
Illius incumbat Pelago Domus. ergo, ſuperbi,
Cedite munus aquis. His dictis Æolus arſit;
Murmureque in voces, tumidaſque erumpit in iras.
Pulſus ego? prius vnda fidē, & Mare diſcet amare,
Et ſcopuli ſeruare rates; Rex Æolus Euros
Accinctos operi quàm cæca ſub antra reducat.
Rex Superûm ventis equitat per inane ſubactis;
Immenſoque oneri læti ſubſternimur: Ædis
Ergo triumphali dum curru fertur, amica
Terga damus ſubiecta iugo, frontemque comantem.
Nobis atua ſinus laxant: nos preſſa leuamus
Flamine adulanti turgentia germina campis.
Hæc eſt villa Domus Virtutum, & penſilis hortus:
Huc agite, ò Zephyri; ſuperos educite in agros
Inuidioſa vndis viridaria florida cæli.
Obruit Vnda agros; aſt erigit Aura: coloni
Agrorum Venti ſibi debita munera poſcunt;
Senſerunt Elementa Maris Mundique tumultus:
Extulit & ſolio frontem vigil Ignis, & Aura,
Vndaque cum Tellure. Sedent hæc ſubdita Regi
In ſolij gradibus. diadema iugumque viciſſim
Ordine cuncta ferunt: indignabunda ſed aulæ
Conſortes odere: fremunt, muſſantque propinquis
Iuncta locis, diſiuncta odijs. hinc ſibilat Aura;
Perſtrepit Vnda; labat Tellus, concuſſa furore:
Nec

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Gen. 1.

Aeolus ventorum cauſam agit.

Qui ambulas ſuper pennas ventorum pſ. c.111.

Elementa S. Domus ducendæ munus ſibi arrogant: Horũ diſcordia.

Nec potis eſt Ignis ſceptro componere lites.
Turbinibus redimita comas, caligine frontem
Pro galeâ munita, ſinum clypeata procellis,
Pro iaculis ventis armata, iraſcitur Aura:
Bellica ſigna canit, ſpiratque incendia belli.
Auræ reſpondet furijs Aqua mollis,& ardet:
Agmine cincta procellarum, vocat arma: grauique
Caute riget ſcopuliſque. Suo ſe robore Tellus
Et grauitate armat; bellumque mouere laborat
In S. Domo vectanda cōcordant. Sede immota. Sed â Ventis Pelagoque per Orbem
Crebruit, vt rumor: vectanda Sacraria Verbi,
Veſtiuit ſacrâ quod in aluo ſanguine Virgo,
Tunc primùm pacata ſilent, Ignemque loquentem
Audiuere. Meo,veſtroque Elementa labori
Pro cauſa Elementorum Ignis perorat. Hæc impendit,ait, Superûm Domus ignea Regis.
Prima tulit terris incendia? deferat Ignis.
Aëris arua ſecat? vehat Aura. per æquora fertur?
Vnda ferat. Latijs æternùm ſtabit in oris?
Terra in æternum ſtat. Eccle.1. Æternùm ſtat Terra: ferat. Rex Ignis, amici
Fœderis ignis ero: ſocias mihi iungite dextras.
Exue turbinibus iam mobilis Aura capillos:
Vel niue, vel roris crines nunc indue nimbis.
Roriferi, niueique iubet ſic Cella Pudoris.
Vnda premat fluctus: fluctus premet illa ſeueros.
Terra oculos mulce; grauitatem rore marita.
Terribilem ſic illa Deum coniunxit Amori.
Hæc dum lingua ſibi, vox & facundia iactat
Quatuor Mūdi partes S. Domū deferre ambiunt. Earum habitus,& forma. Rex Elementorum;centum circumſona linguis
Matronas Mundi matres, Dominaſque minoris
Fama vocat. Rapidis Europa curulibus ibat
In Solymas Regina plagas. iuga regia currus
Fert auis, alituum Princeps, ſociata leoni.

Alis

Alis illa ; iubis ferit hic refluentibus auras.
Auguſtæ non gemma comis, non fulgurat aurum,
Non vernant flores; ſed fictæ lumine turres,
Et caſtella ardent . deponere vertice turres,
Et caſtella cupit, Laris exceptura coronam
Virginei . Stant Europæ famulantia circum
Flumina . Arundineo velatus tempora ſerto
Currit, & argentum grandi Tibris eliquat vrnâ.
It præceps Anio, pectuſque tumultibus atrox
Exhilarat, celeratque gradus. cryſtalline frontem
Floribus , Arne, tegis, mollique per æthera greſſu
Volueris . Eridanus regali lætus honore
Incedit, nubeſque premit . ſequiturque Metaurus:
Mincius atque Padus non tardis flexibus errant :
Nar clarat triſti pallentem ſulphure vultum:
Aufidus exultat, turbatus cæde Latinâ
Qui prius errabat : Ticinus, & Allia clade
Fœdus Romuleâ quondam, Rutubæque Velinus,
Et Cremeræ graditur ſocius. Sua flumina mittit
Picenum Tiberi ; Tiberi nec flumina cedunt,
Et pelago renuunt vectigal pendere aquarum.
Inflat Picenos nam iuſta ſuperbia fontes,
Et Maris æquat aquis cælique;amplexibus Ædem
Dum ſperant arcere; ſuis quæ proxima ripis
Accipiet ſuperos, felicior æquore, riuos.
Vndique riuales veniunt, & brachia tendunt:
Murmure contendunt vario ; ſeſeque citato
Sollicitant greſſu : præcurrere quiſque laborat:
Pro cannâ lauro crines , & floribus ornat,
Oblitus maris & ripæ . pietatis ab æſtu
Et dulci motus tumet ambitionis ab aurâ .
Ante alios hilaris ſimiliſque Potentia vitro,

Europam comitantur Italiæ flumina.

Aufidus Rom. cæde cruëtus. Liuius l. 3. Apud Alliam magna ſtrage Romani à Gallis profligati. Piceni fluuij S. Domus futura poſſeſſione, ac vicinia ſuperbi.

Sæ-

Sæpiùs atque fremens altâ ceruice Truentum,
Muſioque, exiguâ ſed non inglorius vrnâ
Nubila perſtringunt curru. nec cætera deſunt
Læta fluenta Orbis, Ligeris, Rhodanuſque, Garumna
Sequana, Danubius, cum Mœno Rhenus, & Albis,
Naturæ qui quæſtor opes cuſtodit, & aurum
Proijcit è fundo diues Pactolus arenis,
Ganges, & Tanarus, ſpumans Amaſenus, Anauros,
Vtilis & Cydnus podagræ, Sicoriſque, Taguſque
Indus, Iberus, Arar qui gurgite ſerpit, Araxes
Amne ſuperbus, Atax mitis, Permeſſus amicus
Pieridum, Apidanus raptor, pretioſus Hydaſpes,
Puniceus Rubicon, leuis Acis, Bragada lentus,
Fertilis & Nilus, Lyris qui ſaxa flagellat,
Viſtulaque, & Ladon famæ maioris ad amnem
Se Tiberim iungunt. porrectis omnia palmis
Serta gerunt feſto reſonantia Flumina plauſu.
Serta ſed abijciunt, dum Virginis ante Penates
Vertice curuantur; Dominoque rebellia Ponto
Ad Mariæ Mare procurrunt, quod inundat Amoris
Æſtibus & donis, quod noſtræ in littora vitæ
Purpureis velis, Charitumque volantibus aurâ,
Corporis in naui Verbum deuexit ab aſtris.
Hoc Mariæ tranquilla Mari ſe condere gaudent
Flumina; Nazareæ quod ripâ cingitur Ædis:
Huic vectigal amant argento ſoluere molli,
Huius & in gremio componi, & frangere faſtum
Virginis ad Muros, & Ponti mobile littus.
Lymphis quin etiam tollunt pendentibus arcus,
Inque triumphales ſua flectunt murmura cantus:
Solus in occultis Iordanis nubilus antris
Luctibus indulget, lacrymiſque fluentibus vndas
Ipſe

Adſunt cætera flumina ad Mariæ Domˢ pompam, quæ mare gratiarum eſt.

Cydni aquas podagra laborantibus ſalubres eſſe ait Plin. l. 13.

Iordanis Palæſtinam ſuâ S. Domo ſpoliandâ dolet.

Ipſe ſuas auget: iuga namque cadentis Idumes
Præſagit ſpolianda Domo, qua turgidus ibat
Fluminum, & Oceani Princeps. Ad ſaxa dolentem
Turbidus allidit frontem, ſertumque notaſque
Proijcit Imperij, fonteſque tributa ferentes.,
Et Nymphas aliò mandat conuertere curſus.

Africa pernices ſuſpendit in aëre bigas, *Africa.*
Quas geminæ vectant humero ancillante leænæ.
Nuda trucem velant Elephantis crania frontem: *Elefantis cranio coronatur in numiſm. ant.*
Ardent in nigrâ ramoſa corallia dextrâ:
Ore iacit nebulas; nebulâ ſed clariùs extant
Gaudia. Sollicitat bijugos per inane camelos,
Et lacrymis Aſia irrorat mœſtiſſima nubes. *Aſia camelis, floribus, gemmis, thure abundat. ex Ioan Boëm.*
Serta comas frenant, violis ſed pallida: veſtis
Non margaritis candet, flagratque pyropis:
Vnica gemma coruſcantes carbunculus vmbras
Exhibet ad Dominæ luctum, pompamque doloris. *Dolet ſua è regioneS.Domum auferri.*
Extinguunt quoque thura diem caligine ſacrâ,
Accenduntque ſimul flammis. dolet illa Parentis
Virginis auferri patriâ è ditione Penates.

Aduentat iaculis quæ ſepit America crines, *America.*
Texit, & innumeris Volucrum ſibi ſyrmata pennis.
Non modò ſanguineis oculis, non pectore cædes *Sic à pleriſq; deſcribitur.*
Expirat Matrona ferox; ſed temperat ignes
Imbre voluptatis, rutilatque in fulgure riſus.
Has Superi circumuolitant, Genijque locorum, *Angeli locorũ tutelares.*
Quà nubes ſecuere rotæ. ſua quilibet arma
Oſtentat; ludit choreis, & carmina dicit.
Vt Genij rupere auras rutilantibus alis;
Matronæque reduxerunt ſpumantia frena, *Fit deſcenſus ab aëre Nazarenum in montem.*
Denique labuntur. mons agmine feruet ouanti
Nazareus, dulcique fremunt iuga flora tumultu.

Quin,

Quin, etiam Mundi Dominæ, dum nutibus Ædem
Libratam videre ſuis, è curribus omnes
Deſiluere: ſolo proni ſe corpore fundunt,
Concipiuntque faces, dum labris carmina pendent.
Tunc, ſic orſa, Lares Europa ſalutat Amoris.
O moles cælo confinis, & amplior Orbe,
Quem ſceptro dominante rego, fabricata ſecundo
Sidere, Virtutum campus, morumque palæſtra,
Fortunata Domus, Fortunæque arbitra, tolle,
Tolle ſupercilium, victrixque volubilis æui
Me quoque vince. tuam Regina ſubacta curulem
Dorſo, corde feram: mea Regna iugalia mecum
Colla tibi ſubdent. Vtinam quot lumine terras
Ignotas ambit Titan, quot fluctibus æquor,
Hæc ferrent mea dona? Feram ſuperaddidit ore
Africa: ſubijciam tibi colla iubata leonum:
Ipſa triumphatas nectam in tua vincula palmas;
Et mecum populi, tua præda & pompa, ſequentur.
Tu currus; volucres regit Omnipotentia curſus
Sola tuos auriga: viros ſuper Æthera tollis
In Styga lapſuros. gremio, precor, excipe ciues
Cæleſtis quadriga meos, cæloque redona,
Tartara quot rapiunt, ſcelerum dum mole grauātur.
Aſpice nigrantes fœda caligine vultus,
O mihi Cella tuis pretioſis concolor vmbris!
Te Sol denigrat; Ditis me fumus inumbrat.
Tu noua monſtra paris, ſed amoris: monſtra furoris
Africa parturio. mea monſtra domantur ab igne,
Solaque terribiles perterret flamma leones.
Sparge faces: tu monſtra domas, turpeſque fauillas
Igne tuo iugulas, non igne domabilis vllo.
Scilicet imbueris flammis cæleſtibus, aſtra
Æthe-

S. Domus iam ſolo vulſa pēdebat in aëre. Europa S. Domum ſalutat

Deinde Africa ſub nigra vultu, & mōſtrorum mater.

S. Domus ſacro quodam nigrore infuſcata.

Leo igne terretur, & domatur.

S. Domus ſui ſecura, quia igne ardet æterno.

Æthere queis flagrant,cineriſque ignara perennant·
Sparge faces: dum currus eris, tibi dira leæna
Atque leo facili venient ceruice iugales.
Tunc Aſia illuſtri gemitu gemmata: quid, inquit, *Aſia S. Domũ ſalutat.*
Te rapis amplexu Domus, ò Domus hoſpita noſtro?
Delicium cordis, te corde, & fronte feremus.
Delicijs fecunda, meæ malè credita genti,
Florida parce Domus: Aſiæ ne deſere flores.
Do manibus violas, calathis do lilia plenis;
Præbeo cor oneri: tibi pro fundamine gemmas,
Et me ſubſterno dulci ſub mole ſuperbam.
Has Aſiæ voces abrumpit America. Noſtris *Deinde America amoris veſtita chlamyde.*
Arma comis,procul arma feram quò Virginis Ædē.
Spicula,bellatrix tenues quibus induo crines,
Non bene conueniunt capiti, cui Limina, Pacis
Dulce onus, impendent: cum telis frango pharetras
Pacis ad hoc Limen: taciturnâ morte ſonantes
Frango arcus. fruſtra feritas iam tela miniſtrat.
Arcitenens hìc regnat Amor: cedamus Amori.
Hic mihi pro Volucrum pennis accommodat alas;
Et ne nuda feram cæleſtia Tecta Pudoris,
Texit Amor chlamydē: chlamys eſt mihi nomē IESVS.
Interea,luſtrans vigilantibus omnia flammis *Sol, & ſidera vectare S.Domum depoſcunt.*
Sol in humum, ſummo reuocatus ab axe, ruebat,
Perniceſque vrgebat equos, vt Limina curru
Deueheret veneranda ſuo. Stant ſidera circum:
Signat Virgo vias: agit aurea plauſtra Bootes:
Stella coronali ſe ſe circumplicat auro
Gnoſſia, velatura ſuo Conclauia ſerto.
Mars gladium vibrat ardentem, nouus Aliger horti
Excubitorque voluptatum: mœrentia frontis
Nubila Saturnus pacati fulguris igne

Diſ-

Diſſipat, acceleratque gradus, & Limen adorat
Cernuus ecce volat radianti Lucifer ore,
Auroræque Domum, Soliſque Cubile ſalutat
Deflexâ ceruice. iubas, animoſaque terga
Oſtentas, trahere inuictas aſſuete curules
Depoſitâ feritate Leo: venit vtraque linquens
Vrſa polum: Nauis, quæ lucis nauigat æquor,
Pro remis radios vitreo ſub gurgite verſat,
Et properat; gaudenſque Lares attollere, cæli
Temnit opes, Soliſque aurum, quo plena fatigat
Pondere ſidereos orbes, & ſidera ditat.
Cætera procurrunt, rutilos ducentia crines
Lumina. Virgineas at Cynthia lambere plantas
Quæ ſolet, in currum curuatis cornibus, ardet
Prima profecturos complexu arcere Penates.
Scorpio ſolus abeſt; nec clara volumina Serpens
Harmonicoſque ſonos torquet; dum ſibila vibrat.
Nam, quamuis veſana lues cæleſtia monſtra
Non temeret; fera quando ferunt in imagine virus,
Illibata fugit Virgo cæleſtia monſtra.

Cælũ mõuens Intelligentia ſibi deſtinat Domus vectã dæ curam, ſideraque, ventos, & mare per illorum Genios compeſcit.

Aliger interea, motorque volubilis oræ,
Vt vidit viduari aſtris proſcenia Mundi,
In terras eademque ſuo ſine numine labi:
Quò properatis, ait, ſine me, ſine lege? quis aſtra
Subtrahit Imperio Superûm, Mundoque ruinam
Præparat, antiquâ ſtellis è ſede remotis?
Cui reſponderunt placido ſimul Aſtra tumultu:
Namque aſtris radij ſunt linguæ, fulgura voces.
Æthera deſerimus: melior nos euocat Æther,
Perpetuâ qui luce calet, cui Cynthia Virgo,
Sol Deus eſt. ducit quà ſemita luminis, imus.
Cerne viam, via lucis erat, quæ tramite recto

Naza-

Nazareum monſtrabat iter, Superoſque fluentes
Partibus ex alijs, ſolioque Tonantis ab alto.
Aliger obſtupuit, pubemque vocauit, Olympi
Quæ ſecum gerit arbitrium, Mundique minoris.
Adfuit, imperio qui regem temperat Ignem,
Aëra qui frenat, Pelagi qui ſpumea torui
Colla ligat, Terræ qui ſemina fundit, & arua
In varios vultus cum temporis ordine mutat,
Fecundans modò fruge ſolum, modò flore colorans.
Horum concilium ſolio propiore coëgit
Aliger excubitor, volucri maiora rotatu
Sidera qui voluit, qui cæli protegit arces.
Quos vt collectos in prælia vidit amoris,
Vocibus extimulat. Bellum, ſed amabile bellum
Succendit Pelagus votis, fouet Aura, laceſſunt
Sidera: vos, ſocij, dulces componite turbas.
Quælibet ante Lares pereat diſcordia Pacis.
Quæ terræ dos eſt Domus, & dotalis Olympus,
Terra maritali dum fœdere iuncta Tonanti eſt,
Non Venti Pelagique humeris, non Ætheris aſtris;
Aligerûm ſed nixa choris choreiſque feretur.
Non datur hoc alijs. mihi cura volumina cæli
Munificâ verſare manu: verſatile cælum,
Hæc Domus ergo meo ducatur pendula nutu.
Si dabit hoc Michaël, Superûm qui ſceptra tuetur;
Dux operis, Sediſque faber per inane mouendæ
Nunc adero: vultus Elementa nitore retundam,
Bellaque compeſcam, placidâ quæ ventilat aurâ
Vectandi Laris ambitio, cui Sidera, & Orbis
Quattuor Auguſtæ ſupponere colla laborant.
Intereа, ſocij, ſuperis vos iungite caſtris,
Nazarei quæ nube tegunt faſtigia montis,

Angeli elementorũ tutelares ab Intelligẽtia quæ cælos mouet, cogũtur in cõcilium, & ad ſecum vectãdam S. Domũ inuitantur.

O Nube

Nube ſed illuſtri pennarum,promptaque iuſſis
Principis Aligerûm, ſua nos in fœdera poſcunt.
Scilicet ad pompam tot inundauere, quot antrum
Bethleum cinxere olim; quot noctis in vmbras
Largiùs infuſo rutilarunt imbre nitorum.
In nocte Chriſti naſcentis Pax pro Sole, & Luna.
Nocte diem multâ tunc Pax ſine Sole recluſit,
Sol, & Luna recens, vitæ melioris origo.
Nos etiam, vt memini, deuincti crura cothurnis,
In gyrum iunctis in mutua vincula dextris
Ferre Domũ Pacis Angeli volunt, qui pacem ad Chriſti cunas cantibus celebrarunt.
Fidimus auratis pharetrati nubila pennis,
Saltibus arguti, digitis, & voce canori.
Tunc noſtris immixta globis celebrataque cantu,
Atque alas deuecta ſuper Pax candida noſtras,
Delicias Pueri ex oculis potabat Amoris.
Nunc oneri rurſus Pacis ſubmittimus alas,
Atque Domum radijs & florum ſpargimus imbre,
Aligeri ſolium, poſitis cui ſeruiet armis,
Pace recuſurus nona ſecula, ferreus Orbis.
Conuenere acies. volui tot in Æthere Soles
Credidit attonitis ſtellis immobile cælum.
Remigio volucri Pubes pennata flagellat
Angelorum iubar ab Vnda timetur.
Ventorum oppoſitas iras; & luce serenâ,
Vultibus irriguâ, nebulas & nubila frangit.
Fulgura Terra timet: timet Vnda areſcere nimbis
Luminis inuiſi: putat in ſua damna lupatos
Quadrupedeſque, rotaſque iterum Phaëtóta mouere.
Omnibus hinc trepidat lymphis, socijſque procellis
In mare præcipiti deuoluitur acta timore,
Virgineoſque Lares, incœptaque prælia linquit.
Ipſa etiam fugit Aura: locum dant Aſtra: pauere
Aſtra ſolent Superûm dextram, qua vertitur Æther.
Inde vbi facta quies poſcentibus Atria Diuûm
Ferre

Ferre per aëreos tractus; atque ambitus omnis
Aligeri nutu deferbuit, aſtra regentis;
Digna Deo, ſed mendico, vectanda ſupellex
Cum Lare congeritur,ceu fercula magna triumphi.

S. Domus vectanda ſupellex ab Angelis præparatur.

 Non ardent auro patinæ; nec pocula, ſignis
Aſpera gemmarum, radios in vina refundunt.
Condidit argillâ Paupertas pocula, & aſtris
Inuidiam fecit: pueri nam labra Tonantis
Argillæ dederunt pretium, quò vinceret aſtra.

Pueri Ieſu crateres auro miniati. Huius è labris illorum fulgor.

His cyathis mortale merum Deus ipſe Deorum
Potabat; nectar quò propinaret Amoris
Immortale viris,quò pocula mortis amara
Grandior hauriret. Calicum, viden! illita labro
Aurea lux rutilat. color eſt hic fulgor Amantis.
Dum calici flammata Deus puer applicat ora,
Floridiora roſis, & cæli floribus ora,
Ore calix vernat,& purpurat igneus ore,
Ore coronatus roſeo. ſorbere fluenta

Cratera coronant. Virg.

Torrenteſque voluptatum è cratere Puelli
Optabant Superi; ceu potant ſidera Solem,
Vas admirandum, quo, luminis ebria, cæli
Sidera per campos, rapidâ vertigine currunt.

Sol vas admirabile. Eccli. 43.

Pupus erat ceruus ſuperis de montibus actus,
Hinnulus aut cerui. iaculis venantis Amoris
Pectora transfixus, ceu flumina nota,petebat
His cyathis latices, ſolatus vulnera lymphis.

Similis capreæ hinnuloque ceruorum. Cant. 2.

Ætheris exuperans ripas, opulentus honorum,
Pupus erat pelagus: pelago vectigal Hydaſpes
Non dabat aut Ganges; ſtillas cratere caducas
Sugebat, cupiens in Amantum pocula venas
Exhaurire omnes, cyathos in vulnera vertens.
 Atria monſtrabant olim fumoſa potentum

Cedrina B. *Virginis effigies fumo luminum infuſcata.*

Signa Ducum : cæli ſunt atria, Virginis Ædes.
Hic quoque ſigna manent cæleſtia. Diua ſuperno
Stat loculo ſuffulta : micat de nube genarum
Fulgor, & obductâ maieſtas extat ab vmbra.

Sol è nube ſubinde collucens, ac latens.

Ipſe nigror, nitor eſt. nubes ita mitior inter
Erumpit radijs Titan : ſe prodit, & abdit :
Fert reuocatque diem; moriturque, oriturque, volāti
Conditus in nebula, & nebulâ rediuiuus eâdem,
Filius, atque pater, genitus de nube, diemque
Progenerans, perimenſque ſimul, diuerſus & idem,
Vnus multiplici ſpecioſus funere, & ortu.
Virginis in vultu, ceu ſidera conſita nocte,

Virginei ſimulacri habitus, & formæ;

Lumina bina iubar mediâ in caligine promunt.
Pro pupilla oculis eſt gratia : palpebra cælum eſt:
Labitur è facili coma vertice, & imbre ſerenat
Colla; fluitque humeros ſine lege profuſa per omnes.
Palla etiam lateri, molli ſubnectitur auro,
Auguſtoque ſinu criſpatur, & amplior ambit
Obſequioſa pedes, limboque ſuperbit in imo.
Filia gemma maris, Mariæ diſtinguit amictus;
Nec Soli cedit, nec ſtellis inuidet; Vrbis
Æthereæ gemmas vincit, quibus ardua ſurgunt
Mœnia, Cælituumque viæ ſternuntur & arces,

Gēmæ furantur à Virgine ſplendorē, & reddunt.

Liminaque æterno ſplendent circumflua luxu.
Virgineæ cælum frontis dum gemma coronat,
Ipſa nitore coronatur, quem prodiga lucis
Virgo iacit, quem gemma rapit; furataque lucem,

Puer in ſinu Virg. ſubniger.

Furtum reſtituit diffuſâ luce per artus.
At tu, belle Puer, Sol Matris, & ardor, ab vlnis

Nebula impleuit Domū Domini 3. Reg.

Subniger amplexu pendes, nebulâque Tonantem,
Lux mea, te populis prodis; fumoque decoro
Non tegis; at retegis diuinam, ſubdole, flammam:

Hæc

Hæc placet vmbra magis, quàm quę de coniuge vite
Spargit in arua vlmus, ramis dum fulcit amantem,
Excipiuntque ſimul Solem, nexuque marito
Dulcia ſuppoſitis texunt vmbracula campis.
Non fugat vmbra diem, ſed terris nunciat altum
Solis iter. Concede, Domus peregrina, per Orbem.
In te regnantis curſum cognoſcere Solis
Solari licet ex vmbra, quam Pupulus ore
Proijcit. vmbroſâ nemorum vel ſede quieſces
(Auguror) ingentes vel quà mons explicat vmbras.
Qualis ab aurato Pueri natat ore voluptas!
Aurea quæ rutilat nigrâ è ferrugine formâ!
Sic hebeno ſe iungit ebur; violiſque liguſtra;
Candor & Auroræ nocti; carbunculus igni;
Sic auro minium, & tenebroſæ fulgetra nubi.
Eſt coma Pactolus, flauo quæ proluit æſtu
Os, humeroſque Genitricis; Mariæque, marique
Diuite miſcetur fluctu. Toga, zona, capillus,
Syrmata Nazareos referunt hæc omnia ritus.
Eminet in digitos bene dextra precata priores:
Mundi læua globum niſu ſuſtentat eodem
Cum Genitrice Puer. Gerit auxiliaribus vlnis
Illa Deum pariterque Orbem, quē dextra Gigantis
Attollit Pueri. Num fortior illa, Puellum
Quæ tenet, atque Orbem? Sic eſt. niſi Pupus, & Orbis
Virginis è manibus penderet, ſæpè ruinam
Cum populis traheret reuoluto cardine Mundus.
Finxerit artifici dextrâ ſimulacra quis author
Ne quæras: Dolor effinxit; Dolor arte magiſtrâ
Cedrum Niliacis animauit imagine ſiluis.
Herodis ſubmota dolis gladioque ſuperbo,
Exul Idumæis cum Nato, & Coniuge campis

Chriſtus in matre vlmus in vite.

Puer vmbra ſua horologiū ſolare æternitatis efficit.

Quid portendat hæc vmbra.

Pueri forma, & habitus.

B.V. ſuſtinet puerum, & Mundi globum.

Geminum è cedro Matris, & Pueri ſimulacrū vnde ortum.

Ibat in infidum, multâ iam nocte, Canopum

Cum longiùs iter proſequerentur ſole feruente, petijt Virgo ab Ioſeph ſub arboris vmbra quieſcere. Bolland. in vita B. Veronicæ de Bin.

Virgo parens, cuſtoſque Dei: cum feſſa viarum
Appulit in ſiluam, iucundo naufraga fletu.
Cedrus erat, trunco multiſque veterrima nodis,
Quæ pomis effœta diù, morituraque nunquam,
Fronde viatores, & odore vocabat ad vmbram.
Acceſſit peregrina Parens, gremioque Puellum
Amplexata, breuem tremulâ ſub fronde quietem
Libauit. miluo vel tempeſtate columbæ
Præcipites ſic nota tenent arbuſta; fugamque
Mox iterum arripiunt; donec de turribus hoſtem

Hoſpitũ præſentiam horret arbor.

Aëre deſpiciunt vacuo, cæloque fruuntur.
Virginis aſpectu, Puerique exhorruit arbor,
Nutauitque ſolo: truncum inclinauit; & vmbras
Numinis ante iubar pauidâ dimouit ab aura.

Siccatur.

Denique victa metu, radicibus excidit imis,
Diſperſitque comas, vicinis arida flammis.

Refloreſcit.

Vbera forte ſuo dum Virgo propinat Alumno,
Vna fluit mammis in cedrum guttula lactis.
Explicuit frondes: caput extulit, alta laceſſens
Nubila, & auratis ſe ſe induit ardua pomis.

Puer in rediuiua cedro Crucem præcognoſcit.

Pupulus, vt patulis cedrum conſurgere ramis
Vidit, & è ramis ſubitò flaueſcere fructus,
Arſit amore Crucis: cari ſimulacra doloris
Dextellâ implicuit: dedit oſcula, pomaque legit.
Vix obiecta oculis fuit hæc fera ſcena Parentis;

Turbatur Mater, ac viribus deficit.

Cum ſubitò ingemuit, maculiſque expalluit atris:
Forma fugit, nigrorque oris perfunditur oſtro:
Sanguis hebet, vireſque iacent, turbataque mentis

Cedro imprimitur eius imago.

Vulnere, Virgo ruit, cedruſque amplexa cadentē eſt.
Dum trunco caput acclinat, mirabile dictu,
Deſijt eſſe arbor: fit cedrus imago dolentis.

Et

Et quia nox aderat, nocturnis concolor vmbris
Seruat adhuc nigrore, ſui veſtigia luctus.
Æmula res Amor eſt, diuinæ ſigna Parentis
Si Dolor inſculpſit; Nati ſimulacra dolentis
Pinxit Amor Crucis in tabula, tabulamque Dolori
Inuidus obiecit, quà veſpertinus adorat
Occiduâ Sol luce Domum, moriturque feneſtræ
Inſitus; vnde dies, ſcelerum caligine victâ,
Lucifero Gabriele, roſis velatus Amoris,
Virginis è labris verbiſque adapertilis arſit.
Nam, moriente Deo, cum Sol ferrugine vultum
Conderet, in tabula picturam expreſſit ad vmbram
Lux Amor. Extincti Corpus miſerabile Nati
Vidit vbi gremio Matrem componere, & vndis
Tergere perpetuis lacrymarum vulnera, cordi
Cor miſcere, oculos oculis, fletumque cruori,
Os ori, & pœnas pœnis confundere; furtim
Virginis eripuit lacrymas, Natique cruorem.
His Cruce permixtis, ductiſque coloribus inde,
Ad viuum extincti pinxit ſimulacra Tonantis,
Squalentes oculos, concretum ſanguine vultum,
Liuentes artus, ſparſamque in vulnera mortem,
Integra, ſed proprijs extantia ſedibus oſſa,
Pallida labra, caput pendens in pectus, & ipſo
Sanguinis imbre madens trãſfixo in pectore vulnus,
Conſertum ſpinis diadema, pedeſque, manuſque
Terribili clauo cruciatas. Viua per artus
Mors, animante manu pictoris, oberrat: Amorem
Spirat opus: pictoris habet ſine nomine nomen.
Vulnera, mẽbra, manus, taciturnaq; lingua, colores,
Omnia fantur: Amor faciebat: paſce cruentâ
Non picturâ oculos, animum ſed paſce. videre

Chriſti crucifixi effigies ſimul cũ Domo aduecta, Pictoris Amoris opus.

Ad occaſum ſita pictura eſt ſupra feneſtram, quã Gabriel ingreſſus eſt.

Crux tabella colorum, vbi mixtæ matris lacrymæ cum filij ſanguine.

Hanc proprio flagras in lumine? nata tenebris,
Quas dolor effundit, ſpecioſis eminet vmbris.
Pictoris videt ingenium, floremque colorum,
Picturæque fugas lucemque, in nocte doloris
Qui latet ob Chriſti pœnas ab Amore ſepultus.
Hæc Matris ſolamen erat;dum,morte peremptâ,
Nubibus inſeruit victricia tempora Natus,
Cum Patre compoſtus ſolio Dominator eodem.
Irriguis Virgo lacrymis hanc ſæpè rigauit,
Stillauitque ſecunda Cruci ſic fata. Perennem
Nam dedit eſſe Vrbem,bellique, aut temporis iras
Temnere, quæ gremio tabulam ſeruaſſet amanti.
At poſtquam inuiſam bellis euertere gentem,
Et vaſtare ſolo Solymam ſententia ſedit
Cælitibuſque,Deoque;procul ſacra pignora viſũ eſt
Cum profugâ vectare Domo,nullamque ſaluti
Spem ſupereſſe Vrbi, dira quæ morte Salutem
Perdidit, atque ſuas Crucis ariete diruit arces.

Poſt Chriſti mortem in cubiculum B. Virginis trãslata fuit hæc imago. Ex huius tabulæ poſſeſſione, vt olim è Palladio, felicitas.

Iamque abacis inerat Cellæ compoſta ſupellex:
Extabant muris cæleſtia ſigna: Penates
E dorſo Superũm, Superi Michaëlis ab ore,
Vt motum annueret,pendebant:Regia Pacis
Cum peperit noua bella. animis concordibus iras
Aligeri nam ſæpè agitant: amor omnibus vnus:
Aſt in amore vno mens eſt contraria menti.
Prælia belligeris ſecum rationibus vrgent;
Nobile diſſidium donec diuina Voluntas
Pacat,& immiſſâ de vertice luce ſerenat.
Armatus radijs ceu telis, ſidera Phœbus
Sic ferit & Lunam: ſed Lunam & ſidera Phœbus
Si ferit, illuſtrat, lucemque in vulnera fundit.
Semper bella iuuant, ſi lumine bella geruntur.

Sic Danielis 10. Angelus Angelo reſtitit.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM.

Gabriel contendit, Nazar. Domum non eſſe dimouendam è Palæſtina, vt difficili peregrinatione Chriſtianorum Pietas alatur, quemadmodum alitur S. Sepulchri viſendi feruore, & ſpe recuperandi. Michael obiectis breui dilutis, hanc eſſe aſſerit, manifeſtam ſibi Numinis voluntatem, vt in Italiam ad bella, victoriaſque bellicoſæ Regionis bellica Domus transferatur. Huius ope gerenda bella, ſibi à Deo reuelata, recenſet in humanas affectiones, in prædones, in Turcas, & pro Romæ Romanorumque Pontificum defenſione.

SEnſerat ex imis conuelli ſedibus Ædes
Nazareas Gabriel, Solis quas Lucifer olim
Ingreſſus, terris totum patefecit Olympum,
Impleuitque Domum læta formidine, pectus
Viginis arcanis flammis, & laudibus aures.
Ergo iterum magni ſubit Atria conſcia Partus,
Et croceâ caput attollens è nube coruſcat,
Subnixuſque genu venerabile Limen adorat.
Hæc ait, illa Domus, qua caſto pondere Matrem
Creſcere virgineam vidi, decreſcere Verbum
Corpore in exiguo, cui par nec Terra, nec Æther,
Par Deus ipſe Deo, gremio qui mentis, Amoris
Solus & amplexu, ſobolem complectitur vnam,
Atque ſibi ſimilem, qua cætera parturit vnus.
Hæc memorans videt Aligeros efferuere turmis

Gabriel in mõtem Nazareth deſcendit.

Adorat S. Domum.

Videt Michaelem cum Angelorum militia.

Iuſſa

Iuſſa ſequuturos Michaëlis. in arma ruentem
Caſtra ducem ſic mota ſuum,& vexilla ſequuntur,
Dum tuba ſopitas clangoribus excitat iras.
In media Dux pube volat, quæ plauſibus alas
Dum quatit, ille auris dat ludere verticis aurum.
Fulgurat innocuè: Maieſtas ardet amore:
Gratia terribilis,terror placidiſſimus arcem
Oris habent: clypeo rubet inflammata minaci
Læua manus,tremulumque agitat manus altera telũ.
Cui Gabriel: Ductor Michaël fidiſſime,iuſſis,
Vt video,famulata tuis, parat ardua pubes
Tecta mouere ſolo. ſi quid mea robora poſſunt
Auſibus obſiſtam, patrioque recedere Regno
Non patiar. Solymæ euerſæ ſupereſſe Penates
Dulces exuuias, & fulcimenta ſalutis
Vltima depoſitæ liceat. iactura bonorum
Et populi exitium vnâ compenſabitur Æde.
Nazareæ me iura Vrbis, me dona tueri
Nonne decet? cælo demiſſum præpete pennâ
Me complexa ſinu Domus eſt: breuis area Numen
Hæc circumſcripſit, ſpatio quod grandius omni,
Omnia dum complet,ſupereminet omnia, Pontum
Æthera,Tellurem, nigra Tartara,inania regna,
Exuperatque Chaos, ſibi par menſura,Domuſque.
Ergo perennabit, me iudice & auſpice,montis
Gloria Nazarei, Superûm qui fronte Gigantem
Extulit æthereis non arcibus arma mouentem,
Æthera ſed terris miſcentem: ſecula Olympo
Fortior exuperet; caput intra ſidera condat,
Stellarum Dominum roſeo qui vertice fulſit.
Sed facilem me finge tibi; num gloria Regis
Hoc iubet Aligerûm, qua nos vrgente,labores
Po-

Contendit S. Domum non eſſe è Palæſtina dimouendam in afflicti Regni ſolatium.

Quia ex difficultate itineris pietas in peregrinis augetur.

Ponimus;aggredimur; ſedamus bella;mouemus;
Colligimus ſubitò,ſubitòque expandimus alas?
Italiam Domus approperet. ruet vltima Thule:
Circumfuſa fluet toto gens omnis ab Orbe,
Inſpectura Domum. Pietatis flamma ſed aurâ
Vix afflata leui conſumit languida vires.
Obuia vileſcunt; oculoſque latentia, votis
Quærimus:ipſe labor, qui pectora preſſit,amatur,
Erigit atque magis, poſtquam quæſita tenemus.
Vertitur in rorem ſudor; ſunt gaudia luctus.
Multa diù toleraſſe iuuat, Patientia vicit
Denique ſi longas in longo tramite curas.
Mens animi eſt oculus: rimatur lumine mentis
Cæca Fides, quæ longa oculis ambage recedunt.
Quæ ſoror eſt Fidei Pietas, imitata ſororem,
Obſequio ſequitur, fugiunt quæ lumina. ſæpè
Quæ non cernit, amat. minuit præſentia cultum.
Hæreat ergo ſuâ Domus in ſtatione:per enſes,
Tela per & flammas, perque arma furoris, amantis
Virginis Hoſpitium Virtus ignara repulſæ,
Atque timoris Amor penetrabit neſcius. haſtis
Barbaries acuet curſum,volucrique ſagittâ
Currenti pennas,vireſque volatibus addet.
Terribiles litui,tuba,claſſica,tympana Martis
Chriſtiadum ad plauſus animis calcaria ſubdent,
Atque metum pellent. Iuuat in Cunabula Vitæ
Per medias penetrare neces,per caſtra,per hoſtes.
Dum ferus Odryſij curuabitur arcus in ictus
Pennigeræque necis curſum, Regina ſub arcu
Relligio ad Solymam victo terrore migrabit.
Mille viatorum, Pietatis concita tædis,
Agmina Agarenas poſt mille pericula rupes
Pren-

Prenſabunt palmis & corde, araſque capeſſent;
Sed cælum arripient meritis. protendet amore
Semita longa animos. Sol, flumina, ſtagnaque, ſudor,
Durataque ſolo glacies, nemorumque timores,
Atque iter immenſum, & magni menſura laboris
Immortalis erit feſſis dimenſio Regni.
Tolle ab Idumæis Michaël cæleſtia campis
Pignora; Chriſtiadis Virtutum pabula tolles;
Germina ſanctorum, floreſque in ſtirpe necabis,
Quos durat labor in fructus, aſt otia perdunt.
Quia Chriſti monumẽta in Palæſtina relicta pia Regum bella ſuccendent. Si remanent: patitur quæ fortiter ardua, grandes
Exacuet generoſa animos ad grandia Virtus.
Roma, peregrinum quæ ſeptem Collibus Orbem
Excipit, exurget ſolio, peregrinaque Idumem,
Et ſata diuinis venerabitur arua triumphis.
Sæpiùs ad Solymam tranſmittet Iberia Reges:
Regia magnanimas animabit Gallia mentes:
Maius præmium è maiori labore. Difficiles reſerare ſinus Virtute iuuabit.
Cætera ſi deſint, pretium immortale laboris
Semper erit labor ipſe ſibi, dum ſeruit honori
Principis æterni. Patriam liquiſſe, penates,
Regna, Duces, ſocios, palmam, vitamque ſub ipſo
Pondere bellorum, Solymæ ſub mœnibus altis,
Nulla Ludouico morienti gloria? merces
Sic Ludouicus rediјt è Palæſt. glorioſior Viuenti non vlla fuit? Quia funere victus
Occubuit, victor viuit, geminamque reportat
Ex vno vitam fato: nam fama per Orbem,
Regnatorque animus ſuper Ætheris aſtra perennat.
Sic periiſſe iuuat. bellatorum agmina Regum
Fata Ludouico inuideant, laudeſque ſequantur.
Horum alet ardores floro Domus inſita monti.
Regibus hæc aliјs Capitoli immobile ſaxum,
Naza-

Nazareo defixa iugo, fundabit: in enſes,
Telaque mutabit regalia ſceptra; coronas
In galeas, rutilo gemmatas ſanguine, vertet.
Bella viam inuenient, qua per diſcrimina vitæ
Perrumpant aditus, Solymæ qui limina ſeruat,
Sopito Cane Threicio, vel cæde perempto,
Dum latrat. Alcidas obiecta pericula formant;
Et Pietas bellis agitata caleſcit & ardet,
Nec pauet in media ſecura tyrannide: tædas
Suggerit Heroum ſoboli. ruit illa per æquor
Intus agente Deo flammas, veniſque cruentis
Signat iter Syriæ fugientis; & enſe coruſcans
Ætheris ardores, Chriſto duce, militat aſtris.
Illa ſepulchrali quoties è Numinis vrnâ,
Vt ſilice, excudit generoſa incendia belli?
Hac face Gofridus ſata ſyrtibus arua Profundi
Puppe triumphali fregit, Tumuloque Tonantis
Inſeruit ſceptrum, quo Regum floruit arbor.
Hac ſtimulante dabunt in ſplendida funera vitam
Quotquot fortis honor violati Numinis vrit.
Tempus erit, Mundi lacrymis cum ſæpè vocata,
Deferet arma Pio Pietas; gentemque rebellem
Chriſtiadum turmis, & claſſe domabit ouanti.
Nec ſatis. aduertet Solymęa ad littora proras.
Velificante Deo, fundabitur anchora portu.
Portus erit locus, vnde viam ſibi luce recluſit
E Tumuli tenebris victor Deus, oſſaque mortis
Vulſa, minutatim ſcidit; ni ſæuior irâ
Aequoris, & ventis Diſcordia grandibus orſis
Obſiſtat medijs in fluctibus, armaque tundat.
An nequeat Domus hæc Domini ſuperare Sepulchrũ
Corporis exuuijs opulentum? Claruit olim

Gabriel bella geſta, & gerẽda pro Chriſti ſepulchro recuperanda commemorat.

Nazarena Dei Cella ſepulchro maior: ideo ferũetiùs bella gerenda pro illius recuperatione, ſi maneat.

Illud

Illud ab illuſtri precioſi funeris vmbrâ.
Ebibit hæc vitæ radios: hæc aula Tonantis,
Atque Domus dominantis erat. Redeuntis in auras
Carcer id, hoſpitiumque fuit;ſolumque recepit
Deſertumque Deum. Ioſeph, Puer,inclyta Virgo
Hos,Charites, coluere Lares; multoſque per annos
Inſeruere manus,animas, pia munera, mentes,
Cordaque iuncta choro. Vallarunt frigora mortis
Buſta: Domum flammæ ſuperaduenientis Amoris.
Sanguinis excepit vacuum necis Vrna: ſed Ædes
Numinis hæc venas, hominum ſub faſce gementis,
Prodiga rorifero cumulauit ſanguinis auro.

In Chriſti anaſtaſi terremotus ex Matth. 28. Turbata eſt Virgo in Verbi conceptu. ex Luc. 1. Regibus erit geminum calcar ad bellū S. Domus, & S. Sepulchrū.

Intremuere ſepulchralis formidine ſaxi
Saxa illic, Dominique gradu ſurgentis in auras:
Hic turbata Deo tremuit propiore Virago.
Et non hæc omnes ad ſe Domus excitet oras,
Tellurïſque mariſque; ciet ſi Regna Sepulchrum,
Armaque regnantum? Quamquam nec Regna ciebit,
Cedet Idumæis ſi nobilis incola campis
Cellula culta Deo. geminū, Domus atque Sepulchrū,
Nam ſi calcar erat; calcar ſi deficit vnum,
Tardiùs egregium Pietas ſopita laborem
Arripiet. Sed an arripiet contenta minori
Se curâ retinere Lares, quibus omnia dona,
Cunctaque Cælituum complectitur horrea tellus?
Proijcere errantes in aperta pericula ciues,
Et circumſtantum tanto diſcrimine Thracum?

Contra verò S. Domum ſine difficultate in Italia poſſidētes otio marceſcent.

Quid iuuat exhaurire vias fraudeſque locorum,
Proxima littoribus ſi Virginis Aula Latinis
Obiacet, inuitatque breuis, ſecuraque gentes
Semita? Prona graui non eſt Natura labori:
Sæpiùs hunc tolerat, rarò ſed quærit: inanes

Præ-

Prætendit cauſas : veris non ſeruiat vltrò,
Vt fugiat, cum nulla fugæ ſit criminis vmbra ?
Adde, quòd Ortus, & Occaſus commercia vitæ
Vltima diffringent, Fidei, Pietatis; & inter
Lethiferos Gentis mores, hæc Terra ſalutis
Iacturam geminæ faciet; geminique Tyranni
Aſſyrij, Stygijque iugum, bis victa, ſubibit.
  Ergo Palæſtinis ſtent Limina Virginis oris.
Irritamen erunt Virtutis, in ardua pennis
Eluctantis; erunt Fidei, & bellantis Amoris
Amphitheatra; ſacris viridaria conſita lauris,
Raſtro culta Crucis, nunc irroranda cruore.
Quæ duro generata ſolo, ſi conferis agris
Italiæ, & domito mandes cultoribus horto,
Delicijs Pietas inimica peribit; alumnus
Sanguinis atque ardor Pacis torpeſcet in vlnis.

Quid Chriſti dolentis monumenta cũ Italiæ delicijs ?

Talibus orabat Gabriel; paucique fauebant
Aligeri. Michaël tunc alta ſilentia rupit.
  Pluribus inuiſæ cauſam defendere gentis
Deſine: non ſuperos depoſcunt Regna patronos,
Quæ damnata Deo ceciderunt Iudice. Noſtros
Illa vocant gladios, acuuntque in vulnera dextras,
Flagitijs effœta. lupis vlulantia ſeruent
Antra Lares, vbi Caula fuit Paſtoris, & Agni,
Lactea Virgineæ carpentis pabula Matris !

Michaelis oratio pro Italia.

Hic vbi, ſpirantes crudelia funera, ciues
Tentarunt patrio detrudere monte Gigantem,
Hæreat ille diù ? De montibus Ætheris ignes
Torqueat, & Patriam fundo eruat. Eruit. altis
Illa Palæſtinis vix extat fixa ruinis.
Ergo ruinoſis fugiat Domus inclyta regnis,
Quæ Syriam oppreſſit, quæ terram, mole cadentem,

Chriſtus è Nazareno mõte ferè deiectus à ciuibus. ex Luc. 4.

Cri-

Digitized by Google

Criminis, erexit. Sedes dominantis Amoris
Sit procul è Regione, odijs quæ bullit acerbis,
Decuſſitque Deum. Rapere hinc diuina daretur
O ſi Buſta, quibus vitam mœrore ſepultam
Continuit, Nati moriens in funere, Mater?
Chriſtiadum dabitur turmis, quibus impigra Virtus
Præbeat Aligerûm mentes, celereſque volatus.
Interea rapienda Domus. Tibi nobile munus,
Itala debetur tellus. Aſia humida luxu,
Lubrica dilabi cæleſtia dona videbit,
Delicijs quæ mota fluunt. Sic Virgo Draconem
Fugit auernalem, iaculantem dulcia rictu
Flumina; & obſcuris ſe credidit integra ſiluis.
Turca vomit fluuios, Draco turbidus ore; ſed inter
Terribiles furias perrumpit amabilis vnda,
Miſtaque blanditijs, animos dulcedine mollit:
Occultos rapit ad ſcopulos, frangitque Pudorem.
Ergo recedamus. veterum iam prælia Regum,
His armabat agris quos Chriſti gloria, languent.
Succedunt ſcelerum facies: concurritur armis;
Sed Cypriæ: terit hæc vires, atque exedit enſes;
Otiaque inuictam ſtringunt ingloria pubem.
Ætheris excipiant armamentaria gentes,
Quas Romana Fides ad palmas educat. armis
Hæc fecunda Domus, ſpolijs Phlegetontis onuſta,
Plena Deo, duce bellantum: naualia, claſſes,
Iuſtitiæ gladios, Ereboque minantia pila,
Fulminaque, & pharetras & ſpicula celat Amoris.
Ergo propago, potens bellis, hæc bellica tandem
Saxa ſinu foueat. ſaxis victricibus aſtra,
Orbe triumphato, cælique capeſſere muros
Diſcat, & in ſuperis ſua figere ſigna theatris.

B. Virgo in filij ſepulchro ſuæ dolore penè ſepulta.

Ex Aſia delicijs addicta S. Domus remouenda.

Mulier fugit in ſolitudinē, quia Draco mittebat ab ore flumen, hoc eſt quia voluptatis pugnabat illicio

Italiæ Nationi belligeræ danda bellica Domus.

Cæte-

Cætera quæ iactas, ſic diluo. Virginis, inquis,
Indagata labore Domus per tela, per enſes,
Per Thracum inſidias, tandemque reperta rependet
Grata voluptates, irritamenta laborum.
Obuia vileſcunt. Quibus obuia? ſcilicet vni
Vndanti populis Piceno. Gallia, Gades,
India, & occulti poſtrema lacinia Mundi
Immenſum ſignabit iter ſudoribus. ingens
Circulus Orbis erit; populorum linea curſus;
Curſibus & votis erit vna Domuncula centrum.

Michaël diluit Gabrielis obiecta. Obiectum primum. Quæ ſunt obuia, & inuẽtu facilia negligimus. Sit ergo longè ab Italia S. Domus.

Rurſus ais: Pietas alitur generoſa labore,
Atque auget ſudore faces. hinc illa vigorem
Amittit vicina; procul ſed fortiùs ardet.
Vulcani ſic ira minùs ferit ære propinquo,
Et minùs exultat globus igne volutus. at æquis
Si ſpatijs mors cæca viam molitur; in artus
Irrumpit globulis armata, rotatque ruinas.
Ardores Amor è facibus prope torquet inertes
Mollior ad pugnam. Stimulat diſtantia vires.
Quadrupedes via longa probat. Longingua ſit Ædes
Virginis; expediet vario luctamine greſſus:
Eminus immittet ſuperas cum robore flammas.

Reſponſum. Obiectum 2. Cum labore quæſita cum voluptate poſſidemus. Sit ergo longè ab Italia S. D. ſic erit carior inuenta. Sclopus æneꝰ ſi è propinquo ferit, minùs ferit.

Hæc in te Gabriel contorta retorqueo tela.
Ignis, qui ſurgit diuinæ Matris ab Ara,
Non bene confertur flammæ, quæ mortis ab aluo
Naſcitur in Mundi ſtrages, priùs ære ſepulta;
Vrbibus & populis mox ipſa futura ſepulchrum.
Non calet occultis diuina Domuncula flammis:
Æſtuat illa palam; ceu fluctibus æquora feruent.
At claro latè pelago magè fluctuat ignis,
Qui vicina rapit: longè porrectus, & vndis
Obuius & ſaxis, vires amittit eundo.

Reſponſum.

Ignis non ſclopo clausꝰ, ſed latè diffuſus vicina vorat auidiùs.

S.Domus mare ignis aperti.

Flumina ceu pelagus, trahet omnia Virginis Ædes,
Transferet atque ſuis in ſe Regna omnia flammis.
Proximiora tamen dum corripit, altiùs igne
Omnes vulgabit flammam famamque per oras.

Gratia naturam perficit, cui ſe conformat.

Hæc Magdalenæ profanũ amorem faciliùs vertit in ſacrum.

Hinc Itali ardorẽ amoris, & honoris, quem hauſere à natura meliores in æſt° conuertent à S.Domo deductos.

Adde, quòd hæc Italis natura, hoc omnibus vnũ
Ingenium, carpi flammis ab Amore vibratis,
Et ſentire animo generoſi calcar Honoris.
Perficiet Charis ingenium, melioraque ſubdet
Prono vltrò in flammas Italorum incendia cordi,
Et ſtimulos ab Honore nouos Virtutis auitæ.
Ducet ab Æde faces geminas ſtimuloſq; propinquâ,
Quà regnauit Amor, Reginaque Gloria ſedit.
Nimirum quò ducit Amor, Natura mouetur.
Ardet amore malo Natura? ardebit honeſto.
Impete ſi dulci trahat ille ad honeſta; ſequetur.
Sementem Natura facit: ſed Gratia mutat;
Fertileque è ſterili frumentum trudit auenâ.
Semina mortis erant, quæ Magdala corde fouebat,
Quæque amor impuro Cocyti fonte rigabat.
Aſt vbi diuinum Charis inflammauit Amorem,
Corde Pudicitiam, vitiato è ſemine, duxit:
Ignibus extinxit caſtis incendia Ditis.
Quæque priùs fuerat transfixa Cupidinis arcu,
Protinus eductis ab hianti vulnere telis,
Numinis ardores, eademque per oſtia, fecit
Quæ veſanus amor, diuini Magdala teli
Lætior excepit vulnus: Virtutis amorem
Corde bibit; malus hauſit amor quo virus Auerni.
Sic ab Honore Itali ſtimulati, & Martis amore,

Chriſtus leo de tribu Iuda. Aeſtas Amor.s a S.Domo.

Virtutum referent è tali ſemine meſſem
Virgineæ ſub Sole Domus, quæ clara Leonis
Sub ſigno feret æſtatem, fecunda calore,

Qui

Qui maturat humi cæleſtia germina campis.
Italiâ flagrante, Orbis num frigeat? Orbis
Illa cor, vnde vigor calet artubus. Ibit in vrbes
Hinc vis & virtus cum ſanguine. ſcilicet vno
Cor & membra rogo venis communibus ardent.
Concipitur ſed corde priùs vis ignea vitæ.
Hoc æſtu viuax è Mundo Mundus abibit:
Virginis, agminibus plenis, ſe fundet in Aulam;
Vlla nec impedient curſum loca viſa, malorum
Turbida diluuio, populataque compita monſtris.
Iactatis Domus hæc populis erit Arca Noënii,
Non Thetis, at flãmę premet æquora: proteret arces,
Armaque calcabit. ſibi littus, carbaſa, portus,
Et Cynoſura, faces, quibus alta feretur, amabit;
Naufragioque beata ſuo, contentaque ſolo
Littore Piceno, terras, ibi fixa, beabit.
 Sæpè, ais, exaret Pietas. E finibus Euri,
Atque freto venient populi Gangetidis vndæ,
Et Scytha ab arctois properabit mitior aſtris.
Mœnibus è patrijs longo ſperata tenebunt
Limina circuitu, læti contingere metam.
Munera multa trahet quadrupes, ceruice ſuperbus,
Quamuis curuatâ ſacro ſub pondere: diſcet
Sub ſeſſore pio gaudens parere lupatis,
Et frenare iras, & feſto plaudere greſſu.
Sed mare donorum, & populi ſiccabitur vnda;
Dum ſubiecta oculis diuina Cubilia luſtrat
Acceſſu facili, fixuque locata perenni.
Maxima natiuis ſic profiua flumina ripis,
Quamuis inſultent ſegeti, ſtimulantibus auris,
Sæpiùs hauſta ſolo, riuis fugientibus arent.
 At non arebit, Gabriel, quæ mœnibus æquor
 P 2 Arcet

Italia Mũdi cor. E corde calor in vrbes, vt in membra.

S Domus Arca Noe in igneo diluuio.

Paulatim erga S. Domum pÿ cultus feruor facilitate aditus deferueſcet.

Reſponſum.

Arcet inexhauſtum ſacra Cellula. Cætera riui,

Pietas non exhauritur, vbi inexhauſtum eſt mare

Atque canaliculi Pietatis, ab Æthere fontes
Templa trahunt: trahit Oceanum, corriuat Olympũ,
Fluminaque & fontes Caſa Numinis Infiniti.
Marmoris irati priùs vnda quieſcet, & ignis
In gelidas coaleſcet aquas, agere aura procellas
Deſinet, & Solis comprendere cornibus aurum
Luna; voluptatis quàm non deſcendat ab aſtris,
Mollia pro ſaxis contorquens gaudia, Torrens.

Qui ſemel vident S. D. iterum videre deſiderant.

Viſa ſemel viſus, iterum exploranda, ciebit,
Suſpendens oculos Domus hæc & corda: tenebit
Spectantum mentes, & dulci lumina raptu,
Non explenda vnquam. Sic potant Æthera Diui;
Spectandique ſitis nullo reſtinguitur hauſtu.

Michaël omiſſis rationib⁹, Dei voluntatem ſibi tantùm notam exponit de S. D. transferenda.

Sed quid ego Italiæ rationibus vrgeo cauſam?
Diluo quid verbis obiecta? Silentia Numen
Vocibus imponit. Sit pro ratione Voluntas,
Regis & imperium noſtri, qui dulcia frena
Inijcit Aligeris; oculatam fronte curulem
Vt tollant humili, qua Chriſti Gloria fertur.
Deſtinat armigeræ ſua bellica Limina genti
Ille diù, noua bella parans. nam prælia Martis
Impia conuellens, in crimina bella mouebit,
In Thraces, Fideique hoſtes, Erebique cateruas.

Angeli ſua ſine inuidia communicãt.

Aligeri ſua dona alijs arcana refundunt,
Nec ſtudijs ardent riualibus. exulat omnis
Ciuibus Æthereis liuor. lux prodiga lucis,
Ardor & ardoris. Sol vndique flectit habenas.
Solis ad exemplum, communicat Aliger hauſtus
Luminis, & ſocios fortunâ accerſit eâdem.
Hac ego lege, reuelauit quæ prælia Numen,
Lumine fatidico deſcripta, & credita menti

Pro-

Profero; vicino facilè vt dare vela labori,
Et libeat mollire viam. Præſentia cerno
Arma, duces, acies, diuerſaque bella; vel vltrò
In proprios immiſſa animos, pugnante Dolore;
Vel, duce Vindictâ, tædis accenſa Furoris.
Vt video, Superi, referam. Iamque ire per auras
Et Lauretanis videor ſuccedere campis,
Bella animare tubis, ſed mitia. cerno ſagittas
Hac ex Arce volare procul bellantis Amoris.

Michaël æſtro diuino raptus more vaticinantium, ac ſi præſens adeſſet, bella à Lauretana Domo gerēda deſcribit.

Hic noua bella mouet: cordis torquentur ab arcu
Tela: fatigantur iucundis ictibus aſtra.
Sunt ictus pia vota: ferunt tibi dulcia, Virgo,
Vulnera. tu gemitu precibuſque ſubacta dolentum,
In tua iura Deum, trahis in tua iura Furorem
Ætheris irati; veniamque petentibus vltrò
Prodiga largiris; Natumque amplexa, reclinas
Gentis ad arbitrium lacrymantis. Lacryma pugnat;
Sunt tuba ſingultus, ſuſpiria claſſica belli;
Lumina ſunt pharetræ; muralis machina cordis
Tunſio, tranquillo luctu mœrentis. in iras
Fertur Amor: furias lacrymis accendit amicas:
Se damnat ſcelerumque acies: ſe commouet in ſe;
Armatuſque dolore furit, facibuſque decoris
Congreditur ſecum, MetanϾæ ſigna ſequutus.
Belliferratos hæc tantùm in prælia poſtes
Virginis abrumpit. Timido cæleſtia greſſu
Tecta quis attingens non exhorrebit! & igne
Afflatus ſupero, tali ſua crimina voce
Non feriet reus & iudex! Diſcedite, culpæ,
Vulnera, carnifices, tormenta & funera. nubes
En propiore Deo, quas cogitis, eliquo. vici.
Victa ſinu glacies diſſoluitur. exuo Ditis

Primùm bellum in ſcelera.
In hac odiū experiuntur, quicumque S. Dom. limen tangunt.

Vox ſua in S. Domo ſcelera deteſtantium.

Digitized by Google

Caſtra, meo munita animo . dat Virgo vigorem
Æde ſuâ : iacit illa faces: alit illa Dolorem .
Amphitheatra Doloris erunt hæc mœnia. Monſtra ,
Omnia monſtra Erebi, Dolor, hìc diſcerpe, leones
Irarum, Veneriſque apros , odijque dracones .
Hac gladiator eris caueâ . Domus hoſpita Vitæ
Sit ſcelerum tumulus ; iuſti ſit arena Furoris.

Secundũ bellum in ſceleratos diuina Duce Vindicta.

Specto iterũ noua bella. viden! Vindicta phalãges
Ductitat in campum; gremioque profundit ab vno
Gaudia, terrorem, ſpem, vulnera, fata, ſalutem.

Quidam, filij extincti nutricem in S. Cella iugulaturus, in diuerſa mutatur. ex Turſ. l.5. c.8.

Conſcia venturi mens emicat aſpice . Curſu
Præcipiti quis clauſtra ſubit pacata ? Veneno
Ora tument: rabies ſceleratum pectus acerbat:
Scintillant oculi , gremio dum Tartara claudit.
Terribilem mucrone parẽs dextram armat, & inſtat ,
Inſequiturque volans, ferroque calente, perempti
Nutricem pueri, quem cunis ponè iacentem
Preſſerat, heu mortis luctuſque ignara parentum !
Illa fugit ſtimulante metu pernicior Euro ;
Ingrediturque Domum, Pacis cæleſte Tribunal ,
Et campum, Pietas vbi prælia ſontibus infert.

Ecce ruit genitor , furijs correptus iniquis :
Pes pede iam premitur, ceruicique imminet enſis.
Impie quò raperis ? temeratos retrahe greſſus .
Non furor hoc Templo flammis furialibus ardet ;
Sed Pietas, ſed caſta Fides, Clementia, Candor
Collucent oleo dulcedinis . opprime tædas ,
Quas feralis alit piceâ fuligine Auernus .

Barbarus vrget iter: niueo ſacrata Pudori
Templa impurus adit . Sed protinus abijcit arma
Victus amore. Iram nudato vulnerat enſe ;
Miraturque nouos motus : odia aſpera ponit :

Senſu

Senſu miteſcit placido : ſitis improba languet
Sanguinis; & pluuij reſeratur vena doloris .
Crimina perſequitur lacrymis; teloque ſalubri
Cor fodit & lacerat, dictiſque exaggerat iras .
Viciſti bellator Amor: iam tendere palmas,
Me tellus , meque aſtra vident . perijſſe puellum
Immeritâ modò morte iuuat ; ſi vita parentis
Atque ſalus oritur nati de cæde ſuperſtes.
Viciſti , & vici . terris Victoria Templum
Hìc habet; hìc ſuſpendo enſes anathemata Pacis .
Quod ſtrinxi ferrum, diadema & palma triumphi eſt.

Mutati ſubitò parentis voces.

Quis furor, Italiæ pollutus ſanguine , miles !
O ferus , indomitus , turpique cupidine cæcus ,
Quò ruis ! Hoſpitium pueri violare Tonantis
Prædæ ſuadet amor , lethaliſque ambitus auri .
Veſtibulum ſed Cura tenet, Lethumque Timorque,
Audaceſque ſacrâ ſummotos arcet ab Arce .
Auri dira fames quò non mortalia raptas
Pectora ! Chriſtiadæ venalia dona ruinis
Vt rapiant , duce perfidiâ , frenoque repulſo
Relligionis, amant euertere iura Pudoris ,
Et Pacis turbare Domum, atque abducere prædas.

S .Domus à Chriſtianorũ Italiæ militũ auaritia cæleſti præſidio defenditur. ex Turſ l.2. c.20

Sed prohibet generoſa nefas Aſtræa: Pauorem
Euocat in bellum, cuſtodem Liminis : Iram
Igne ſuo iubet excubias agitare ; luporum
E ſiluis vlulare acies , ſigna horrida belli .
Inde feræ, velut è caſtris, in prælia portant
Ferales furias , rabidoſque in vulnera dentes .
Protinus inuadunt trepidantes : vngue morantur:
Ore tenent, morſuque terunt, & dente cruentant,
Dilaniantque artus , & poto ſanguine turgent .
Aſt alios tacitis ſe credere rupibus auſos

Dei Iuſtitia S. Domus cuſtos.

Grex luporũ è proximo ſaltu in milites erumpit . ex Turſ. vbi ſ.

Digitized by Google

Inde trahunt, tractoſque antris in faucibus abdunt.
Vmbrant multa nemus congeſta cadauera: calcat
Hæc Aſtræa potens gladio; atque in mole cruentâ
Victrix diuini figit vexilla Furoris.

Eos, qui a lupis fugerant, miſſus cælitus terror inuadit. Ibidem.

Quos fuga diripuit morti, mage pallida morte,
Formido ſequitur; frontemque genaſque cadentes
Plurimus aſpergit roſeo pro ſanguine pallor.
Diriguere. lupis peior pauor obſidet artus,
Inſolitoque tremore quatit, greſſumque coërcet.

Sacrilegi excuſſo terrore ad ingenium redeunt.
Boni flagellis corriguntur; reprobi cõcaleſcũt in malis.

Attamen ingenium rediit. formidine pulsâ,
In ſcelus erumpit rurſum Natura. Pruinis
In clauſo ſeruata horto ceu fertilis arbor
Vritur, & frondes viridi ambitione vagantes
Fronte premit pauidâ: ſed adulta in montibus ornus,
Et ſterilis cæli quercus duratur in ira,
Verberibuſque immota ſedens, in fulmina & imbres
Brachia protendit, ramiſque interrita ludit;
Sic ferit audaces ſi Numinis Ira flagellis;
Altiùs in vitiis iactâ radice rigeſcunt,
Inſinuantque animos in Tartara, fronte ſuperbi.
Ad ſonitum flagri ſed pectora larga pudoris
Ore rubent, animoque pauent, ictuque monentur.
Prædones iterum rabies irritat inertes,
Excuſſoque pauore animis calcaria ſubdit
Sacrilegam ad prędã. properant, Tectiſq; propinquãt.

Iterum terror corda percurrit.

Militiæ Superûm ductor præcordia Terror
Occupat ecce nouus: furit horridus: omnia miſcet;
Et morſu impauido palpitantia viſcera rodit.

Nebula de cælo lapſa Tẽpli conſpectũ hoſtibus adimit. Ibid.

Nec ſatis eſt carpi tacito terrore medullas.
Militat armatum nebulâ pro Virgine cælum.
Templi mœſta tholum ſe circumfundit: amictu
Squalidus obſcuro tenebrarum exercitus horret,

Sola-

Solaremque Domum nimbo nigrante tuetur.
Pertimuere necis cæca in caligine noctem,
Et ſub nube faces Barathrumque latere. Per oſſa
Dum pede pennigero ſerpit formido; capeſſunt
Agmina ſæua fugam. Bello quæ præſidet, hoſtes
Iuſtitia inſequitur dictis. Quò tenditis? inquit.
Virginis è Laribus prædam aſportate, quid vltra
Attoniti hæretis? diſperſas cogite turmas.
O viles animæ! iuuat hìc ſi viuere rapto,
Non telluris opes, non gemmea dona, nec aurum,
Sed cælum, Superi, Virtutes, ſidera, Numen
In prædam cedent animorum. hæc omnia veſtram
Exaturare famem poterunt. Quid quæritis vmbras
In ſuperi Solis Lunæque Penatibus? aurum
Quæ negat, ò quales aperit pretioſa fodinas
Numinis alma Domus! Pietas hìc aurea fulget;
Gemmeus atque Pudor gemma eſt, concreta pudicò
Virginis in gremio, Pietas cui concha, marito
Edita rore voluptatum, quas educat Æther.
Hæc ſi dona placent Superûm, indulgete rapinis.
Non vos terrebunt antris emiſſa luporum
Agmina; at Aligeri venient in fœdera furti.
Omnia conglomerat, furto qui diues in vno,
Vnum prædatur, quod continet omnia, Numen.
Prædonem probat ipſe Deus. Deſiſtite victi;
Aut hoc prædones portu ſpolia ampla referte;
Sed quæ raptores decorent felicibus auſis.
 Audiuere. fugam reuocant, & vota rapinæ
Indecoreſque faces oculorum in flumine mergunt.
Nobiliora gerunt certamina; iniqua laceſſunt
Pectora: flagitijs exarmant: ſponte doloris
Frena ſalutiferi ſubeunt. placet ima ferire

Dei Iuſtitia victos increpat.

Vertitur in religionē audacia, & ad placandum Deum, & Deiparam Lauretum pergunt. Ibid.

Abſque

Abſque ictu ſibi corda : placet ſine vulnere vulnus
In largos rumpi fletus. auertere prædas
Auſi, vectigal lacrymarum nobile pendunt;
Iuſtitiæque tributa ferunt, & mœnibus altis
Impia ſuſpendunt victis cum cordibus arma.
Cæcus amor prædæ nebulâ ſuperatus & vmbrâ eſt:
Et Fidei obſcuram mediâ in caligine lucem
Inueniens, fit amor cæli, fit cura ſalutis,
Quam prædatores prædantur; & Ætheris arcem,
Virginis è muris animo ſaliente per aſtra,
Fortiter arripiunt, dum ſaxis oſcula figunt.
Hæc ſunt virgineæ Gabriel certamina Sedis.
Bellica ſaxa geret. ſolus lapis agminis inſtar,
Si rapietur, erit: lapidabit corda: dolores
Vt cos indomitos acuet: fabricabit in vndis
Naufragia, in terris morbos, diſcrimina, mortes.
Eriget immiti curarum pondere molem,
Imponetque animis pauidæ formidinis Ætnam;
Donec murorum firmâ è compage ſolutus,
Non citharâ Odryſia cantuque vocatus, at irâ
Numinis vltrici, redeat bellator ad Ædes,
Affixuſque, ſuâ figat lapis Arce trophæa
Dux, miles, bellum, belli ſibi machina, victor.
Stabit in Italiæ victrix pugnacibus aruis
Ergo Domus, quæ iuſta fouet Pace auſpice bella.
Hac ſpeculâ generoſa Fides ſpeculabitur hoſtes:
Hac & in Odryſios Venetorum inuicta ciebit
Pectora. Magnanimi circum fremere ora Leonis,
Et terrere feras, pelagoque furentia monſtra
Turcarum auditis? io vicimus, ecce ruinam
In Turcas immota trahit Domus vna: rebellem
Hinc Sol in Lunam radijs armatur & vmbris.

Lapides ipſi S. Domus belligeri ſunt, & ſi rapiuntur, bella mouent raptoribus inteſtina. ex Turſell. l. 4. l. 5. c. 9.

Durat bellū; donec referantur. Ibid.

Anno 1649. Veneti ad ſolemne ſacrum in Laur. ſacello ſingulis menſibus celebrandum annuū pro voto pecuniæ cenſum aſſignāt, & imminentē à Turcis ſtragem auertūt. Hiſtoricè.

Lau-

Lauretana onerant Veneti Sacraria donis:
Dant lychnis ardere faces. Hinc fulminat hoſtes,
Tot flammis armata Domus: feruefcit in vndis
Martius hinc medijs ardor; reſonoque fragore
Fertur in inuiſas contorta phalarica naues.
Annua vota viri, ſolemniaque ordine Sacra
Perſoluunt: latebras ſoluit telluris opacæ
Sede ſuâ Virgo: Byzanti protinus Vrbem,
Sedibus auulſam clauſi quatit impete venti.
Arcus, templa, arces proprio ſub pondere nutant:
Mœnia fracta tremunt; fit & ipſa cuniculus ardens
Frigida formido, dum quaſſat marmora: pendent
Ardua, concuſſis radicibus eruta tecta.
Luctus vbique horret: dum ſtagnant lumina fletu,
Flumina ſiccantur: fontes, trepidantibus vndis,
Incœptos reuocant curſus, atque arida fraudant
Labra: monet ciues iam deſperare ſalutem
Terribili ſonitu tellus; ſubitiſque dehiſcens
Motibus, inuiſum pandit laxata ſepulchrum.
Turcæ lymphati volitant, & funera quærunt,
Funera dum fugiunt: clamoribus aſtra laceſſunt:
Bellum execrantur: ſtimulant in verba timores.
Virgo inimica, ſuâ nos Sede flagellat, & vrget
Mortis in exitium. morimur: iam buſta parantur,
Diffractâ tellure: viros domat vna Puella
Innumeros: hæc tela iacit, terramque reuellit.
Dum calet hæc irâ, fluuij cum fontibus arent;
Ingenteſque domos, quibus omnia ſecula parcunt,
Secula quæ vincit, tandem Domus vnica perdit.
Virgo, relinque minas: nos arma relinquimus omnes.
Dum latus exuimus pharetrâ, nos exue luctu.
Vmbra velut Solem, ſequitur formido flagellum
Nu-

Dum votum nuncupatur Conſtantinopolis terræmotu concutitur. hiſt.

Siccātur fontes.

Turcarum timor prodit in voces.

Numinis: at flagrum ſi ponitur, vmbra recedit,
Seque ſcelus reuocat. Varium & mutabile ſemper
Turcarum ſidus Luna eſt: modò ſanguine creſcit,
Sanguineumque orbem populorum cædibus implet;
Et modò decreſcit, perfracto pallida cornu.

Poſt cæli flagilla Turcæ redeunt in bellum.

Sub pede Virgineo quamuis compreſſa, procellas
Illa mouet rurſus. Veneti, vos bella mouete,
Virgo cum Superis, cui militat æquor & Æther,
Sic iubet. inſtabili firmabitur æquore veſtræ
Gloria Virtutis. premitis quot claſſibus vndas,
Firma tot in ſuperis veſtigia figitis aſtris.
Viribus afflicti, mentem ne ponite. naues
Ingentes probat Oceanus; probat impetus Auſtri,
Et bacchata ſalis tempeſtas horrida campis.
Sæpè dies in nube latet: ſi frangitur æther
Fulminibus; fracto lux emicat æthere maior.
Caſibus exurgunt; & magno magna parantur
Imperia. Occiduo Sol æquore merſus, Ibero
Naufragio felix, & mercibus auctus, Olympi
Stellatâ mercator opes exponit arenâ.
Chriſtiadum Fortuna, Deus rotat omnia; cæco
Non tamen ore rotat. Diuini Gloria Regis
Sulcat humum currente rotâ, cui lumina mille,
Sidera mille viam mediâ in caligine pandunt.
Multos ille premit, quos tollere in alta laborat
Culmina. Sic depreſſa ſolo pila verberat auras
Altiùs; & fontes vibrat in ſublime ruina.
Magnanimi, durate. Iouem quà fabula mendax
Vagitu reſonare docet, vos enſe tonate
Fulminis in morem. Iouis hæc cunabula, adultæ
Sint veſtræ ſolium Virtutis, campus honorum.
Ergo rumpe moras, Sedes peregrina; palæſtram

Ad Venetos adhortatio.

Deus mala noſtra ſuæ gloriæ ducit in finem.

Currus diuinæ gloriæ oculatus in rotis.

Ita-

Italiam pete bellorum. Iam pullulat aruis
Heſperijs tibi laurus: amat iam Laurea nomen,
Auguſtumque tibi victrix imponere ſertum.
Roma coronali quæ tempora fulgure cingit,
Telaque pro ſceptro, gerit & pro caſſide flammas,
Parietibus vicina tuis ſecuraque montes
Deſpicit, Imperij ſedes, diademaque Regni,
Quo redimita caput, turritaque ſuſtinet Orbem.
Vnâ pro ſeptem munit ſe montibus Æde:
Vnâ terribili ſe Virginis Arce coronat,
Qua nubes aperit, qua Numinis arietat arces;
Vt dulci rapiat cæleſtia Regna rapinâ.

S. Domus Romæ caſtellũ, & arx.

Iuli, quò properas? certamina Martis adire;
Nubila quo ſuperas, caput obiectare procellis
Dedecet, & chalybis radijs rutilare malignis
Luce coronatum innocuâ. Tu maximus ille es,
Pontificumque, Ducumque decus, blandita Secundũ
Cui nomen Fortuna dedit, Sapientia laudem,
Relligio claues, Aſtræa ferocior enſes,
Pax ſolium, ſceptrum Pietas, Bellonaque campum.
Cede armis: moderare animas. En miſſile plumbum
Intonat ære cauo: fumo Mors abdita, flammis
Incita, præcipitat diſploſi fulminis alis,
Preſſaque glande graui, leuior fit pondere. Ferrum,
Vinculaque exoluunt in noſtra pericula mortem.
Te laxata petit tormento flamma; globoque
Sterneris paruo, qui magnos Ætheris orbes,
Tellurisque globum regalibus erigis vlnis.
Roma pauet, Capitique ſuo timet anxia; pallet:
Proh ſcelus, exclamat, flammis extinguere terræ
Lumen & Auſoniæ caligine mergere Solem!
Flebile mortis opus, lethaliaque ora metalli

Iulius II. ad ſedandos Bẽtiuolorum motus Bononiam pergit. Huius laus.

Globus ferreꝰ inſtar humani capitis in Pontificis tentorium excutitur è tormento.

Romæ pauor, & vox.

Clau-

Digitized by Google

Claudite; vel diro me Romam abſumite letho.
Nomine ſplendet amor ; vita impendatur amori
Principis : euulſo nil viuere vertice prodeſt .
Mundi deuoueo Capiti caput: exeat ictum
Vt necis ille, ſuo ſit naufraga ſanguine Roma .

Iulius Laur. Virginem implorat, & periculum euadit. Turſ. l. 2. c. 12.

Iulius admonitus lethi ſtridore volantis,
Fulgureque inuiſæ lucis, micat igneus ore,
Cordeque diſplodit Mariæ inſuperabile nomen .
Lauretana, tonat, Virgo, fera fulmina pelle.
Expulit . impauidâ manſueſcunt fulmina lauro ,

Laurus fulmine non tãgitur.

Dum Iouis hæc folijs clypeata , ſuperbit in ignes.
Vt primùm vocis ſenſit pila miſſilis ictum ,
Te , Iuli , venerata, ſacris fert oſcula plantis ;
Vertitur inque globum ſimulacrum nobile Mundi ,
Quem pede, Pontificis premit inuiolata Poteſtas.
Horrendum attentaſſe ſcelus, Regumque Parenti
Erubuit fabricaſſe dolos rex Ignis;& atrâ
Sordidus in nebula luctum teſtatur : adorat :
Mox micat è nebula : tentoria luce coronat :
Murmurat & plaudit: lambit te ſupplice flammâ ,

Globum in Laureti ſacello ſuſpendi iubet. Ibid.

Orbis Atlas , Iuli . Fatalia pondera tollis:
Virginis è muris pendent affixa : globumque
Fortunæ credas . Fortuna ſecunda, Virago
Vno Pontificem conuoluit, & extulit orbe .
Roma iterum, columen terrarum, culmine nutat .

Capitur fraude, doloq; hoſtium Roma.

Cernis vt inſultet, laxatis , victor , habenis
Cæſaris è caſtris exercitus ? Vnda reuulſis
Vt fluit aggeribus, ſparſoque allabitur æſtu
Per ſata, per campos, per inhoſpita regna carinis ;
Haud aliter ſcelerata phalanx vexilla Furoris ,
Non Caroli mandata ſequens, graſſatur in Vrbem,
Improba, crudelis . Fulgent inimica per auras
Si-

Digitized by Google

Signa: fremunt acies : caligine, ſanguine, flammâ
Omnia complentur : prædæ, calidique cruoris
In facinus certare ſitis iubet: imperat ira ;
Iraque præcipites rapit in certamina turmas.
Heu quid agat Clemens? qui ſacro regnat in oſtro;
Et triplici frontem diademate cinctus, habenas
Vrbis & Orbis habet, cunctis par omnibus vnus
Imperijs, cæloque potens, Ereboque timendus.
Inferat arma armis? ciues timor obſidet : hoſtes
Vis, numerus, rabies, audacia, præda, libido,
Conſcia mens ſcelerum, victoria cædibus audax,
Ambitioſa rapinarum, fera Tartara, Ditis
Agmina tænarei, ſpes, deſperatio, legum
Neſcia militiæ, ſed milite fortior omni,
Armant ſacrilegas in Romæ viſcera dextras.
 Fugit Romani cuſtos Clementia Mundi, *Feritatis deſcriptio.*
Et refugis radijs in noctem ſecula fudit
Sub Clemente. Potens, dominandique incita tædis
Sceptra gerit Feritas, quæ ſanguinis horret in oſtro,
Quæque cadaueribus, ſolio ceu fulta, ſuperbit.
Quæ ferrugineos pro ſceptris erigit enſes,
Vincula pro ſertis, pro gemmis vulnera, cædes
Pro populo crudelis amat, luctuque triumphat,
Atque ſui, cumulat lacrymas, æraria Regni.
Nil Vaticani proſunt ſacra fulmina cæli.
Hæc non miſſa volant rubris crepitantia flammis ; *Anathemata ab impijs non timentur. Huius effecta.*
Sanguine ſed Chriſti flagrant, tacitoque fragore
Percutiunt animos ; imiſque infuſa medullis
Æternam inſinuant peſtem, ſeque ignea iungunt
Ignibus æternis. ſed dum ſua fulgura celant,
Corpora nec tangunt, nec terrent lumina viſu,
Non timet improbitas, animos qui ſauciat, ictum.
Hos

Clemens VII capta à Cæſarianis Roma, in arcē molis Adrianæ ſe recipit. Lauretanæ Virginis in ea obſeſſus implorat auxilium.

Hos inter belli motus, mentiſque procellas
Auſonij pater Imperij iactatus, in arcem,
Victrici ſtimulante fugâ, contendit: & arma,
Arma iacit, ſed corde iacit: ſunt vota ſagittæ.
O Virgo, exclamat, volucres quæ molibus alas
Aptaſti, tua ſaxa docens fugere arua cruore
Irrorata Dei, noſtri fundamina Regni
Italiæ poſitura ſinu; tua Regna tuere.
Aſpice bacchantes per limina noſtra phalanges
Et procurrentes bellorum in gurgite mortes,
Armaque, corporaque, & cumulatas cæde rapinas.
Non gemitus morientum aures, non pectora tangūt
Funera? Nulla meos defendunt mœnia ciues:
Tu defende, Vrbis generoſa Puerpera murus.
Contra ſtare vides hoſtes: aſt omnibus vna es
Maior, & vna omnes, palantibus obuia, perdes.
Annue. Si lætis volitans Victoria pennis
Auſoniæ luſtrabit agros; tua Limina ſupplex
Ingreſſus, ſpolia ampla tholo defixa, cor ipſum
E muris ſublime tuis pendere iubebo.

Auditur Pontifex, & periculum vitat. Turſ. l. 2. c. 22

Ad Lauretanas Aedes diuertit: dona ſoluit, & vota. Idem.

Omnipotentis amor, vis & diuina Virago
Audijt. Auſonijs tempeſtas ferrea campis
Detonuit: Virgo nam lumine Solis amicta,
Et ſtellis galeata caput, lunâque curuli
Belligerans, nigras bellorum diſpulit vmbras.
Vota ſoluturus Cunabula Virginis intrat:
Imperio magnus, Virtute ſed altior aras
Muneribus cumulat, ſeſeque ante omnia donat.
Occurrūt animo noua bella. Hinc diſcite pugnas,
Quas geret armatæ Domus hæc fortiſſima Pacis,
Itala quas diſcat tellus, atque horreat hoſtis.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM.

Michaël nauale apud Echinadas bellum narrat, quod ſub Pio V. Pont. à Chriſtianis *Principibus fœderatis, ope Lauretanæ Virginis, agendum erat.*

IMpia regna Pius debellaturus, ad arma
Terrarum Dominos, Procereſq; impellit Olympi.
Iam Lunæ Mahometis amat ſe opponere tellus,
Exarmare arcus, contundere cornua, lumen
Condere, Tænareis Furiarum ex ignibus ardens.
Adriaci Regina maris iubet ire per vndas,
Facturas vmbram, diræque ſilentia mortis
Montibus euulſas ſiluas, pelagoque natantes
Hoſtis in exitium. complectitur æquora magnis
Nauibus, atque pios in fluctibus excitat æſtus.
Tu quoque perpetuis Hiſpania fœta triumphis,
Concipis inuictos in prælia Numinis auſus.
Marmore ab occiduo rorantia littora naues
Protinus immittunt. ruere Acroceraunia credas,
Atque Alpes volitare ſalo. Circumtonat vnda
Remigio lacerante latus, ventoque gemente,
Et gemitu immixto ſtridoribus antennarum.
Emicat Hiſpanus, ſuperi cui gloria Regis,
Et Fidei tutela caput pro caſſide vallat;
Loricatus Honor cui pectus obarmat honeſtum;
Relligio in bellum cui Marte potentior haſtam
Suggerit, & melior Pietas Bellona flagellum

Bellum nauale Pij V. Lauretanæ Virginis ope inceptum, & feliciter abſolutum anno 1571.
Chriſtianæ claſſis apparatus.
Cum Pontifice ineunt fœdus Veneti, Hiſpani, Luſitani.

Q   Præ-

Præbet, vt in iuſtas ſe verbere ſuſcitet iras.
Luſitani noui Orbis inuentores. Luſiadum genitrix, domitrix animoſa Profundi,
Orbibus vna nouis terrarum grandior, & par
Eodem tempore in India exercitus alebant. Orbibus æthereis, non remis acta, ſed alis,
Atque auras afflante Deo, præteruolat æquor,
Oceanoque inuecta, Indos dum Marte fatigat,
Ne premat Italiam, crudelem diſtinet hoſtem.
Sequana quos pulſat, Rhodanus quos alluit, amne
Quos rigat Euphrates, quos turgidus ambit Araxes
Conueniunt populi, ſtimulos quibus ira decoros
Cordibus infigit, ſacroſque exuſcitat ignes.
M. Antonius Colũna exercitus Pontificij ductor. Eius laudes. Quantus, diuinæ iuſtiſſima cura Parentis,
Antoni, properas, Latiæ Dux claſſis & ardor?
Firma columna tibi nomen, conſtantia robur,
Perniceſque dedit, tibi fama pediſſequa pennas,
Dum ſequitur tua facta. Acies per inhoſpita ducis,
Exemploque præis. Sic olim tramite lucis
Iſacidum ſignabat iter, tenebraſque fugabat
Ardua ſidereas ignita columna per oras,
Innumeris grauida oſtentis, vnoque procellas,
Noctes atque dies, cælumque & mille recluſo
Tartara parturiens vtero, vitæque curulis,
Atque caſtaſta necis. Lunam Mahometis inumbras;
In huius viri triumpho antiqua Romæ triumphorum pompa reuixit. M. Mambrinus Roſeus 3. par. l. 14. Chriſtiadis flammas ſed bellatoris Amoris
Cum radijs iacis, Antoni. Iam bellica corde
Tempeſtas concepta tuo ruet omnis in hoſtis
Exonerata caput. non defectura ſed inde
Lux tibi prorumpet. Siccas Roma inclyta lauros
Atque interruptos animabit rurſus honores
Rore tuæ frontis, belli ſudantis in æſtu.
Imponet tibi ſerta. iubis per colla ſolutis,
Ibit equus, lætumque gemet ſub pondere currus

In-

Inter feſtiuæ liquidiſſima carmina pubis.
Pompa triumphorum, per te rediuiua, Latinis
Montibus exurget, ceu vilibus excita buſtis;
Irâ dum belli formoſus, adeſa trophæis
Saxa iterum Capitoli oneras, & plauſibus imples.
Mole, Columna, tuæ ſic tu Virtutis inhæres
Thracibus oppreſſis, Sanſone potentior, hoſtes
Qui ſuper ipſe columnarum ſub pondere preſſit.
Nam te tollet onus, Turcâ indignante ſepulchrum.

Interea dum bella vocant, vocat inclyta coniux
In ſua vota Deum. pro coniuge dimicat: arma
Fert Pietas: oculis Laureti Templa, geniſque
Complexuque fouet. Vir in æquore fertur: at illa
Tota eſt in Mariæ Felix felicibus vndis;
Tota ſuis natat in lacrymis; nocteſque dieſque
Sedula, parietibus ſequitur defixa, maritum.
Hoc Vrſinorum decus eſt: manet inſita fibris
Relligio: neſcit ſi fœmina tela rotare;
Vota preceſque rotat tranquillo cordis ab arcu.
Bella Viri, ſed iuſta gerunt: Sapientia mentes
Pacat, & extimulat Virtus, & Gloria dextras.
Nec calamos, nec tela mouent, niſi pectora Numen
Impulſu moueat placido, mortemque, ſalutemque
Edoceat tractare manu, & præſumere bellum
Iuſtitiâ, Martiſque ſolo ſerere otia pacis.

Felix Vrſina coniux Lauretum accurrit, & dies nocteſque in ſacra Cella pernoctans, Virginem viro propitiat. Turſ l.4.c.28 Vrſinorum laus.

Has inter populorum acies, claſſeſque, Duceſque,
Imperio Princeps, miti quo fulgure frontis
Effulges, Caroli ſoboles generoſa, Ioannes?
Auſtriadum Mauors, Genitorem pectore præfers,
Nec Virtute, nec ore minor. ſic ſemine lucis
Sidera progenerat Titan; ſic afflat honores;
Igne fouet: largitur opes: inſpirat amores,

Ioannes Auſtriacus Caroli V. filius Chriſtianorũ claſſis Imperator.

Et radiorum armis nocturnas armat in vmbras.
Bellum Virginis auſpicijs aggreſſus eſt. Chriſtiadum Ductor, magnâ ſub Virgine Miles
In ſertum petis aſtra; Deum in diadema triumphi;
In plauſum, Fidei laudem; in ſtipendia cælum;
Purpuream in veſtem, diuinæ ſyrmata Matris,
Quæ tegat è bello reducem, quæ colligat vlnis,
Quæque triumphalem ſua brachia curuet in arcum;
Grandiaque auguſto capitolia pectore condat.
Lacrymas Angeli, & vota mortalium ad Lauret. Virginem alis ferunt. Hac ſpe dona vorans, præmittis vota; nec auras
Illa ſecant diſperſa: volant ſed certa flabello,
Quod formant Superi, motantque volucribus alis.
Ne vani gemitus; ne ſpes ſit vana precantum,
Hæc illis nam cura. volant, reuolantque frequentes,
Votaque cum lacrymis, ceu roſcida munera, pennis
Vt legere, ferunt: Laureti littora quærunt,
Et Mariæ pretioſa mari ſua dona refundunt.
Protinus in niueas concreſcit lacryma gemmas,
Precantium lacrymæ magnæ Matris ornatus. Candida concha precum, labro quas claudit amico;
Donec in ornatum, mundumque recluſa, coronam
Intexat tibi, Virgo, ſuis argentea gemmis,
Cuius erat quondam Deus æquore margaritum.
Poſtquam Laureti compleuit Limina votis;
Claſſibus impleuit pelagum: dioque Ioannes
Ioannis Auſtriaci ad milites concio. Percitus igne, ſuas animauit ad arma cohortes.
Bella manent, ſocij, felicia bella, cupido
Quæ non cæca lucri; Virtus oculata ſed vrget.
Non ſerit hæc turpi ſtillantes ſanguine dentes,
Cadmei ſegetes colubri, quas mortis in aruis
Demetit ambitio, maturas igne furoris.
Ipſa vel in meſſem fecundat marmora Virtus,
In Erythreo mari ſiluæ naſcuntur. Quam coquit igne pio, genialibus excitat auris.
Sic in Erythreo floreſcunt æquore ſiluæ,

Et palmas oleaſque ſinu fida educat vnda.
Bella Dei bellanda manent: non tela Cyclopum,
Etnæis fabricata antris, tractabimus: Æther
Suggerit accenſas aſtris, & Sole ſagittas.
Qui cælo pugnat, cælo defenditur. ipſa
Præuenit incœptum Spes, & Victoria bellum.
Vicimus ante hoſtes, quàm vidimus. alea iacta eſt.
Militat Omnipotens, belli ſors, ductor, & auctor,
Mens, & conſilium, vtque acies metuenda Virago
Militat. his ducibus ſpem deſperatio lactat:
Exhauſtæ reparantur opes: dant vulnera robur;
Et parit ingentem belli iactura triumphum.
Certa ſalus bello; ſi bella, ſalutis in hoſtes
Aggredimur. tantùm pax eſt, non quærere pacem.
Chriſtiadum ratibus, quæ ſternitur vnda, fauebit.
Vocali malè fida Euro iam ſtridet in hoſtem,
Fidaque ſe Fidei Tutorum deuouet armis.
Hæc vaga vorticibus, Thracem complexa Draconẽ,
Dum rotat implicitam per mille volumina caudam,
Obruet; exceptumque voragine hiante, ſub vmbras
Tranſmittet Stygias: Cocyti flumina tabo,
Et ſpumâ, & fœdis augebit ſanguinis vndis.
Bella Dei bellanda manent. hoc auſpice, fato
Cedere, & effuſo maculare in ſanguine pectus,
Eſt immortalis ſibi pingere ſyrma triumphi.
In palmam gladius vertetur: in aſtra migrabunt
Vulnera: in auratos radiabunt vincula torques.
Magnanimas ergo mentes in vtrumque parate:
Siue hoſtem vitâ delere ſuperſtite; ferro
Quærere vel Superûm victrici morte Theatrum.
Proderit immerſos pelago, & labente carinâ,
Ætheris ad ripas emergere; & oſtia velis,

Virgo terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.

Merce animi ſaluâ, ventiſque ſubire ſecundis.
Proderit effuſo pro ſanguine, nectaris vndam
In torrente voluptatum potare; ſolutos
Vulneribus religare ſinus in fluminis hauſtus;
Dum terris vlulans lacerat Diſcordia pallam.
Paulò ante nauale bellū capta fuerat. Fracta fides, & Nicoſiæ vos dedecus ingens,
Arua cadaueribus quæ tabida, & oſſibus albent,
Vltrices acuant Turcarum in funera dextras.
Chriſtiadum clamat vocalis Terra cruore;
Terræ Chriſtianorū ſanguine cruentæ vox. Æſtuat, & poſcit centeno vulnere pœnas.
Ite: rebellantes centeno vulnere turmas
Figite. petuadens in viſcera noſtra, caminos
Pro pice ſuccendat Stygios cruor impius: ite:
Peſte, fame, & gladio malè parta repoſcite Regna.
Sic iubet Omnipotens, cui pace, cohortibus, armis
Robore, conſilijs, & pectore ſeruit Iberus.
Hæc ait. Obnixi gemuere in marmore remi:
Remigio penetrantur aquæ, ſed ſidera votis:
Vela tument ventis: ſpirabilis aura Tonantis
Inuocatum à militibus Mariæ nomen. Ingentes auſus, animis illapſa, ſecundat.
Implorant Nautæ Mariam: mare nomen adorat,
Et ſpumâ candente ſalit: plaudentia nomen
Littora congeminant: venti, modulantibus alis,
Hoc per inane ferunt. ferit hoſtes vocis imago:
Thracia Luna vmbris hac magni nominis vmbrâ
Iam tegitur; iam nube latet: Phlegethonte, Megæra,
Diſrupto properat: rabie, tædâque timentem
Suſcitat, & lucis reparat diſpendia flammis.
Stant in conſpectu Claſſes: tremit Orcus; & Æther
Plaudit: venturam timuerunt Tartara cædem.
Dux Turcarum Halus. Iam certamen, Halce, voras, iaculiſque minaris
Vltima Chriſtiadum diſcrimina: dextra ſagittas,
Oſa-

Os acuit morſus iratum, odia aſpera pectus.
Nunc ſedanda cruore ſitis; nunc pondere toto
Deturbanda, inquit, Latij molimina Regni.
Vna dies Romæ, Mundi, Cælique, Deique
Afferet Imperium; ſi Thracia Luna reuellet,
Qui Vaticanâ Solem ſe iactat in aula;
Plenaque diuitijs,& complens cornua Regnis,
Orbe rotata ſuo, toto dominabitur Orbe.
Mars eſt in manibus, virtus, & gloria: vires
Nunc adhibete pares ſpolijs, quæ poſcitis: hìc eſt
Omne, quod in cunctas bellum diſpergitur oras.
Hìc coniuratis Europa ſuperbit Iberis:
Chriſtiadum properat, Veneto ſociata Leoni,
Roma caput. nudâ ſine nomine truncus arenâ,
Audax quæ Regum, pedibus terit ora, iacebit;
Atque cruenta gradus, proiecto corpore, Regi
Odryſio ſternet; ſolio dum illatus auito,
Terras, aſtra, Deum ſceptro moderabitur vno.
Viribus vtamur, Cypri quas fecimus aruis.
Hauſimus inuiſum calido mucrone cruorem:
Dira leuata ſitis; ſed non exempta: voratus
Nam ſemel,haud vnquã poterit mãſueſcere ſanguis.
Ergo micate animis, & ferro. Teſſera mortis
Crux inimica, leues quam ventilat hoſtis in auras,
Nunciat exitium miſeris, mortemque pudendam.
Emorientur. amant pelagi iam monſtra nefandos
Dilaniare artus,& apertas lambere venas.
Hæc dum dicta dabat Fidei deſertor Haleus;
Tu Latij Pater Imperij, bellique propinqui
Nobile præſidium, Pietas cui nomina, mores
Relligio dederat, vires diuina Virago,
Conſilium generoſa Fides, Sapientia mentem,

Eius ad Turcas concio.

Pius V. de bello ſollicitus laudatur.

Digitized by Google

Lacrymis à Deo victoriã depoſcit.

Threycios, Vaticanâ ſtans rupe, Gigantes
Iupiter inſequeris melior, pelagoque gementes
In Naupacteo, lacrymis, velut æquore, mergis.
Roſcida nam facili dum lumina figis Olympo,
Protinus ex oculis lacrymarum fluctuat æquor.
Hoc pelago noua bella geris: fit lacryma Pontus,
Naufragiumque hoſti; fit torta phalarica, fulmen;
Fit, deſiderijs ſpirantibus, acta per vndas
Regia cor Nauis, par multis vna carinis,
Non abſorpta, licet curas abſorbeat omnes.
Anchora nam Fidei, Pietatis & aura ſecundæ,
Virgo ſtella maris, cor ſuſtinet. Eminus vrges

Operoſa Pontificis pietas. Romæ ſedens vbique agitat naualis belli negotia. In Lauretana Cella ardere perpetuò lychnos, & quotidie à Sacerdotibus, & alijs Deiparã iubet orari pro victoria. Turſ. l. 4. 21.

In pia bella Duces: regione remotus, amore
Proximus, hortaris: morituris Æthera pandis:
Te comitem pauidis addis, roburque miniſtras,
Inſinuaſque animis animam, teque inſuper ipſum
Omnibus impendis. Volucri mox mente Penates
Virginis ingrederis; lacrymiſque fluentibus arua
Lauretana rigas, lauros paritura triumphis.
Nec ſatis: ardores lacrymis rorantibus addis.
Virgineas lychnis vigilare ardentibus Ædes
Nocte iubes ſolidoque die; flammaſque minari
Fulminaque Odryſijs. meliorem pectoris ignem
Enutrire Sacerdotes; muroſque tenere
Præcipis amplexu, quo complectuntur Olympum,
Atque ſuo cum Rege trahunt vi vocis in aras.

Precibus iterum moueri ſacrã Cellam iubet, & ſtantem ſupra mare hoſtes opprimere.

Nazareæ quin ſaxa Domus immota rotare,
Non iaculata iubes dextrâ, ſed miſſa per auras
Votis atque animis; Aſiæ lapidare Colubros;
Fumoſa de Sede vmbras diffundere; corde,
Pegma velut belli, precibuſque efferre reuulſam
Rurſus; & impoſitam pelago, importare ruinam
Claſ-

Claſſibus Odryſijs Arcem Omnipotentis Amoris.
Omnia vincit Amor : fit prodigus omnia : neſcit
Stare loco, vigileſque ignes imitatur, in auras
Qui pede purpureo ſaliunt, centrumque repoſcunt.
Dum Pietas ſimul & Feritas calet æquore; in vndis,
Lubrica dum belli pendet Fortuna; verendum
Os Romæ, ſpeciemque dabas, cor Virginis aræ;
Vnus & in multis aderas Pietate Sacerdos
Regnis atque aris, dux, & certaminis auſpex,
Et Pater, & Princeps, armorum nexus, & idem
Dulce ligamen eras animorum, & fœderis ardor.
Sic lucis largus, dum regnat in æthere Titan; *Sol cælum nõ linquit, & omnia perluſtrat*
Sulcat iter dum ſidereâ Regione viator,
Tempora dum verſat ſtabili vertigine, monſtra
Lucida ſtellarum radijs dum nectit amicis;
Profluus in terras exundat luminis imbre:
Regna ſalutiferis complectitur omnia flammis:
Omnia fecundat radijs; circumligat; vrit;
Excitat; & præſens terris fit in omnibus vno
Lumine, fax operum, bellum, & pax aurea Mundi.
Sol Mundi Pius ergo volat cælo arduus; Ædi
Dum Lauretanæ votis inſomnibus hæret.
Corde rapit flammas è Virginis ore, ſuperque
Marmora defertur victor, dum figitur aræ.
Fert ſignum face Chriſtiadis: ad bella miniſtrat *Samuel cum inter populi lacrymas Deo Agnum offerret, Philiſtæi Dei occulta vi fugabantur, ac delebantur. Ex 1. Reg. 7*
Igne ſuo vires: ſua ducit in arma Tonantem:
Scribit & Aligeros, & cælum conuocat omne.
Lampadas armigeras, & flammea tela coruſcat.
Sic inter lacrymas diuino feruidus igne
Ante aram Samuel pugnabat. Victima in hoſtes,
Dum flagrabat, erat muralis machina, fulmen,
Bellicus atque aries. Palantes Myſta phalanges

Non

Non Elephante potens, ſed formidabilis Agno,
Abſque armis exarmauit; mitique cruore
Iras extinxit; fugitiuos vellere preſſit.
Dū Pius arma mouet precibus, dāt claſſica ſignū,
Queis Furias vocat Impietas, atque agmina cogit,
In Naupactum, Barathrum portantia; Pontum,
Cocytumque mari miſcentia. Puppibus altis
Chriſtiadum latè ſubiecta remurmurat vnda,
Horriſonumque ciet læto ſub pondere plauſum.
Hinc etiam crepuere tubæ, vexillaque fauſtis
Reſpondent applauſa Notis. ærata iuuentus
Vocibus Odryſios, armorum luce laceſſit
Aëraque & Solem; ſimul vndas lumine inundat;
Horret, & exultat; ſpumiſque allapſa reiectis
Æſtuat; & remis iraſci in marmora diſcit.

Tres acies Chriſtianorū. Dextrum cornu tenet Io. And. Auria ſub vexillo viridi; ſecūdum Auguſt. Barbarigus ſub croceo; in medio erat Io. Auſtriacus cum cæruleo. Noſtræ triremes 167. Inter alios hi bello interfuere.

Dum ferus accendit clangor pia pectora, Ductor
A Cruce qui nomen, vires, animoſque ſecundos
Ducit, in arma ruit, mediumque irrumpit in æquor.
Pallauicine, rates, & pectora claſſibus infers
Odryſijs, & vociferas: ſulcate carinis
Hoc mare, magnanimi Proceres: his gloria ſulcis
Orta, immortali pubeſcet florida plauſu.
Sanguinis Auſonij decus & Virtutis auitæ,
Mente Capizuchius, dextrâque inſignis, auorum
Geſta tegit ſplendore ſuo: dare ſigna furoris
Iam vellet clangore tubas, & ſanguinis imbres,
In mare ceu fontes, Turcarum currere venis.
Auria præcipitat, quem protegit aurea Virtus
Pro clypeo, intrepidoſque artus Conſtantia durat.
Magnus Alexander, tua lilia vertis in haſtas,
Floridus ingenio; Martis ſed flammeus igne.
Dux micat Vrbini Franciſcus; & Aluarus, arcet

Extremâ qui claſſe acies: Veinerius, hôſti
Qui mora, belligerâ in bellum rapit agmina flãmâ;
Vrſinuſque, Poli qui grandior Vrſa Latini eſt.
Leynius; Peſarus; Bragadinus; mente Querengus
Atque manu Cæſar; par & virtute Canalis;
Dux Ligurum claſſis, quique implet Spinola nomen
Hectoris, approperant: totque inter ſidera Phœbus
Fulgurat Auſtriacus, Syriaſque inſurgit in vmbras.
Agmina concurrunt: telorum grando reſultat
E ſcutis galeiſque. Exis vigilantibus ictum,
Barbarice, oculis: oculis aſt orba, ſagittæ
Mors pennis alata volans, tibi lumen ademit.
Tunc oculata animi ſuccendit Gloria lumen;
Proque oculo fit cæca Fides, ſed clarior aſtris,
Pro qua victus ouas, & certo tramite cælum,
Argus amore, tenes. Quærentibus Æthera, ſemper
Certa via: anfractus iter, & diuortia fallunt
Nulla: ruinoſis tolluntur caſibus; & ſe
Suſtentat quicunque Deo, non deuius errat;
Exhauſtaſque oculi caueas pro lumine complet
Numine, & ex vno circumſpicit omnia viſu,
Quæ videt in Patris, quod continet omnia, Verbo.
Extincto, Seranze, ſubis; ſed vinceris: ardor,
Quem tibi ſubdit Honor, ſi fractus concidat Orbis,
Non perit; emergit; nec toto extinguitur æſtu,
Oceani; fit & vnda oleum, mare lampas honoris
Ignea, & aſtrifero Superûm inuidioſa Theatro.
Dum roſtro tentas inimicam findere claſſem,
Viribus obnixus, vitæque oblitus, ab Angue
Cingeris Odryſio. Circunſtant agmina: tela
Reſpicis impendere humeris, vel fata, Tyranni
Vel iuga victoris. vincis priùs ipſe timorem;

Sagitta eruit oculum Barbarico. poſt triduum lætus obijt. M. Mambrinus Roſeus 3. p. l. 4.

Felix cæcitas per quam videtur Deus.

Seranzus hoſtiū nauibus obſidetur.

Fortiter beli procellam ſuſtinet.

In-

Captiuitati proximus ſocios ad libertatem hortatur.

Inſtabili pelago ſtabilis, fractuſque tenes te.
Aurea Libertas media inter vincula riſit,
Et ferrum, manicaſque graues læto ore momordit.
O ſocij, tentate fugam: iam viximus, inquit.
Sola decora fuga eſt, quæ dedecus effugit; & quæ,
Calcatâ tellure, procelliſque ardua, mortem
Vltrò proſequitur fugientem. ſæpè perire
Non iuuat: ergo ſemel pereamus. lympha ruentes
Excipiat: torti mare compede vorticis artus
Molliùs inuoluet, quam diri vincula Thracis.
Non tamen inter aquas fas eſt occumbere inultos.
Noſtra ruina trahet multos in funera: Mundus
Si coit in fœdus, coëant in fœdera flammæ,
Et ſocientur aquis. nos deuehat ignis in aſtra:
Aſt idem Thraces ſub Tartara deprimat ignis.
Fax animi docet in pelago pugnare fauillis,
Et moriendo necem ſuperare; auertere prædas,
Turcarum dum præda ſumus. moriamur; inertes
Ne moriamur aquis frigentibus. Ite: volentes,
Sulphuris, & nigri ſuccendite pulueris ollas.
Hæc memorans, tædam vi corripit: igne caleſcit
Ille magis rapto: dextram ſuſtollit in auras,
Et iacit. Erumpit latebris Vvlcanus ab imis,
Et mare flammarum, mare protinus obruit: icta
Diſſiliunt tabulata, ruuntque reciproca longè
Tranſtra, viri, galeæ, liquefactaque ſcuta, rudéteſque,
Ardentes gladij, remorum fragmina, fumi
Nubila liuentis, transfixaque ſingultantum
Pectora, corda, manus, truncata cadauera; victi
Victoreſque ſimul flammâ inuoluuntur eâdem.

Ne cadat in hoſtium manus nitrati pulueris ollis admoto igne um naui ſe, ſuoſque vno ſinuoluit incendio M. Mambrinus Roſeus 3.p. l.4.

Gloria Parthenopes, Superis & amabile nomen,
Hac flammâ ſimulante, ratem Maſirillius vrget,

Spargitur etiam in hoſtes flamma.

Con-

Conuertitque vias, ſpatijs aduerſus iniquis:
Se rotat in partes, alternoſque orbibus orbes
Torquet, & exoluit: curſus init, atque recurſus.
Sic volucrum pennata dolos Regina colubro
Collocat ad Solem. ſquamâ rutilante tenebras
Hic parat ad bellum: micat ore; vt fulgetra fulmen
Nunciet: in fraudum plicat artus vincula: mortem
Concipit; vt morſu pariat linguâque triſulcâ.
Aſt illa horrificis oculis ſpeculata tumentes
Peſte ſinus, meditatur iter. mox impete facto
Se labyrintheo verſans in bella volatu,
Per conuexa ruit, pennaſque fatigat eundo.
Iam colubro ſuperimpendet: iam corripit vngue.
Ille, ſagitta necis natiuo armata veneno,
Et furijs animata, iacit ſe in vulnera: vibrat
Sibila: fit clypeus, lethalis buccina, telum,
Atque catena hoſtis, dum dira volumina torquet.
Inſtat auis, roſtroque anguem rimata, reuellit
Dædala fatalis labyrinthi vincula; & iras
Exaturata graues, euiſcerat vnguibus artus.
Non ſecus Odryſijs Maſtrillius inſtat, & enſe
Corda fodit, pelagi, cælum referentis, Orion.
Cæruleos agitat dum fluctus, motibus orbes
Nam mare cæleſtes imitatur, ſidera gemmis:
Monſtraque nec deſunt pelago, nec Nauis Olympo.
Flecte ratem, Maſtrille: nimis te Gloria pennis
In ſublime rapit Solis prope fulgura, Lunam
Dum Syriam inſequeris. Fortunæ frena ſecundæ
Sæpè iuuat medijs reprendere curſibus. huius
Si rota præcipitat, rapido quem fixeris axi,
Clauus in auguſti ſceptrum migrabit honoris.
Sæpè, timere timor non eſt. quæ præpete curſu

Io. Baptiſta Maſtrillus Eques Melit cum Turca congreditur. Huius totum facinus hiſtorica fide narratur. Vide P. Io. Rho de var. virt. l. 6. c. 1.

Orion cæleſte Signum enſe coruſcat armatus.

Mare imago cæli.

Fortuna parcè vtendum.

La-

Labitur, ad ſcopulos ſæpè impulit vnda carinas.
Rara diù campo Victoria ſedit in vno:
Labilis Oceano magis eſt: elabitur: alas
A curſu tenet, & librat, non ponit. Abundè eſt.
Vt vincas, ceſſa iam vincere: retrahe greſſum.
Vota preceſque meas, & Thracum tela repellit:
In pugnæ fervore ab hoſte cingitur.
Irruit in medias acies, recipitque ruentes.
Irrumpunt hoſtes, vltròque includere tentant
Nauibus. Vt clauſum fert nobilis ira leonem
Saxa per, & rupes, per præcipites anfractus:
Hinc fremit; inde ruit, ſaltuſque pererrat in omnes:
Turbidus, impatiens flammas vomit ore minaces,
Oppoſitamque capum, vultu fremituque, coronam
Territat, irritatque: per obuia tela, per hoſtes
Quærit iter, vel dente facit. ſunt ſerta leonis
Rex leo eſt cum periculis, & venatoribus coronatur.
Regia venantes, venabula, tela, moloſſi.
Splendidiùs gemmis, hoſtes, & bella coronant:
Sceptra ferunt, gladij, faciuntque pericula Reges.
Sic vallatus aquis, ratibuſque incluſus & armis,
Morte coronatur multâ Maſtrillus. Haleum
Maſtrilli generoſitas, & vox.
Voce ferit: non aſtra freto, non milite claudes;
Dum me claudis aquis dux, inquit: tollite ad ictus
Terribiles arcus, penniſque armate ſagittas.
Quæ feriet, feret illa ſuper victricia cæli
Mœnia victorem. vos noſtris ite rebelles
Enſibus in freta perpetuis vndantia flammis.
Hæc ait & crebros intorquet, & excipit ictus.
Se Virtute tenet, non viribus. ardua Virtus
Capitur à Turcis, & vinculis in ſentina ligatur.
Ægida bellanti, thoracem, pergama conflat.
Denique ſed cedit, nunquam ceſſura; vel ipſo
Fortior è caſu, immeritas vltura catenas
Cædibus innumeris. Certant illudere capto
Odry-

Odryſij, nudantque artus, quos aurea veſtit
Sanguinis ambitio, Fidei deuota Deoque.
Ille ſilet, nec corde metum; ſed grandia condit
Conſilia. auguſtum ſeruilia vincula Regem
Efformant; triſteſque minæ, ſub nube latentes
Luctifici vultus, imitantur fulgura, & atra
Fulmina concipiunt. Tacitè ſic Ætna remugit,
Et gemit, & fremit, & tremulis obmurmurat antris
Carceris impatiens: lapides, flammaſque reſorbet:
Exitium campis meditatur, funera Regnis.
Impoſitos humeris cineres, monumenta doloris,
Præparat excutere in populos, & voluere luctus,
Cum facibus, fumo, ſaxis, pluuiâque timorum.

Captus grãde quid in vltionem meditatur. Mœrore nubilus fulmina in hoſtes concipit.

Nudus, inermis, inops, ſed maieſtate timendus
Armigerâ, fœdis ſentinæ clauditur vmbris
Maſtrillus. Si magna premas incendia, creſcunt;
Inueniuntque viam per ſaxa, per antra, per arces.
Eſt Regi tumulus, cæcuſque cuniculus Igni
Pro ſolio, & ſtadio; quo maior, & ocyor auras
Curſibus impauidus, nullo cohibente, fatigat.
Grande quid in tenebris, non victo corde, volutat
Chriſtiadum bellator: agit per ſingula mentem:
Qua ratione artus, qua liberet arte reuinctas
In noua bella manus. Dum curis fluctuat, enſem
Proſpicit abiectum. Rapit ore (retorta grauabant
Vincula nam palmas) pro lingua intermicat enſis:
Munera lingua manus, clypeique & fulminis explet:
Cor micat in lingua: vires animoſque miniſtrat;
Huius & officio cor fungitur. ignea fundit
Verba, Deique manum vocat in molimina: Robur
Auſibus adde meis, inquit, Rex maxime Diuûm,
Cuius in ore chalybs riget, & florentis Oliuæ

Inuentũ fortè in ſentina pugionem dẽtibus arripit, eoque nexus obtruncat. B. Virginem orat.

Ra-

Ramus olet, pacemque oſtendit, & arma minatur.
Pacem oro, bellumque fero: bello occidat hoſtis:
Huius ab occaſu pax orta ſerenet Olympum.
Virgo parens, moderare auſus: tibi vincula ſoluo:
Tu mea libertas: victus, victorque, ſolutus,
Captiuuſque tuis ſacrabor victima votis.
Hæc mea in hoſtiles fera vincula verte catenas.
Hæc ait, & ſtrictis arreptum dentibus enſem
Ore mouet: facilem per vincla tenacia verſat:
Et ſecat. Vt ſonipes, diffractis lætus habenis,
Excutiens ceruice iugum, fluitante per armos,
Atque auras verrente iubâ, nemora inuia luſtrat.
Quadrupedante fugâ ſonat excita ſilua: viator
Territus, agricolæque per inuia ſaxa vagantur.
Præcipitem terrent alij: vi tela, viroſque
Rumpit equus: flagris in terga comata ruentes
Reſpicit, & ſaltus peragrat, victorque ſuperbit.
Haud aliter, Maſtrille, foros, atque ardua nauis
Arduus exuperas: & nudo pectore; grandi
Sed fretо Virtute, geris certamina: frangis
Arma exarmatus. toto protectus Olympo
Pro clypeo, per tranſtra ruis dextrâque coruſcas:
Quoque ſecas gladio tua vincula, corpore ſoluis
Indecores animas. Atro tepefacta cruore
Curua carina, forique madent. huic feruidus inſtas:
Hunc premis, impelliſque, & toto corpore ſupra es,
Vt ruat, & pelagum ſcelerato ſanguine turpet.
Dux tibi, bellatorque, aries, & miſſile telum,
Omnia ſolus obis; pugnantis & agminis inſtar,
Innumeras agitas vno in certamine pugnas,
Æternamque optas media inter vulnera famam.
Attonitus monſtro, ferrique cupidine cæcus,

Reſectis vinculis nudus cum hoſte belligerat.

Vltu-

Vlturus cædes, ſe ſuſcitat improbus irâ,
Et furit Odryſius. belli pudor ingerit ignes.
Arcubus adductis conſiſtit: libera laxat
Spicula. non errant, ſed fixa patentibus hærent
Artubus. ille gradum non deſerit: extrahit imo
Corpore tela, ſimulque iacit: micat altior, actus
Tempeſtate ſagittarum, lapidumque procellâ.
Vulnera mille gerens, & funera mille, repellit,
Corda penetrantem centeno vulnere, mortem.
Spirat adhuc: Fidei tutela, & viuida Virtus
Spiritus eſt animuſque animi fugientis. apertos
Ferrea ſilua humeros telis feralibus vmbrat.
Sed micat inde magis Sol Gloria mentis, & ardor.
Tela quot inſidunt, tot pennas explicat: ora
Tot famæ reſerat; quot vulnera, lingua furoris,
Miſſa ſagitta aperit: fuſo cum ſanguine vita
Non fluit. è multo dum vulnere lapſa ruebat,
Conſtitit attonitæ ſimilis, curſumque repreſſit
Spectatrix operum tantorum; dum vna metebat
Mille trophæa manus; nudus ſpolia ampla ferebat.
Tandem victa ratis, turmæque, animæque rebelles
Indignabundo tenuerunt Tartara curſu.
Ecce autem fœdâ Turcarum cæde venuſtus,
Sanguine perfuſus multo, ceu vellere diues
Ipſe tuo, Maſtrille, redis; nauemque remulcas
Odryſijs raptam, quæ milite nobilis vno
Ingens Heroum, velut Argo, amplectitur agmen.
Solus ades, fractâ circum ceu nube coruſcat
Sol torquens radios rubicundâ luce cruentos,
Quos nebulæ vibrat in vulnus. Dum ſanguine roras,
Palluit Odryſius. rubor iſte in Sole procellas,
Et iam ſurgentes ventorum nunciat iras,

Nudus Maſtrillus vndique ſagittis vulneratur, & vulnerat.

A Maſtrillo vita dum fugeret, attonita reſtitit tantæ prodigio virtutis.

Omnes trucidauit hoſtes, eorumque nauem victor cepit, & ſpolia.

Tota quibus turbata hoſtis Fortuna reflabit.

Alexander Farneſius.

Fax bellatorum micat æmula in arma faceſque,
Mars Hiſpanus, Alexander, mens, dextraque Belgi.
Fortunam Thracum, vires, æraria cernit

Adoleſcens obtulit ſe volũtarium militem Ioanni Auſtriaco auũculo Duci.

Muſtaphæ rate vectari. Spes maior honoris,
Quàm prædæ iuuenem extimulat: ſe voce laceſſit,
Atque ſuos. Arma arma, viri, ferte arma: doloſi
Non me lux auri vocat in certamina (quamquam
Hoc, ſi barbarico miniandum eſt ſanguine, quæro)
Fama vocat; vocat alma Fides, quæ miſſa per aures
Occupat Imperium cordis; mentemque fidelem,
Atque manum poſcit. ſi ferro vincitur hoſtis,

Nummum petis, & naufragium ſuſcipis S. Ambroſ.

Temno aurum, quo Muſtaphus ſe iactat: ab auro
Sed mage iactatur, fluidi quàm marmoris æſtu.
Quæ pelagi ſecat arua ratis malè nauigat, auro
Pro ſabulo librata; ſuo nam pondere præceps
Hoc patrias repetet ſedes, & in intima ſecum
Viſcera telluris trahet hoſtes, cunctaque belli
Robora, quæ fuluo malè fundauere metallo.

In Muſtaphæ Quæſtoris triremem, quę vehebat ærarium, inuehitur.

Hæc memorans, quà Threycio ſub milite puppis,
Mole ſuperba ſuâ, fractis circumſonat vndis,
Verberat & triplici Neptuni terga gementis
Ordine remorum, liquido veſtigia regno
Ad pugnam vt figat; certant torquere carinam
Chriſtiadæ, Duce Alexandro. Dant arma fragorem:
Inſtabili tremit alba vado Thetis; vndaque pallet,
Et fugit in ſpumas, Thracum vitianda cruore.
Victima Muſtaphus iuſto ventura furori
Exultat, portatque minas & tela, rapinâ
Nobilis infami Ductor, vallatus ab vmbris,
Quas aër alit æternis in prælia flammis.
Exonerat iaculis arcus, & vocibus iras

In-

Inſinuat: Pugnate alacres : hoc ſplendet in auro ,
Quod læti vehimus , Victoria . prælia vires
Ex auro capiunt : hinc robora ſumite . magnes
Traxit hic hoſtiles acies ferrumque ; trahantur
Thracis at in fraudes prædâque.Hęc latrat;& imbres
Inde leui ferrugineos immittit ab arcu .
Iam tormenta tonant : facibus iam fulgurat æquor,
Cumque globis globus vndarum, cũ fluctibus ignis,
Cum clamore virûm pelagi fremor ; vndaque fumi,
Et maris atrati coniurant , æſtus , & æſtus
Marmoris ; atque iræ . dubio certamine naues
Aequore concurrunt dubio, pendentque propinquis
Frontibus , & ſtrages æquant . è puppe Latina
Signa illata repelluntur : mora frangit vtraſque .
Sæuit Alexander , ſeque increpat . ira pudorque
Dum ferit , exclamat : Vel vitæ vincula rumpam,
Vel ſolus pugnando moram . ſimiliſque furenti ,
Arripit ingentem gladium , ſaltuque volucri
Hoſtilem ſalit in puppim ; chalybemque, necemque
Attonitos rotat in Turcas. Circumdatur hoſte,
Sed Virtute magis: circumfert arma manuſque ,
Et latas aperit ſtrages . Vbi facta cruore
Exemploque via eſt , roſtris ſocia agmina prenſant
Roſtra inimica, Ducemque ſuum nudo enſe tuentur.
Vt videre ratis vicina pericula Mauri ,
Et rapienda mari , manibuſque æraria belli ,
Auxilio ſubeunt . ſed per diſcrimina creſcit
Viuida Alexandri Virtus ; vt ſtella, tumultus
Aëris & terræ quæ feſſo lumine ridet ;
Nec pauet obſcuro denſatas æthere nubes .
Fata manu gerit , & pauidos diſpenſat in hoſtes.
Olli labuntur , violant & ſanguine fluctus ,

Cum diuitijs ancipiti Marte pugnaretur, arrepto Alexander prægrãdi gladio in hoſtilẽ triremẽ ſaltu ſe proijcit Turcas cadit. Sed bi auctis viribus pugnã redintegrant. deniq; vincit Alexander, et Muſtapha confoſſo, capto Scãderiæ Præfecto, potitur quæſtoria triremi, et auxiliaribus nauigijs, aurumq; diuiditur inter milites. Ex Fam Str. l.9 decad. 1. de Bello Belg.

Atque animis Stygis antra grauant.dilabitur aurum
Victoris Ducis in dextram : ferrumque tenere,
Non aurum, quæ docta, hoſtes vt vinciat,aurum
Liberat, inque ſuos vltrò iacit. Aurea lucis
Munera ſic Titan fundit, dum vulnerat vmbras,
Se locuples,& muneribus quæ ſpargit. Ab auro
Non victus, ferro vincit Parmenſis. in ipſum
Muſtapham irrumpit necis ambitione decoræ.
Deſperare fugam cogit; mox vulnere vitam.
Confoditur, rapiturque ratis, ſociæque triremes,
Et ſcelerata cohors vincla induit, armaque ponit.

Naualis belli ſpecies, ſuorumque periculum oranti Pio Romæ diuinitus repręſentatur.

Interea, ancipiti pendent dum prælia curſu,
Aſtra Pius votis in bella vocabat. Adeſſe
Viſum oculis mare Naupacti; dare vela carinas;
Ire, redire, ſecare vndas, concurrere, voces
Barrituſque ſonare, faces efferuere, Pontum
Exundare cruore, cadaueribuſque tumere,

Pontificis ad B. Virginem preces.

Tela volare, diemque tegi, fremere omnia. corde
Has imo voces effudit: Virgo, labantem,
Lauretana,tuam complexibus erige claſſem:

Oranti Pio cometa minax ſupra claſſem hoſtilem obiectus eſt,ſupra noſtram verò benigno ſidus aſpectu, & lauro coronatum.

Viribus inſtaura, Thraceſque immerge procellis.
Hæc Pius. Harmonico plauſerunt ſidera motu:
Aura ſerenatur: ferali crine cometes
Horruit: Odryſijs ſupra caput adſtitit, index
Funeris; & maculis Lunam temerauit, & vmbris.
Chriſtiadum noua ſtella comas lambebat, honoris
Nuncia, quæ lauro radios redimita comantes,
Igne coronali cum ſerto fœdus inibat,

In hoc bello hoc vnũ poet. dictum.

Et vernare dabat pluuio fulgore virorem.

Omen Pius adorat.

At Pius attonitus monſtro, læturſque, potentes
Extulit in cælum palmas cum voce: Rebelles
Vicimus, exclamat. pelagi Cynoſura ſecundat

Præ-

Prælia Virgo, rateſque regit. ſequor omina: bellum,
Ductores, vrgete: graues ſpe frangite curas.
Perculit hæc hoſtes: humeris hæc excutit arcus;
Quæque Dei pondus tenerâ circumtulit vlnâ,
Ponderat hæc dubij lances fortiſſima belli;
Et quæ nutabat Victoria, voluitur in nos.
Hæc dū dicta dabat, noua vis, nouus additus ardor
Agmina pertentat Fidei deuota; ſoluta
Cordâ metu gaudent, pugnæque per ardua tendunt.
Rurſus arena calet iactato ſanguine: rurſus
Æquora deſpumant, Indagine Sfortia Thraces
Circuit errantes; inſperatoque Columna
Continet amplexu: turpem meditantia frenat
Vela fugam, roſtroque tenet. Seges horrida belli
Emicat. Odryſios ſpes vltima roborat: artus,
Crura, manus, oculos, ſpirantia viſcera vellunt
Cuſpide barbaricâ: donec Regina Virago,
Nube tegens vultus, maieſtatemque timendam,
Chriſtiadum ſuper arma volans, ita fulgure frontis
Et vocis tonitru cum fulmine perdidit hoſtes.
Agmina ventorum concurrite: militat aſtris
Si dilecta cohors, tueantur & aſtra cohortem.
Sit certaſſe ſatis: ſatis illa cruore renidet;
Et Fidei, firmauit aquis monumenta perennis.
Strangulet Odryſios aduerſo turbine fumus.
Vmbrarum ſoboles cæcâ tumuletur in vmbra.
Inuoluere olim tenebræ ſic Regna Canopi:
Quæque hoſti nox atra fuit, lux aurea riſit
Hæc eadem Iſacidis: medioque in lumine, luctus,
Gaudia, vita, quies, diſcrimina, nubila, queſtus,
Funera inerrabant. Iterum portenta ſequantur.
Vix hæc cum ſubitò, diffracto carcere, venti

Aliquæ Chriſtianorum naues à medita ta fuga cohibentur.

B. Virginis auxilium, & vox.

Sic tenebræ Aegyptijs Hebræis lux. Exod. c. 10.

Turcæ dum ſclopos explodunt, & tormenta maiora, immiſſus à B.V. ventus ipſorum in oculos fumũ, & ignem retorquet. M. Mambrinus vbi ſup.

Per freta bacchantur, concurſanteſque carinas.
Turcarum auellunt medijs è curſibus: inde
In diuerſa trahunt: confunditur æquore Mauors:
Ira tumet Thracum, tumidis mage turgida velis,
Æſtibus atque magis bacchantis inæſtuat vndæ.
Et pelago, & furijs, ventoque agitante, lacertis,
Et remis ſuperare vndas, ventoſque laborant.
Vnda rebellis erat malè fida rebellibus. ignis
Experiuntur opes & robora: flamma rebellat
Ipſa etiam dimiſſa ruens necis ore, turboque
Belligeri chalybis. redeuntia fulmina, vento
Impellente, nigroque ſimul circumflua nimbo,
Detonuere ſuper Thracis capita alta furentis,
Et rabidam hauſerunt pluuio cum ſanguine vitam.

In Thraces iacta a Thracibus tela retorquentur.

Tela vibrant alij: ſed iniquo turbine contra
Tela retorquentur: bibit acta ſagitta cruorem;
Dum reuocata, ſagittiferi ferit ora Tyranni.
Hęc iecur; hęc humeros; latus hęc tranſuerberat ictu:
Figitur hæc iugulo: pudor eſt ſine cæde redire:
Corda flagrant laniare: feros iuuat ire per artus,
Et libare graues inimico in pectore pœnas.

Occiſorum Thracum, captarum nauium, & immerſarũ numerus.

Bis & triginta pelagum iam millia Thracum
Sanguine turparant: bis quadraginta triremes
Per freta, diſiectis remis trabibuſque, natabant.
Sed non laxatæ naualis turbine belli,
Excepere Duces centum & triginta Latinos.

Turcarum diiectæ naues 80. captę 130 Mam. vbi ſ.

Æquore tempeſtas rubuit tunc atra, ſereno
Ætherę; Threycio dum fluctuat vnda cruore,
Atque cadaueribus cautes, ſcopulique recentes
Exurgunt, freta conuellunt, pulſantque carinas;
Gurgite luctantes clauſo, dum prælia quærunt
Euitare fugâ, truncato remige nudæ.

At

At dum purpureo ſua regna tepeſcere fluctu,
Oſſibus atque vndas albere, reſectaque membra
In ſcopulos extare nouos Mare vidit; in iras
Arſit, & exclamat: Quæ tanta licentia, Ponti
Regna profanauit; temerauit ſanguine lymphas?
Serpentum ſaniem, virus ferale Draconum
Reſpuit vnda: vomit prope fontes vipera peſtem:
Et Pelagus tabum ſpumantem cæde tepenti
Hauriat, infectum quod fluctibus expiat Orbem?
Criminis auctores vos morte piabitis vndas,
Chriſtiadæ. Properate Noti: ſubuertite puppes:
Condite naufragio. Dum talia funderet Æquor,
Interclusit iter voci, reſtinxit & iras
Nobile ſudorum flumen; quod in ora loquentis
Protinus illapſum Victorum è frontibus, omne
Expiat imbre, profanatum, gemmante Profundum.
Miratur Pelagus pretioſa fluenta laborum;
Et ſuccum Virtutis amat. conchilia fundo
Euocat, vt ſugant meliorem candida rorem;
Et niueâ de matre iubet candeſcere gemmas.
Chriſtiadum Odryſio roſeas à ſanguine lymphas
Separat. ille maris crudelia monſtra ſaginat:
Heroumque bibunt rubicunda corallia venas.
Martis vbi ceſſit, Pelago lætante, procella;
Et poſt armorum ſonitum gemitumque cadentum,
Tandem diſiectâ ſiluerunt æquora claſſe;
Sanctior exoritur cælo plaudente, tumultus,
Virginis in laudes quem temperat ardor amoris.
Depluit in lacrymas vlla ſine nube voluptas:
Tympana pulſantur: clangunt lituique, tubæque:
Perſonat in Mariæ mare nomine: perſonat aura.
Æquor dum ſubeunt vaga flumina, nomen adorant

Maris vox pollui cadaueribus Thracũ indignantis.

Pacatur, & expiatur ſudoribus Chriſtianorum.

Ex his gēmæ.

Separatur sũguis à ſanguine.

E ſanguine Chriſtian. corallia naſc̄ūtur.

E ſanguine Turc. monſtra paſcuntur.

Lætit. a Chriſtianorum.

Maria V. triumſkat

Ingeminantque, Tagus, Ganges, Pactolus, Hydaſpes,
Non auro turgent, ſed nomine Virginis: imis

15. millia captiuorum ſeruitio exempta ad Laur Virg. quam initio pugnæ inuocauerāt, acturi gratias, cū duce contendunt. Roſ.

Emergit latebris mutum pecus: æſtuat ora
Soluere: teſtatur ſaltem ſua gaudia ludis.
Sed plauſit placuitque magis ſymphonia Ponto
Libera quam fractis modulatur turba catenis,
Turba graui malè preſſa iugo, dominique coacta
Verbera, verba, minas, & vultum ferre Tyranni,
Et remis lacerare vndas, & pectora curis.
Dum ſubit illa rates Victorum; vincula collo

Solutas catenas pro coronis capiti imponunt.

Excutit; & virides dum quærunt agmina lauros,
Pro ſertis capiti ſtridentia vincula ponit
Turba ſoluta: manus ad ſidera tollit: anhelat

Alteri catenas, alteri Deiparæ manubias hoſtiū conſecrarunt. Turſ l. 4. c. 1. de Hiſ. Laur.

In Lauretanis ſua figere vincula muris
In Libertatis monumentum; cordaque Matri
Virgineæ Pueroque Deo captiua vouere.
Auſtriaci Pietas præit omnibus vna Ioannis;
Nubibus obducti licet inclementia cæli,
Et tardet licet ipſe labor, bellique recentis,

Ioannes Auſtr horrida tempeſtate ex voto naualis pugnæ Lauretum iter inſtĕdit. Turſ. l. 4. c. 24.

Quæ feruescit adhuc, vis aſpera. Robore maior
Ipſe ſuo ſe vincit: iter maturat, & omnes
Deuorat obiectas è longo tramite pœnas.
Extima ſæuit hyems: calet intima pectoris æſtas;
Et captare iubet ſub lauro Virginis vmbram
Lauretanæ. Arces apparent eminus Vrbis,
Inque oculos ſacra Tēpla cadunt. Cadit ecce, pauore

Vt procul Aedem conſpexit caput aperuit. Inde velut alienato animo nūquam operuit Ex eod.

Stratus ab auguſto, Vir Mundi terror quantis:
Qui latus ornabat, decuſſus inhorruit enſis,
Diluit atque neces: regalis adorea frontis
Deſeruit turbata comas. Dux ipſe per aſtra,
Inſtar adorantis, pauido contendere greſſu,
Seque Dei æterni ſolio dum credit; amicâ

Exul-

Exultat; tremit, & fruitur formidine: & Euros,
Vincula nimborum, atque hærentia flumina ripis
Deſpiciens, hyememque, impendenteſque procellas,
Deſilit è curru: frontem denudat & ora
Nobile Mancipium, tectum toto Æthere & aſtris
Tutelâque Genitricis. peregrinus & hoſpes
Figitur in cælo votis, terramque fatigat
Curſibus. igne niues, pedibuſque calentibus vrgens,
Implicitum perrumpit iter, glaciemque ſupinat
In fluuios; Soliſque vias imitatur euntis,
Qui glaciem, pedibus radiorum, calcat; & vndas
Protinus in faciles victor diſſoluit, & ardet.
Annibal admotis domuit ſaxa inuia flammis,
Indomitoſque gelu, montes perfregit aceto.
Vnius Italiæ aſpectum ſed luminis emit
Iacturâ; cyclopſque oculo crudelior vnò,
Quos puduit vidiſſe, ſuos in funere merſos
Vidit, & infectos Pœnorum cædibus enſes.
Maior at Annibale Auſtriacus iuga celſa, pruinis
Horrida, dirupit flammis Pietatis, & imbre,
Rorabant valido quem fortia lumina fletu.
Non clauſit niue viſâ oculum; ſed Tecta Pudoris
Virgineis niuibus dum ningere vidit, vt Argus
Mille oculos in fronte nouos, & mille recluſit
Sidera mente. Parens, exclamat, Virgo, pauendo
Proximus Hoſpitio, cælum contingo Deumque:
Me ſuper extollor: cæleſtibus inſero lauris
Tempora. Sudati refero quæ præmia belli?
Ite procul gemmata Ducum diademata terras,
Et cælum quæ parua ſitu Domus vna coronat;
Auſpice te, Virgo, quia vicimus; illa coronam,
Auſtriacum complexa, feret. Tot fumida gemmas
Fron-

Annibal altero capitur oculo. montes aceto rumpit. T. Liu. l. 21 Dec. 3.

Auſtriacus Lauretanam Virg. longè ſalutat. Turſ. vbi ſup.

Fronte coronales; tot figet vertice Soles;
Quot ſaxis fabricata horret, quibus vmbra coruſcat,
Et parit ardores, & lumina Solis inumbrat.
In eius S. Domo triumplũ ſibi navalem depoſcit. Ite procul Latij palmæ, chlamydeſque triumphi.
Palmatas temno tunicas, & ſyrmata; ſi me
Numinis Aula teget, quæ totum protegit Orbem.
Tarpeias ſuperabo arces, imò Æthera victor,
Limine ſi ſacro caput Imperiumque locabo.
Frangite, Romulei, currus. hæc Cella viatrix
Sella curulis erit: feret hæc ſuper aſtra Curulis.
Ipſa mihi florum nimbus, ſacra purpura, ſertum,
Præmia, præda, decus, victoria, pompa, triumphus,
Fercula, ſigna, oleæ, plauſus, erit omnia Virgo.
Frangite, Romulei, roſtratas frangite naues.
Vicimus in pelago. quondam deuecta per auras
S Domus roſtrata triumphantis Auſtriaci nauis. Hæc roſtrata Ratis Domus eſt. rutilantibus alis
Remigio Superi incumbunt: ſunt vota rudentes:
Æquora ſunt lacrymæ populorum; carbaſa veſtis,
Qua patrona Parens populos complectitur omnes:
In S. Domo pictura eſt Chriſti pendentis è Cruce. Ventorum ſunt flabra preces: Amor Æolus Euros
Temperat: ille Crucem pro malò fixit, in aſtra
Hoc itur pelago & ventis; immotaque portum
Hæc cæli tenet alta Domus; merceſque, Tonantis
Deuehit in gremium, reuehitq; opulenta Tonanté,
Donaque commutat. redit Æthere plena: caducas
S Domus nauis oneraria, & piratica. Quæ vectarat opes auri argentique, perennes
Inuolat in Superûm Nauis piratica merces,
Dulcibus atque Deum trahit in ſua vota catenis.
Vicimus in pelago: ſatis apta carina triumphis
Hæc Domus æquoreis me tandem ſiſtat in vlnis
Virginis. hæc feſſis ſtatio eſt fidiſſima nautis.
Hæc agitans, glaciemque terens, cæleſtis honoris
Tem-

Templum auguſtũ, ingens, cæloque capacius intrat.
Soluitur in lacrymas: fit remige Puppis Amore,
Et Ducis in lacrymis ad ſidera nauigat Ædes,
Victoremque Deo ſiſtit. Iam mergitur vndâ
Nauta triumphalis, quæ Numinis vndat ab ore,
Quæque voluptatum pia pectora inebriat imbre.

Auſtriacus S. Domũ ingreditur, & cæleſtibus delicijs perfunditur. Paulò poſt moritur.

Venit ab Odryſio quoque turba ſoluta Tyranno,
Et manicas geſtans manibus, fractaſque catenas,
Virginis in muris nunc ornamenta, ſed olim
Dura nimis tormenta locat. Vix pariete fixa
Illa ſed auguſto fuerant; cum faſcia lucis
Vincula deuinxit: ſitus, vmbra, horrorque receſſit.
Ferrea in auratas migrarunt vincula torques,
In diadema Genitricis; cui ſidera crines
Ambitioſa licet crinali luce coronent;
Libertas humana tamen, quæque impia ſoluit
Vel Mundi iuga, vel ſcelerum, vel vincula Ditis,
Quæ terræ mala vitauit, quæ fontibus hauſit
Munera diuinis, Reginæ ſerta Parenti,
Et Regi Puero gemmata monilia texunt.

Corona Virginis nobiliores.

Hæc ſunt fatidicâ quæ pingit prælia mente
Lux Digituſque Dei, Verbi de lumine lumen
Spiritus Omnipotens, operoſaque forma futuri.

Talia dum Michaël præſaga voce recludit,
Quæ latuere alios, arcana; exundat in omnes
Vena voluptatis: Superos concordia nectit:
Conſpirant plauſu: vox intonat vna per auras.
Italiam Italiam votis quæramus & alis:
Italiæ florentis agris decet Ætheris hortum
Inſerere, & Mundi capiti hoc imponere ſertum.

Angeli Michaëli fauẽt

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER DECIMVSTERTIVS.

ARGVMENTVM.

A Michaële victa iam cauſa triumphale in Italiam S. Domus iter adornatur. Alij è cælo deuolant Angeli ſcuta præferentes ab Amore, fabro vaticino, futuris ſacræ Cellæ miraculis præſignata. Per Angelum cæleſtium orbium motorem dimiſſa Sidera reuocantur. Vocantur etiam ſuis quæque indutæ veſtibus quatuor anni Tempeſtates. Sol pompam ordinat, & præcinit, ventura vaticinans.

Scuta in cælo fabrefacta, & ſignata futuris S. Cellæ miraculis, itineris pompã auctura, ferũtur in terras.

INterea Faber Omnipotens, Cellæque volucris
Prodromus & vates, Superûm fornace relictâ,
In terras properabat Amor. Comitantur euntem
Diuinæ circum Charites: fremit aura tumultu,
Et clypeis rubet innumeris, qui fulgura iactant,
Solis & obſcurant æratis orbibus orbem:
Hos pubes alata gerit: portentaque ſignant
Fœta Domus quæ prodigijs, & virgine partu
Proferet in lucem, populis celebranda futuris.
Finxit Amor iaculis clypeos, atque æra liquauit
Igne ſuo: mollita focis ter merſit in imbre,
Quem liquat æterno cæli torrente Voluptas.

Petrum præcipitem inter Vrbini vndas porrecta manu Virgo ſuſtinet. Riera in ann. Laur.

In Clypeo tumidi ſpumabat imago Velini,
Saxa per & ſcopulos equitem raptantis ad ima.
Dum ruit ille, necẽque videt, liquidũque ſepulchrũ,
Erigit incolumem Virgo. Manſueſcere rupes;
Lambere colliſos artus, non frangere ſaxa;
Præcipitem caſu attolli, mortemque natantem
Amne

Amne ſuo mergi, non mergere; ſtare ruinas
Miratur: Mariæque manum complexus: Arena
Hæc, ait, eſt vitæ: furor hic deſæuit Olympi.
Ac velut ex alto labentia flumina, littus
Vt pelagi tetigere, ſilent; compreſſaque mole
Æquoreâ non apparent; mare Virgo, mariſque
Sic mihi littus erat dum dextra, euanuit vnda;
Contigit vt maris & Mariæ rapidiſſima littus.
Mors Venetos populatur agros, Carnoſq; propin-
Corripit, & miſeros tabo depaſcitur artus. (quos
Heu ſpecies lacrymanda mali! furit horrida Peſtis:
Sulcantur malæ rugis: riget hiſpida ceruix:
Extat nodoſo crates in pectore: collum
Exeſum ſcabrâ nutat rubigine: pallor
Inficit ora cauernoſis depreſſa lacunis:
Lumina vibrantur tremulo terrore: capilli
Voluuntur ſerpentiferis per tempora vittis:
Aluus deformi diſcedit ſicca barathro;
Funeraque, & cæcas parit halitus igneus vmbras.
Talis erat monſtri facies, quod mille ſequuntur
Cum letho morbi, morſuſque infigere gaudent
Artubus exuccis, læti mercede laborum.
Vtina dum pauitat Peſti vicina; propinat
Vbera vitalem Virgo ſtillantia ſuccum,
Quo mors ipſa perit, ſolùm quæ paſta venenis,
Viuit, & in multo populorum funere creſcit.
Liberat innocuum laqueis tenebriſque ſepultum;
Carcere diffracto, vitæ, lucique redonat
Lux, & libertas hominum, Regina Virago.
Heu miſer informi præbes dum guttura letho,
Carnificiſque manu gradibus deuolueris inſons,
Comprimeriſque; premis ſic vltima vota. Maria,

Vtina à peſte Venetiæ fines Carnoſq; peruagante liberatur. Turſ. l.3.c.24.

Aug. à Rocca videt è manibus manicas labi, & ſponte carcerem aperiri. Turſ. c.26.

Vir innocens è furcæ ſcala deiectus fracta reſte apparuit incolumis. Tur. c.27

In-

Integer, atque tuus ſuo non commiſſa, latronum
Morte reus. Regum ſed funere merſus obibo;
In te ſi præceps, ſolium, deuoluor, honoris.
Si me, Diua, tuis morientem amplecteris vlnis,
Cæli Zona, decora aſtris, procerumque monile
Funis erit: turpi trabe pendulus, ima ſuperbus
Regna tero, pedibuſque meis calcata iacet mors.
Audit vota Parens. bis vincula frangit, & iras
Iudicis. Ille ſalit geminato è funere viuax:
Dedecus in plauſus; in palmas ire cupreſſus;
Inque trophæa trabem videt immigraſſe pudendam.

Adoleſcens ſpectris territus à Virgine liberatur. Tur. c. 32.

Ille, viden? furijs, ſpectriſque ſequacibus horret.
Vrget vtrumque latus, ſcelerũ comes improba, flãmis
Cura timorque: ferit, lacrymaſque extorquet inanes:
Donec, Diua, tuas formidine preſſus ad aras
Et fugit; & radijs, quos fundis ab ore, flagellat
Et Lemures, & monſtra, & Auerni diſſipat vmbras.

Barth. Meliorinus pugione in humeris fracto, Virginem implorat: exit mucro: conualeſcit Turſ. l. 5. c. 27.

Stat Ligur impreſſo moribundus vulnere: ſæuit
Cuſpis adacta humeris. latebras infracta tenaci
Dum tenet hæc morſu, prenſatur forcipe fruſtra;
Enſe ſecant fruſtra, geminantque in vulnere vulnus.
Luctatur dolor; & properat, deuecta cruoris
Mors inimica mari; cui ſunt ingentia portus
Vulnera, littoreâ tumuli quæ ſpargit arenã.
At Virgo indomito Liguris concuſſa dolore,
Extrahit ex humeris ferrum, ſuccoſque ſalubres
Protinus infundit. Cæco ſtat vulnere ſanguis:
Vita redit: redeunt vires: è corpore vulnus

Sanatus à Virgine nouo amoris vulnere vulneratur.

Tranſilit ad fibras animæ, ſed vulnus Amoris,
Quo dolor areſcit, quo roſcida gaudia manant.
Vane, quid eſſe negas hæc Virginis Atria? nubes
Pelle animo, veroſque Dei venerare Penates.

Sæuit

Sæuit equus culpæ vindex, equitemque rebellem
Proijcit ex humero indignans, ſeque inſuper addit.
Obruit excuſſum ſonipes, & mole fatigat,
Præcipiteſque ſolo Libitinæ accomodat armos,
Quæ noſtris equitare ſolet ſtimulata ruinis.
Sed miſeros ſua damna docent: pœnâque magiſtrâ
Doctior euadit Mundi ſapientia. Sedes
Virgineas agnoſcit eques; magnoque fatetur
Numen ineſſe loco; terram poſtquam ore momordit.
Caſu erecta Fides, iterum collapſa. ſuperbis
Lubrica mens: Virtus illis ceu fulgetra lucet,
Atque fugit. nutant greſſu, qui deuia quærunt:
Caſſi oculis vrgent ſua per diſcrimina curſum.
Ille iterum addubitat. ſceleri par pœna ſequetur.
Corpore cæcus erit, mentis cui lumen ademptum.
Infelix mediâ quærit caligine lucem:
Sed fugit hæc oculis, animo quæ fugerat. haurit
Nubila luminibus ſine lumine: luctus & horror
Inſidet in caueis oculorum: corda trucidat
Horribilis ſine cæde metus: trepidantia pallor
Occupat ora: labant artus; oculiſque ſepultis
Ferrea nox inſtat mortis, ſomnuſque perennis.
Nox tamen atra diem ſcelerato parturit: vmbras
Quæ fuerant animo, membrorum diſpulit vmbra.
Dum ſcelus abiurat, redijt lux transfuga vultus:
Induit illa oculos, vis artus, gaudia pectus.
  Ille, viden? ſacris multâ dum nocte rapinis
Perfidus indulget, theſauros inuenit iræ
Numinis auerſi. ſe ſe Domus ipſa tuetur,
Seque ſuis armat ſaxis, atque agmine Diuûm.
Illi pro muris, interlucentibus haſtis,
Præſidium pugnamque parant: mox fluminis inſtar
Irrumpunt aditus. dum prædam Limine prædo

Genuenſis quidam de Laur. Domo temerè dubitans opprimitur equo.

Laur. Virg. inclamat, & equo ſurgit incolumis.

De S. Domo rurſus addubitat.

Rurſus orbatur oculis.

Attonitum vires deſtituūt.

Reſipiſcit, & mentis lumen lux corporis ſequitur Tur l. 3. c. 29.

Ex-

Atque animis Stygis antra grauant. dilabitur aurum
Victoris Ducis in dextram: ferrumque tenere,
Non aurum, quæ docta, hoſtes vt vinciat, aurum
Liberat, inque ſuos vltrò iacit. Aurea lucis
Munera ſic Titan fundit, dum vulnerat vmbras,
Se locuples, & muneribus quæ ſpargit. Ab auro
Non victus, ferro vincit Parmenſis. in ipſum
Muſtapham irrumpit necis ambitione decoræ.
Deſperare fugam cogit; mox vulnere vitam.
Confoditur, rapiturque ratis, ſociæque triremes,
Et ſcelerata cohors vincla induit, armaque ponit.

Naualis belli ſpecies, ſuorumque periculum oranti Pio Romæ diuinitus repreſentatur.

Interea, ancipiti pendent dum prælia curſu,
Aſtra Pius votis in bella vocabat. Adeſſe
Viſum oculis mare Naupacti; dare vela carinas;
Ire, redire, ſecare vndas, concurrere, voces
Barrituſque ſonare, faces efferuere, Pontum
Exundare cruore, cadaueribuſque tumere,

Pontificis ad B. Virginem preces.

Tela volare, diemque tegi, fremere omnia. corde
Has imo voces effudit: Virgo, labantem,
Lauretana, tuam complexibus erige claſſem:

Oranti Pio cometa minax ſupra claſſem hoſtilem obiectus eſt, ſupra noſtram verò benigno ſidus aſpectu, & lauro coronatum.

Viribus inſtaura, Thraceſque immerge procellis.
Hæc Pius. Harmonico plauſerunt ſidera motu:
Aura ſerenatur: ferali crine cometes
Horruit: Odryſijs ſupra caput adſtitit, index
Funeris; & maculis Lunam temerauit, & vmbris.
Chriſtiadum noua ſtella comas lambebat, honoris
Nuncia, quæ lauro radios redimita comantes,
Igne coronali cum ſerto fœdus inibat,

In hoc bello hoc vnũ poet. dictum.

Et vernare dabat pluuio fulgore virorem.
At Pius attonitus monſtro, lætuſque, potentes

Omen Pius adorat.

Extulit in cælum palmas cum voce: Rebelles
Vicimus, exclamat. pelagi Cynoſura ſecundat
Præ-

Prælia Virgo, rateſque regit. ſequor omina: bellum,
Ductores, vrgete: graues ſpe frangite curas.
Perculit hæc hoſtes: humeris hæc excutit arcus;
Quæque Dei pondus tenerâ circumtulit vlnâ,
Ponderat hæc dubij lances fortiſſima belli;
Et quæ nutabat Victoria, voluitur in nos.
Hæc dũ dicta dabat, noua vis, nouus additus ardor
Agmina pertentat Fidei deuota: ſoluta
Cordâ metu gaudent, pugnæque per ardua tendunt.
Rurſus arena calet iactato ſanguine: rurſus
Æquora deſpumant, Indagine Sfortia Thraces
Circuit errantes; inſperatoque Columna
Continet amplexu: turpem meditantia frenat
Vela fugam, roſtroque tenet. Seges horrida belli
Fmicat. Odryſios ſpes vltima roborat: artus
Crura, manus, oculos, ſpirantia viſcera vellunt
Cuſpide barbaricâ: donec Regina Virago,
Nube tegens vultus, maieſtatemque timendam,
Chriſtiadum ſuper arma volans, ita fulgure frontis
Et vocis tonitru cum fulmine perdidit hoſtes.
Agmina ventorum concurrite: militat aſtris
Si dilecta cohors, tueantur & aſtra cohortem.
Sit certaſſe ſatis: ſatis illa cruore renidet;
Et Fidei, firmauit aquis monumenta perennis.
Strangulet Odryſios aduerſo turbine fumus.
Vmbrarum ſoboles cæcâ tumuletur in vmbra.
Inuoluere olim tenebræ ſic Regna Canopi:
Quæque hoſti nox atra fuit, lux aurea riſit
Hæc eadem Iſacidis: medioque in lumine, luctus,
Gaudia, vita, quies, diſcrimina, nubila, queſtus,
Funera inerrabant. Iterum portenta ſequantur.
Vix hæc cum ſubitò, diffracto carcere, venti

Aliquæ Chriſtianorum naves à meditata fuga cohibentur.

B. Virginis auxilium, & vox.

Sic tenebræ Aegyptijs Hebræis lux. Exod. c. 10.

Turcæ dum ſclopos explodunt, & tormenta maiora, immiſſus à B. V. ventus ipſorum in oculos fumũ, & ignem retorquet. M. Mambrinus vbi ſup.

Per freta bacchantur, concurſanteſque carinas
Turcarum auellunt medijs è curſibus: inde
In diuerſa trahunt: confunditur æquore Mauors:
Ira tumet Thracum, tumidis mage turgida velis,
Æſtibus atque magis bacchantis inæſtuat vndæ.
Et pelago, & furijs, ventoque agitante, lacertis,
Et remis ſuperare vndas, ventoſque laborant.
Vnda rebellis erat malè fida rebellibus. ignis
Experiuntur opes & robora: flamma rebellat
Ipſa etiam dimiſſa ruens necis ore, tuboque
Belligeri chalybis. redeuntia fulmina, vento
Impellente, nigroque ſimul circumflua nimbo,
Detonuere ſuper Thracis capita alta furentis,
Et rabidam hauſerunt pluuio cum ſanguine vitam.

In Thraces iacta à Thracibus tela retorquentur.

Tela vibrant alij: ſed iniquo turbine contra
Tela retorquentur: bibit acta ſagitta cruorem;
Dum reuocata, ſagittiferi ferit ora Tyranni.
Hęc iecur; hęc humeros; latus hęc tranſuerberat ictu:
Figitur hæc iugulo: pudor eſt ſine cæde redire:
Corda flagrant laniare: feros iuuat ire per artus,
Et libare graues inimico in pectore pœnas.

Occiſorum Thracum, captarum nauium, & immerſarũ numerus.

Bis & triginta pelagum iam millia Thracum
Sanguine turparant: bis quadraginta triremes
Per freta, diſiectis remis trabibuſque, natabant.
Sed non laxatæ naualis turbine belli,
Excepere Duces centum & triginta Latinos.

Turcarum diſiectæ naues 80. captę 130 Mam. vbi ſ.

Æquore tempeſtas rubuit tunc atra, ſereno
Ætherę; Threycio dum fluctuat vnda cruore,
Atque cadaueribus cautes, ſcopulique recentes
Exurgunt, freta conuellunt, pulſantque carinas;
Gurgite luctantes clauſo, dum prælia quærunt
Euitare fugâ, truncato remige nudæ.

At

At dum purpureo ſua regna tepeſcere fluctu,
Oſſibus atque vndas albere, reſectaque membra
In ſcopulos extare nouos Mare vidit; in iras
Arſit, & exclamat: Quæ tanta licentia, Ponti
Regna profanauit; temerauit ſanguine lymphas?
Serpentum ſaniem, virus ferale Draconum
Reſpuit vnda: vomit prope fontes vipera peſtem:
Et Pelagus tabum ſpumantem cæde tepenti
Hauriat, infectum quod fluctibus expiat Orbem?
Criminis auctores vos morte piabitis vndas,
Chriſtiadæ. Properate Noti: ſubuertite puppes:
Condite naufragio. Dum talia funderet Æquor,
Interclusit iter voci, reſtinxit & iras
Nobile ſudorum flumen; quod in ora loquentis
Protinus illapſum Victorum è frontibus, omne
Expiat imbre, profanatum, gemmante Profundum.
Miratur Pelagus pretioſa fluenta laborum;
Et ſuccum Virtutis amat. conchilia fundo
Euocat, vt ſugant meliorem candida rorem;
Et niueâ de matre iubet candeſcere gemmas.
Chriſtiadum Odryſio roſeas à ſanguine lymphas
Separat. ille maris crudelia monſtra ſaginat:
Heroumque bibunt rubicunda corallia venas.
Martis vbi ceſſit, Pelago lætante, procella;
Et poſt armorum ſonitum gemitumque cadentum,
Tandem diſiectâ ſiluerunt æquora claſſe;
Sanctior exoritur cælo plaudente, tumultus,
Virginis in laudes quem temperat ardor amoris.
Depluit in lacrymas vlla ſine nube voluptas:
Tympana pulſantur: clangunt lituique, tubæque:
Perſonat in Mariæ mare nomine: perſonat aura.
Æquor dum ſubeunt vaga flumina, nomen adorant

Maris vox pollui cadaueribus Thracũ indignantis.

Pacatur, & expiatur ſudoribus Chriſtianorum. Ex his gẽmæ.

Separatur sũguis à ſanguine.

E ſanguine Chriſtian. corallia naſcũtur.

E ſanguine Turc. monſtra paſcuntur.

Lætit. a Chriſtianorum.

Maria V. triumphat

Ingeminantque, Tagus, Ganges, Pactolus, Hydaſpes,
Non auro turgent, ſed nomine Virginis: imis

15. millia captiuorum ſeruitio exempta ad Laur Virg. quam initio pugnæ inuocauerãt, acturi gratias, cũ duce contendunt. Roſ.

Emergit latebris mutum pecus: æſtuat ora
Soluere: teſtatur ſaltem ſua gaudia ludis.
Sed plauſit placuitque magis ſymphonia Ponto
Libera quam fractis modulatur turba catenis,
Turba graui malè preſſa iugo, dominique coacta
Verbera, verba, minas, & vultum ferre Tyranni,
Et remis lacerare vndas, & pectora curis.
Dum ſubit illa rates Victorum; vincula collo

Solutas catenas pro coronis capiti imponunt: Alteri catenas, alteri Deiparæ manubias hoſtiũ conſecrarunt. Turſ l.4.c.1. de Hiſ. Laur.

Excutit; & virides dum quærunt agmina lauros,
Pro ſertis capiti ſtridentia vincula ponit
Turba ſoluta: manus ad ſidera tollit: anhelat
In Lauretanis ſua figere vincula muris
In Libertatis monumentum; cordaque Matri
Virgineæ Pueroque Deo captiua vouere.
Auſtriaci Pietas præit omnibus vna Ioannis;
Nubibus obducti licet inclementia cæli,
Et tardet licet ipſe labor, bellique recentis,

Ioannes Auſtr horrida tempeſtate ex voto naualis pugnæ Lauretum iter initẽdit. Turſ. l.4. c.24.

Quæ ferueſcit adhuc, vis aſpera. Robore maior
Ipſe ſuo ſe vincit: iter maturat, & omnes
Deuorat obiectas è longo tramite pœnas.
Extima ſæuit hyems: calet intima pectoris æſtas;
Et captare iubet ſub lauro Virginis vmbram
Lauretanæ. Arces apparent eminus Vrbis,
Inque oculos ſacra Tẽpla cadunt. Cadit ecce, pauore

Vt procul Aedem conſpexit caput aperuit. Inde velut alienato animo nũquam operuit Ex eod.

Stratus ab auguſto, Vir Mundi terror quantis:
Qui latus ornabat, decuſſus inhorruit enſis,
Diluit atque neces: regalis adorea frontis
Deſeruit turbata comas. Dux ipſe per aſtra,
Inſtar adorantis, pauido contendere greſſu,
Seque Dei æterni ſolio dum credit; amicâ

Exul-

Exultat; tremit, & fruitur formidine: & Euros,
Vincula nimborum, atque hærentia flumina ripis
Deſpiciens, hyememque, impendenteſque procellas,
Deſilit è curru: frontem denudat & ora
Nobile Mancipium, tectum toto Æthere & aſtris
Tutelâque Genitricis. peregrinus & hoſpes
Figitur in cælo votis, terramque fatigat
Curſibus, igne niues, pedibuſque calentibus vrgens,
Implicitum perrumpit iter, glaciemque ſupinat
In fluuios; Soliſque vias imitatur euntis,
Qui glaciem, pedibus radiorum, calcat; & vndas
Protinus in faciles victor diſſoluit, & ardet.
Annibal admotis domuit ſaxa inuia flammis,
Indomitoſque gelu, montes perfregit aceto.
Vnius Italiæ aſpectum ſed luminis emit
Iacturâ; cyclopſque oculo crudelior vno,
Quos puduit vidiſſe, ſuos in funere merſos
Vidit, & infectos Pœnorum cædibus enſes.
Maior at Annibale Auſtriacus iuga celſa, pruinis
Horrida, dirupit flammis Pietatis, & imbre,
Rorabant valido quem fortia lumina fletu.
Non clauſit niue viſâ oculum; ſed Tecta Pudoris
Virgineis niuibus dum ningere vidit, vt Argus
Mille oculos in fronte nouos, & mille recluſit
Sidera mente. Parens, exclamat, Virgo, pauendō
Proximus Hoſpitio, cælum contingo Deumque:
Me ſuper extollor: cæleſtibus inſero lauris
Tempora. Sudati refero quæ præmia belli?
Ite procul gemmata Ducum diademata terras,
Et cælum quæ parua ſitu Domus vna coronat;
Auſpice te, Virgo, quia vicimus; illa coronam,
Auſtriacum complexa, feret. Tot fumida gemmas
Fron-

Annibal altero capitur oculo. montes aceto rumpit. T. Liu. l. 21 Dec. 3.

Auſtriacus Lauretanam Virg. longè ſalutat. Turſ. vbi ſup.

Fronte coronales; tot figet vertice Soles;
Quot ſaxis fabricata horret, quibus vmbra coruſcat,
Et parit ardores, & lumina Solis inumbrat.
In eius S. Domo triumphũ ſibi naualem depoſcit. Ite procul Latij palmæ, chlamydeſque triumphi.
Palmatas temno tunicas, & ſyrmata; ſi me
Numinis Aula teget, quæ totum protegit Orbem.
Tarpeias ſuperabo arces, imò Æthera victor,
Limine ſi ſacro caput Imperiumque locabo.
Frangite, Romulei, currus. hæc Cella viatrix
Sella curulis erit: feret hæc ſuper aſtra Curulis.
Ipſa mihi florum nimbus, ſacra purpura, ſertum,
Præmia, præda, decus, victoria, pompa, triumphus,
Fercula, ſigna, oleæ, plauſus, erit omnia Virgo.
Frangite, Romulei, roſtratas frangite naues.
Vicimus in pelago. quondam deuecta per auras
S Domus roſtrata triumphantis Auſtriaci nauis. Hæc roſtrata Ratis Domus eſt. rutilantibus alis
Remigio Superi incumbunt: ſunt vota rudentes:
Æquora ſunt lacrymæ populorum; carbaſa veſtis,
Qua patrona Parens populos complectitur omnes:
In S. Domo pictura eſt Chriſti pendentis è Cruce. Ventorum ſunt flabra preces: Amor Æolus Euros
Temperat: ille Crucem pro malo fixit, in aſtra
Hoc itur pelago & ventis; immotaque portum
Hæc cæli tenet alta Domus; merceſque, Tonantis
Deuehit in gremium, reuehitq; opulenta Tonantẽ,
Donaque commutat. redit Æthere plena: caducas
S Domus nauis oneraria, & piratica. Quæ vectarat opes auri argentique, perennes
Inuolat in Superûm Nauis piratica merces,
Dulcibus atque Deum trahit in ſua vota catenis.
Vicimus in pelago: ſatis apta carina triumphis
Hæc Domus æquoreis me tandem ſiſtat in vlnis
Virginis. hæc feſſis ſtatio eſt fidiſſima nautis.
Hæc agitans, glaciemque terens, cæleſtis honoris
Tem-

Templum auguſtū, ingens, cæloque capacius intrat.
Soluitur in lacrymas : fit remige Puppis Amore,
Et Ducis in lacrymis ad ſidera nauigat Ædes,
Victoremque Deo ſiſtit. Iam mergitur vndâ
Nauta triumphalis, quæ Numinis vndat ab ore,
Quæque voluptatum pia pectora inebriat imbre.

Auſtriacus S. Domū ingreditur, & cæleſtibus delicijs perfunditur. Paulò poſt moritur.

Venit ab Odryſio quoque turba ſoluta Tyranno,
Et manicas geſtans manibus, fractaſque catenas,
Virginis in muris nunc ornamenta, ſed olim
Dura nimis tormenta locat. Vix pariete fixa
Illa ſed auguſto fuerant; cum faſcia lucis
Vincula deuinxit: ſitus, vmbra, horrorque receſſit.
Ferrea in auratas migrarunt vincula torques,
In diadema Genitricis; cui ſidera crines
Ambitioſa licet crinali luce coronent;
Libertas humana tamen, quæque impia ſoluit
Vel Mundi iuga, vel ſcelerum, vel vincula Ditis,
Quæ terræ mala vitauit, quæ fontibus hauſit
Munera diuinis, Reginæ ſerta Parenti,
Et Regi Puero gemmata monilia texunt.

Coronæ Virginis nobiliores.

Hæc ſunt fatidicâ quæ pingit prælia mente
Lux Digituſque Dei, Verbi de lumine lumen
Spiritus Omnipotens, operoſaque forma futuri.
Talia dum Michaël præſaga voce recludit,
Quæ latuere alios, arcana; exundat in omnes
Vena voluptatis: Superos concordia nectit:
Conſpirant plauſu : vox intonat vna per auras.
Italiam Italiam votis quæramus & alis :
Italiæ florentis agris decet Ætheris hortum
Inſerere, & Mundi capiti hoc imponere ſertum.

Angeli Michaëli fauēt

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER DECIMVSTERTIVS.

ARGVMENTVM.

A Michaële victa iam cauſa triumphale in Italiam S. Domus iter adornatur. Alij è cælo deuolant Angeli ſcuta præferentes ab Amore, fabro vaticino, futuris ſacræ Cellæ miraculis præſignata. Per Angelum cæleſtium orbium motorem dimiſſa Sidera reuocantur. Vocantur etiam ſuis quæque indutæ veſtibus quatuor anni Tempeſtates. Sol pompam ordinat, & præcinit, ventura vaticinans.

Scuta in cælo fabrefacta, & ſignata futuris S. Cellæ miraculis, itineris pompã auctura, ferũtur in terras.

INterea Faber Omnipotens, Cellæque volucris
Prodromus & vates, Superûm fornace relictâ,
In terras properabat Amor. Comitantur euntem
Diuinæ circum Charites: fremit aura tumultu,
Et clypeis rubet innumeris, qui fulgura iactant,
Solis & obſcurant æratis orbibus orbem:
Hos pubes alata gerit: portentaque ſignant
Fœta Domus quæ prodigijs, & virgine partu
Proferet in lucem, populis celebranda futuris.
Finxit Amor iaculis clypeos, atque æra liquauit
Igne ſuo: mollita focis ter merſit in imbre,
Quem liquat æterno cæli torrente Voluptas.

Petrum præcipitem inter Vrbini vndas porrecta manu Virgo ſuſtinet. Riera in anu. Laur.

In Clypeo tumidi ſpumabat imago Velini,
Saxa per & ſcopulos equitem raptantis ad ima.
Dum ruit ille, necẽque videt, liquidũque ſepulchrũ,
Erigit incolumem Virgo. Manſueſcere rupes;
Lambere colliſos artus, non frangere ſaxa;
Præcipitem caſu attolli, mortemque natantem

Amne

Amne ſuo mergi, non mergere; ſtare ruinas
Miratur: Mariæque manum complexus: Arena
Hæc,ait, eſt vitæ: furor hic deſæuit Olympi.
Ac velut ex alto labentia flumina, littus
Vt pelagi tetigere, ſilent; compreſſaque mole
Æquoreâ non apparent; mare Virgo, mariſque
Sic mihi littus erat dum dextra, euanuit vnda;
Contigit vt maris & Mariæ rapidiſſima littus.

Vtina à peſte Venetiæ fines Carnoſq; peruagante liberatur. Turſ. l.3.c.24.

Mors Venetos populatur agros,Carnoſq; propin-
Corripit,& miſeros tabo depaſcitur artus. (quos
Heu ſpecies lacrymanda mali! furit horrida Peſtis:
Sulcantur malæ rugis: riget hiſpida ceruix:
Extat nodoſo crates in pectore: collum
Exeſum ſcabrâ nutat rubigine: pallor
Inficit ora cauernoſis depreſſa lacunis:
Lumina vibrantur tremulo terrore: capilli
Voluuntur ſerpentiferis per tempora vittis:
Aluus deformi diſcedit ſicca barathro;
Funeraque, & cæcas parit halitus igneus vmbras.
Talis erat monſtri facies, quod mille ſequuntur
Cum letho morbi, morſuſque infigere gaudent
Artubus exuccis, læti mercede laborum.
Vtina dum pauitat Peſti vicina; propinat
Vbera vitalem Virgo ſtillantia ſuccum,
Quo mors ipſa perit,ſolùm quæ paſta venenis,
Viuit, & in multo populorum funere creſcit.

Aug. à Recca videt è manibus manicas labi,& ſponte carcerem aperiri. Turſ. c.26.

Liberat innocuum laqueis tenebriſque ſepultum;
Carcere diffracto,vitæ,lucique redonat
Lux,& libertas hominum, Regina Virago.

Vir innocens è furcæ ſcala deiectus fracta reſte apparuit incolumis.Tur.c.27

Heu miſer informi præbes dum guttura letho,
Carnificiſque manu gradibus deuolueris inſons,
Comprimeriſque; premis ſic vltima vota. Maria,
In-

Integer, atque tuus ſuo non commiſſa, latronum
Morte reus. Regum ſed funere merſus obibo;
In te ſi præceps, ſolium, deuoluor, honoris.
Si me, Diua, tuis morientem amplecteris vlnis,
Cæli Zona, decora aſtris, procerumque monile
Funis erit: turpi trabe pendulus, ima ſuperbus
Regna tero, pedibuſque meis calcata iacet mors.
Audit vota Parens. bis vincula frangit, & iras
Iudicis. Ille ſalit geminato è funere viuax:
Dedecus in plauſus; in palmas ire cupreſſus;
Inque trophæa trabem videt immigraſſe pudendam.

Adoleſcens ſpectris territus à Virgine liberatur. Tur. c. 32.

Ille, viden? furijs, ſpectriſque ſequacibus horret.
Vrget vtrumque latus, ſcelerũ comes improba, flãmis
Cura timorque: ferit, lacrymaſque extorquet inanes:
Donec, Diua, tuas formidine preſſus ad aras
Et fugit; & radijs, quos fundis ab ore, flagellat
Et Lemures, & monſtra, & Auerni diſſipat vmbras.

Barth. Meliorinus pugnæ in humeris fracto, Virginem implorat: exit mucro: conualeſcit Turſ. l. 5. c. 27.

Stat Ligur impreſſo moribundus vulnere; ſæuit
Cuſpis adacta humeris. latebras infracta tenaci
Dum tenet hæc morſu, prenſatur forcipe fruſtra;
Enſe ſecant fruſtra, geminantque in vulnere vulnus.
Luctatur dolor; & properat, deuecta cruoris
Mors inimica mari; cui ſunt ingentia portus
Vulnera, littoreâ tumuli quæ ſpargit arenâ.
At Virgo indomito Liguris concuſſa dolore,
Extrahit ex humeris ferrum, ſuccoſque ſalubres
Protinus infundit. Cæco ſtat vulnere ſanguis:

Sanatus à V. nouo amoris vulnere vulneratur.

Vita redit: redeunt vires: è corpore vulnus
Tranſilit ad fibras animæ, ſed vulnus Amoris,
Quo dolor areſcit, quo roſcida gaudia manant.
Vane, quid eſſe negas hæc Virginis Atria? nubes
Pelle animo, veroſque Dei venerare Penates.

Sæuit

Sæuit equus culpæ vindex, equitemque rebellem
Proijcit ex humero indignans, ſeque inſuper addit. *Genuenſis quidam de Laur. Domo temerè dubitans opprimitur equo.*
Obruit excuſſum ſonipes, & mole fatigat,
Præcipiteſque ſolo Libitinæ accomodat armos,
Quæ noſtris equitare ſolet ſtimulata ruinis.
Sed miſeros ſua damna docent: pœnâque magiſtrâ
Doctior euadit Mundi ſapientia. Sedes
Virgineas agnoſcit eques; magnoque fatetur *Laur. Virg. inclamat, & equo ſurgit incolumis.*
Numen ineſſe loco; terram poſtquam ore momordit.
Caſu erecta Fides, iterum collapſa. ſuperbis
Lubrica mens: Virtus illis ceu fulgetra lucet, *De S. Domo rurſus addubitat.*
Atque fugit. nutant greſſu, qui deuia quærunt:
Caſſi oculis vrgent ſua per diſcrimina curſum.
Ille iterum addubitat. ſceleri par pœna ſequetur.
Corpore cæcus erit, mentis cui lumen ademptum. *Rurſus orbatur oculis.*
Infelix mediâ quærit caligine lucem:
Sed fugit hæc oculis, animo quæ fugerat. haurit
Nubila luminibus ſine lumine: luctus & horror
Inſidet in caueis oculorum: corda trucidat
Horribilis ſine cæde metus: trepidantia pallor *Attonitum vires deſtituũt.*
Occupat ora: labant artus; oculiſque ſepultis
Ferrea nox inſtat mortis, ſomnuſque perennis.
Nox tamen atra diem ſcelerato parturit: vmbras
Quæ fuerant animo, membrorum diſpulit vmbra.
Dum ſcelus abiurat, redijt lux transfuga vultus: *Reſipiſcit, & mentis lumen lux corporis ſequitur Tur l.3. c.29.*
Induit illa oculos, vis artus, gaudia pectus.
Ille, viden? ſacris multâ dum nocte rapinis
Perfidus indulget, theſauros inuenit iræ
Numinis auerſi. ſe ſe Domus ipſa tuetur,
Seque ſuis armat ſaxis, atque agmine Diuûm.
Illi pro muris, interlucentibus haſtis,
Præſidium pugnamque parant: mox fluminis inſtar
Irrumpunt aditus. dum prædam Limine prædo

Ex-

Extrahit, interitum ſtricto mucrone minantur,
Atque referre iubent violata in Limina greſſum.
Se pauet ille, diemque timet: ſe lictor & hoſtis,
Suppliciumque fugit, ſequiturque, flagellat, & vrget.
Furta videt congeſta: horret: ſe damnat, & odit.
Pondera dum ponit manibus malè parta; timoris
Horroriſque animus ſub pondere preſſius anhelat.
Has inter curarum vmbras lux prodita furem
Prodidit, atque nefas: & qui congeſſerat aurum,
Faucibus eliſis, animam proiecit & auram.

5. Cellæ expilatores diuinitus comprehenſi afficiuntur ſupplicio. Turſ. l. 3. c. 31

Stringitur in clypeo vaſtum mare. diſcit ab Æde
Virginis anguſtâ fluctus arctare vagantes,
Orbis & anguſti ſe claudere margine, toto
Dū furit Orbe. Graui ſtat in ære immobile marmor,
Inſidumque oculis, lymphis mendacibus errat.
Turbinat aura vndam: deſudat fluctibus aura,
Dum freta ſollicitat. Paulus, Paulique carina,
In medio deprenſa mari, dum Tartara cernit
Inter aquas; te, Virgo, vocat, cælumque reuiſit.
Expedit hic celſas auro dum diuite proras,
Et Ligurum fines, patriaſque requirit arenas;
Mercibus vnda grauis gaziſque inſanit, & ingens
Ex humero detrectat onus, raucoque ſuſurro
Iraſci primùm diſcit. mox frena procellis
Laxat, & ad bellum ſtridoribus euocat Euros.
Triſte tonant nubes: coniurant fulmina & imbres:
Vela tremunt, remique gemunt: labat arbor, & omnis
Nauta pauet. natat vndoſo mors arida regno.
Vota volant, feriuntque leues vota irrita ventos.
Iam bibit Oceanum nauis, merceſque profundit;
Naufragiumque inuita vehit. ſpes empta periclis
Fertur aquis: nec diuitijs ſaturata quieſcit

Paulus Nauarchus à naufragio liberatus. Tur. l. 3. c. 26.

Ingens Oceanus paruo inſculptus in clypeo.

Dira

Dira fames pelagi. patefacta vorago carinam
Obruit & nautas. rimas agit illa: dehiſcit,
Et quaſſata ruit. nautas quæ verberat vnda,
Tunditur heu gemitu miſerorum è puppe cadentum.
Iam deſperato rumpunt freta perfida ſaltu.
Vt mortem fugiat, committit nautica mortis
Se ſe turba viæ: iacit omnia; ſeruet vt vnam;
Omnia quæ fundat, vitam: tellure ſed ipsâ
Quæ fluit in ſtabili, fluidis malè creditur vndis.
In mare dum merces iaciuntur, Paulus amorem
Virginis in medio fert pectore. merce beatus
Hac vnâ diueſque, ſuâ ſtat puppe: nec audet
Deſperare; ſinum dum ſpes in Virgine complet.
Omnia ſolus obit: nauclerus, nautaque, remus,
Anchoraque, antennæ, Pollux, Cynoſuraque, Caſtor,
Suppara, temo; rudens, eſt omnia ſolus: & æquor
Territat intrepidus, nautis trepidantibus, vnus.
Obruit vnda ratem, non ſpem: hac ſuſpenditur illa;
Ima petit dum merſa. Notis decuſſa, fatigat
Arbor aquas reuoluta. rapit per ſalſa natantem
Paulus, & erectus ſpe Virginis erigit: Euris
Vela implenda, Dei dat plenus robore: frangit
Spe tempeſtatem: ſpe nubes diſſipat: Auſtros
Spe domat: inuictâ componit marmora fronte;
Ducit & in portum, Proteo plaudente, carinam.
Sic animata vtero puppis ſine remige Ionam
Seruauit Cetus, rabido quem dente vorauit,
Hoſpitis ipſe ſui genitrix genitorque, ſepulchrum,
Cunaque naſcentis, properantis currus ad auras;
Morte triumphatâ vitæ dum Regna reuiſit.
Mirantur Ligures patrio de littore nauim,
Quæ vix extat aquis, quas fractâ interſecat aluo,

Nautæ iactis mercibus ſe iaciũt in mare; nauarchus verò preces fundit ſolus in naui relictus.

Vita noſtra etiam in terra fluit.

Impletur fluctibus oneraria. Paulus ingenti viuelum ſolus ipſe ſuſtollit, nauigiũ aquis exhaurit, & portum ſubit. Tu. 81.

Vertente anno, & eo ipſo die non ſoluti voti reus cũ paruo filio naufragium facit. Idem.

Quas dorſo lacerata ferit: demerſaque merſum
Seruat amica virum, cui pro temone Parentis
Virgineæ manus eſt, fauor aura, & ſuppara veſtis.
Spumea protendunt venienti brachia rupes;
Et patrio gaudent ciuem ſe condere portu.
Ille ſubit terram. ſed donum Virginis vndis
Immemor heu ſcribit, gratâ nec mente reponit.
Dum ſua vota Deo non ſoluit, morte ſolutus
Vorticibuſque maris; tulerat quæ fida ſalutem,
Diſſoluit maris vnda fidem. Mercator anhelat
Iam dubio dare ſe pelago, rurſuſque liquentes
Tentat adire vias, naui deuectus eâdem.
Suſcitat ingrato bellum mare, ventus, & æther,
Virginis vltores: nauis lictore ligatur
Vortice: nauta Auſtris, & iactis vapulat vndis:
Per vada, per ſcopulos, per ſaxa latentia tortor,
Turbo rapit. gemit ille: patri comes additus infans
Dum gemit, ingenti correptus turbine, pronus
In caput excutitur. Tunc percutit aſtra querelis
Infelix genitor: moriturus in æquora fertur,
Impete amoris, aquiſque actus; gemmamque paterni
Pectoris, in medio perquirit naufragus æſtu.
Exuperat fremitu fluctus, refoditque lacertis,
Ima vel ipſa maris ſcrutari certus: amore
Æſtuat, & pigrâ friget formidine in vndis.
Nate, ò nate, inquit. ſed frigida protinus ignem
Obruit & voces, calido quas pectore format.
Rurſus aquæ abruptis è montibus erigit ora;
Et clamat: Virgo. ſubitò maris ira recedit,
Et timet icta ſonum venerandi nominis vnda.
Iam, cedente vado, voces & brachia tollit,
Altior inſurgens animo. mare, Virgo, ſalutis,

Filium naufragum ipſe naufragus quęrit. ex eod.

Quid

Quid potuit peccare puer? me conde ſceleſtum
Fluctibus; ille tuo ſeruatus ab æquore viuat. *Patris querela.*
Viuit: & æquoreis emergit pupulus antris
Virginis auxilio, turbataque marmora placat,
Et tenero fractam ſpem roborat ore, parentis;
Exultat genitor pluuiâ dulcedine merſus;
Dum ſalis arua tenet; celerique citatior aurâ
Dum mouet Oceanum, palmis & pectore lymphas
Dilacerat, manibuſque volat, puerumque ſedentem
Salſa ſuper ſubſtrata, humeris ſuſtollit, & vlnis
Findit aquas; leuiorque magis ſub pondere, pennas
In pelago ſe ferre putat: victorque Profundi,
Nudus, inopſque ſuum pro ſerto in vertice natum,
Diuitias, germenque domus, & prædia portat.
Miles, Alexandri decuſſam fronte coronam,
Non ſecus immiti rapit è torrente; ſibique
Dum natat, imponit. Caro cum pignore littus
Occupat, & cælum Paulus prece: deſilit infans
Ex humero; & iuſſu Mariam genitoris adorat:
Mox ſurgit, vacuumque patrem ſatis implet amore. *Traijcienti Eufratem Alexandro corona decidit, quam nauta ſuo impoſitam capiti extrhaxit ab vndis Gregoras l.10.*
Sed debellati ſemper maris vnda rebellat.
Denique ſed Mariæ cedit mare; ſcutaque Diuûm
Virginis oſtendunt victum ſeruire triumphis.
Roma triumphatrix curru ſublimis eburno
Non ſecus in pompam fluuios pelagoſque ferebat,
Quos, indignatos ſua frena, ſubegerat armis.
Nunc etiam in Superûm clypeo maris ardet imago,
Quod Regina parens, fruſtra ſtridentibus Euris,
Preſſerat imperio, premeret dum carbaſa fluctu.
Sardus nauta vias parat æquoris ire doloſas;
Pectore dum creſcit, latis ſpatioſior vndis,
Vaſta cupido auri. Byzanti diues auarus

Iam cumulat mercator opes; ruſuſque carinam
Sollicitus ſoluit, veniuntque in lintea venti.
Barbara Byzanti dum littora linquit, iniqui
Barbariem reperit pelagi. crudeſcit Orion:
Salſa tument: fluctu pendet librante carina.
Nil ratio, nil vſus agit: nil, arte magiſtrâ,
Puppe gubernator qui nutu carbaſa flectit.
Ingenium mala conſumunt. in vota timores
Iam miſeros cogunt. Virgo implorata tenebras
Diſcutit, & domitis ſedet imperioſa procellis.
Aſpiciunt freta cæca diem; turbataque murmur
In plauſus, feſtaſque tubas, & cantica vertunt.
Lux diuina fugat malè liuida fulgura: nubes,
Quæ pariunt imbres, feriuntur ab imbre nitorum,
Qui charites generat nutritque in Virginis ore.
Obijcitur nautis noua cymba, ſoluta ſupernis
Remigio Aligerûm ripis, quam Virgo gubernat.
Protinus inſcendunt. tunc ſardica vortice nauis
Hauſta perit, fundoque iacet: ferit altera fluctus,
Stella maris, Soliſque Parens cui littora monſtrat.
Non ferri ſed viſa rapi per inania puppis:
Pro remis, Superûm pennis nam vecta, volauit
Ad Lauretanum, non viſo tramite, portum.

Sardus, & nautę in naufragio miram lucem, & ſcapham vident in medijs fluctibus penè immotã, quã inſcendunt. Tur.

B. Virgo ſub luce latens. Scapha paucarum horarũ ſpatio millia paſſ. ampliùs mille confecit. Turſ. l. 4. c. 6.

E pelago fuge tempeſtas, terramque fatiga:
Sed non tuta fatigabis, ſi Diua vocantes
Audiat. Ecce ruit, commixtâ grandine, fulmen
Quod te cum turri, mortali deijcit ictu;
Afflictumque ſolo, flammis, lapidumque procellâ
Obruit, Antoni. Duri ſub mole doloris
Saxorumque, animus ſe ſuſcitat: ore ſepulto,
Vota leuat; mox membra: ſuam quatit inde ruinam.
Integer è flammis, flammis ſed Virginis ictus,

Antonius ict' fulmine cum turre, eaque obrutus, viuus valenſque poſt quatuor horas inuentus eſt. Turſ. c. 7.

Pro-

Proſilit, & viuit. lapidoſo è monte vireſcit:
Lætior è ſaxis vt vitis, oliuaque ſurgit.

Dum linguæ cæli venerantur fulmina Diuam;
Illius in probrum linguam inflammare quid audes,
Digne Erebo miles? Superi, diuellite linguam,
Poſtibus & clauum Stygijs hanc figite. Vellit
Samnitum Prætor, violatæ Virginis vltor;
Deſtinat atque reum laqueo. dolor omnia vincit.
Non lethi deforme genus, linguamque reuulſam,
Sed ſcelus ille dolet: lacrymæ ſunt lingua dolentis.
Verbi Mater adeſt, gemitus ad verba loquentis:
Recreat alloquio. ſubnaſcitur illico lingua:
Balbutit, damnatque nefas; mox pleniùs vndat
Eloquium, vitamque viri cauſamque perorat.

Blaſphemo in Virginē eruitur à Pratore lingua; reſipiſcenti à Virgine redditur. Turſ. c. 11.

Noua lingua paulatim excreſcit.

Numinis immenſos Genitrix imitatur amores,
Cunctaque peruadit Pietate. Occulta nocentum
Pectora rimatur, ſcelerumque illuminat vmbras:
Æquora ſcrutatur: ſubit aëra, fulmina, nubes,
Carceris horrores, miſerorum tecta, triremes.
Æquora frangentes ventos, & fulmina frangit:
Aëra detergit: cohibet ſub carcere ventos:
Carceribus miſeros, manicis & compede ſoluit.
Denique quid ſupereſt? puteos deſcendit ad imos,
Sideribus redimita Parens; dextrâque puellam
Cum ſitulâ lapſam bis ſuſtinet; vndaque pondus
Imperio glaciata regit, nec debuit vndis
Virgo perire, ſinu niueæ compoſta Parentis,
Quæ, Puteus viuentis aquæ, quos mergit, ad oras
Exponit vitæ. Bis fluctibus obrute, viuis;
Vulturni dum fonte natas, Autane. Recepit
Exanimem gremio, paſſus & mille potenti
Virgo manu ſuper amnis aquas ad littora vexit.

Puellā B. V. bis manibus excipit ſuſtinetque ſuper aquas putei, l. 3 c. 17.

B. V. Autanū Vulturni fun do hauſtum ſupra flumen ad mille paſſus defert in ripā. l. 3. c. 16.

Duo Capucci ni in mare deturbati toto extant pectore, & Deipara laudes certatim canũt. l. 3. c. 15.

Vortex maris latro.

Rurſus ab æquoreo Pietas alata tumultu
Accerſita volat. Geminos nauarchus in æquor
Franciſci ſocios fudit crudelis. at extat
Pauperies pelago, premitur quæ pondere nullo.
Nil Vacuo rapit vnda rapax; & vortice coram
Cantabant latrone viri præconia Diuæ.
Hos circum ſtrepitant fluctus: maris ira minatur.
Paupertas ſecura canit. mare pandit hiatus:
Illius ora patent ſed hiatibus humida centum,
Se quibus à Maria victam maris vnda fatetur;
Subditaque in currum; Victores fluctibus effert,
Lauretique locat ſine pondere pondus arenis,

Alia miracula.

Cætera Virgineæ referunt miracula Sedis
Aurea ſcuta: oculos inuiſa nocte ſepultos
Rurſus ad erepti reſerari lumina Solis;
Vulnera mortifero ſiſti ſtagnantia tabo;
Languentes florere artus, labefactaque membra
Soluere veloces, firmato poplite, greſſus;
Corporibus Furias Erebi terriſque fugatas;
Virginis imperio ſub Tartara cæca migrare:
Ploratos morbos, & non medicabile fatum,
Auerſas clades & luctus; reddita vitæ
Corpora; ſeruatas rapido de gurgite merces,
Difficili pauidas niſu, ancipitique gementes
Pondere, dum partus dolor increbreſcit acerbus,
Protinus exemptas gemino de funere matres.

Angelum cæli motorem Michaël vocat ad ſe, vt per hunc S.Dom. ad iter ornãdum Sidera vocentur, & Tempora.

Hæc vbi Cælituum viuentia ſidera terris
Aſpexit Michaël, ſudataque ſcuta caminis,
Quos accendit Amor, rutilo dum fingit in ære
Sæpè futurarum monumenta perennia rerum,
Aligerum iubet acciri, qui numine torquet
Æthera præſenti, cælique è poſtibus annos
Secu-

Seculaque immittit volucri fugitiua rotatu.
Nazareo vicina iugo radebat hic alis
Cærula Iunonis; dulcique gementia rore,
Sidera mulcebat; profugam dum Virginis Aulam
Figere anhelabant Superûm ſtellantibus aruis.
Ille aderat riſu, quo ſtellas pingit, amœno,
Quo Solem illuſtrat. virgatam lumine virgam
Erigit, ætherei qua machina voluitur Axis.
Orbe ſuo Phœbus, ſi ſibilat illa, rotatur;
Et redit, & refugit cæli rota candida Phœbe.
Aſtrorum graditur trabeatus luce Senatus, *Eius habitus.*
Et nutu trepidant orbes: tremit ictibus æther.
Aëris hanc regnum moderantem grando, procellæ,
Fulguraque & nubes, & fulminis ignis adorant.
Hæc pluuias in nube ligat; nimboſque ligatos
In liquidas perrumpit aquas. modò grandine cælũ
Arũaque perfringit: modò ruptos turbine ventos
Montibus Æolijs damnat, tumulatque cauernis.
Aligeri coma tota flagrat: pro crinibus ardet
Stellarum radijs: chlamys eſt flammata pyropis;
Quæ niſi odorifero rorata madeſceret imbre,
Ipſa vel aſtra ſuis exureret ignea flammis.
Vt ſtetit ante Ducem, virgâ, quam fortè gerebat,
Protinus inclinans cum vertice, iuſſa moratur. *Michaël illũ alloquitur.*
Ille autem. Lucis Princeps atque arbiter aulæ,
Cuius ab imperio pendent cæleſtia ſigna,
Inuidioſa, viden? motanda eſt Cellula cælo
Heſperiæque locanda plagis: tua ſidera poſcunt
Hanc roſeis vectare humeris, & ponere Regnis
Ambitioſa ſuis: terræ ſed amore vetamur *S. Cella cur in Sidera nõ transferatur.*
Cedere Stellarum votis. nam Virginis aram
Sidera ſi colerent, terrarum oblita iacentum,

Et Lunæ, & Solis, curſuſque, affixa theatris
Omnia inhærerent ſuperis, quot curſibus errant,
Suſpenſoque laborarent ſua gaudia motu,
Ædis ad vnius placidè pendentia viſum.

Si S. Domus inter aſtra locaretur, aſtra terræ bona curare prorſus omitterent.

Inficeret radijs Sol an propioribus Indos!
Viſeret occiduas oras? feruentibus Auſtris
Subderet an Lybiam? Boreæque tyrannide vinctas
Et niue torpentes num frangeret igne pruinas?
Phœbus & aſtra Domum centumq; & millibus vnã
Præferrent Regnis atque Orbibus, vnica centum
Paruaque complexu quæ Soles, Sidera, & vrbes,
Mille ſuo capit orbe Orbes, Cæli atria mille,
Et qui cuncta capit, capiunt nec cuncta, Tonantem.
Non tamen Aſtrorum iubeo diſcedere pubem,
Aliger, indecorem. Pompæ ſe adiungere noſtræ;
Ante triumphales manifeſtâ luce Penates
In gyrum pede purpureo licet ire; rotatu
Harmonico lenire auras, reſoniſque choreis.
Attonitus profugis aſtris ne torpeat Æther,

Michaël aſtra multiplicat, vt eodem tẽpore adſint peregrinæ Domus in põpa, & ſua ſuis in orbibus munera non interrumpant. Triplex in ortu Chriſti Sol

Et ſtupeat Tellus hærere immobile cælum
Lumine maturo, cui tu vertigine tornas
Fortunam, niueoſque dies, atque otia fingis,
Numinis imperio per me moderantis Olympum,
Multiplicent vultus & munera Phœbus & Aſtra.
Sic, naſcente Deo cæci ſub fornice ſaxi,
In triplici Sol orbe idem, ſoluſque, nec idem
Claruit, & Triados gauiſus imagine riſit;
Vrere frigidulo Puerum dum ſidera vultu
Vidit, & ardores gelidâ ſub rupe fouere.
Nazarei Domus hæc montis diadema, triumphet,
Multiplici ſub Sole: fuit namque hoſpita Solis,
Qui ſub nube ſinus materni condidit ignes.

Cla-

Clarior hæc Stabulo Bethleo Numinis Aula,
Culta diù, Soliſque diù tepefacta gementis
Roriferis oculis & corde. Hac pupus in Aula
Ergo annis ſi creuit Amor, Virtutibus ingens,
Culmineque Æthereo, meritorum vertice, maior;
Huius ad obſequium, vires, facieſque, faceſque
Creſcite ſtellarum. geminis ita motibus, vno
Tempore, multiplices cælique atque aëris arua
Diſſimili peragrate gradu. Tu ſigna ſupernis
Fixa globis, vel mota regas, fidiſſime Regni
Aliger ætherei cuſtos. nos rapta per auras
Virginis ad cultum nutu moderabimur aſtra.
Nam peregrina ſequi fas eſt Cunabula Pacis
Sidera, concordi quæ terras ordine luſtrant.
Adde, quòd alma Parens, quæ ſidera vertice præfert,
Et Lunæ argento Soliſque obnubitur auro,
Gaudet te ſcriptas auro reuocare phalanges,
Clara viatrici pateat quò ſemita Sedi,
Conſpirentque vno Tellus & Sidera plauſu.
Has ergo vigiles ſtellata in ſede cohortes
Huc celerare iube. Lucis tibi militat Ordo:
Tê ſtellas animante, dies extinguitur vmbris,
Têque iubente, dies viuit, morientibus aſtris;
Tempora quin etiam, certis quæ menſibus annum;
In parteſque ſecant quatuor, rurſuſque reducunt,
Te ducente, adſint. Tu namque errantia frenas
Nexis in frenum ſtellis, clauſtriſque coërces,
Et mittis; tua cum reſonâ vertigine ſignum
Aſtra canunt, ſed miſſa regis, certiſque recurrunt
Legibus illa tuis. Natura hinc ebria nimbis
Soluitur in pluuias, & campos alluit humor.
Hinc alitur florum ſoboles, elementaque vires
Con-

In S. Domo puer Deus creuit vt Sol.

Qui fecit cōcordiam in ſublimibus. Iob. 25.

Quatuor anni Tempora Michaël iubet ad pompam adeſſe.

Angeli 4. anni Tempora regentis munus.

Concipiunt, ſunduntque ſuas, alimentaque tellus
Opportuna capit. Sed poſtquam ſingula curſum
Confecere, vocas. Veniunt ad iuſſa: lupatis
Indocili circum ſiſtis fluitantia motu;
Rurſus & in montis, ſubmiſsâ fronte, cauernas
Haud vnquam ſimili redeunt conſtantia formâ;
Donec detergant ſenium, collapſaque, rurſus,
Strata ſolo, inſtaurent genitali robora ſomno.
Ergo age; duc patulis ſimul omnia montibus. Ædes
Tempora nam quatuor curſu peregrina volucri
Præcurret, veluti fulgur, quater acta per Orbem;
Vt tandem ſidat, quà brachia porrigit æquor;
Itala quà tellus cor ſubdit, Templaque ponit.

4 anni Tempora ad Stellarum motū accedunt, & recedunt.

Principis Aligerûm ſubitò mandata faceſſit
Aliger, aſtrorum motor. mutabile regnum,
Et cæli qua parte gerens argentea Phœbe
Sceptra, gubernat humū, mōs eſt; vbi quattuor annū,
Tempora, quæ ducunt, properis ſubiecta quadrigis,
Indignabundo pennatæ vincula Mentis
Vertice concutiunt. mons omnibus vnus; & omnis
Temporis ingenium mons exprimit. Ætheris Ætnam
Eſſe putes. flagrat igne latus: flammâ indice, mōſtrat,
Æſtatem fumante faces compeſcere rupe.
Altera pars collis, glacie veſtita rigenti,
Oſtendit latitare Hyemem. pars altera, nimbis
Floriferis redimita, docet vernare ſub antri
Ver horrore. ſed Autumnum pomaria produnt.
Stat; montana ſuper faſtigia diſcolor æther,
Emicat hinc ſeptus radijs: hinc nubibus horret.
Hinc rores; iacit inde faces. Domus intima cælum
Ebibit hinc varium: nec ros abſumitur igne,
Rore nec ignis. habent cum lumine nubila fœdus.

S. Domus quater quatuor anni temporibus, vere ſcilicet, hyeme, æſtate, & autumno mota eſt. ex Turſ. & alijs.

4. anni Temporum dom' in cælo Lunæ. Montis vbi habitant varietas.

Cælum ſupra montem varium.

Rex

Rex ibi nullus : at imperium decretaque Solis ,
Et ſcriptas radijs leges Reſpublica ſeruat .
Si Ver,aut Hyemem vocat,Autumnumque,vel Æſtũ
Terra ; latebroſis Tempeſtas montibus exit ;
Et Solis ſalit in currum , cæloque vagatur ,
Alternatque vices . Æſtas fecundat ariſtis ;
Ver ferit arua roſis : Autumnus vitibus vlmos
Prægrauat effœtis: Phœbo ſpectante pruinis
Prata tegit glacialis Hyems. ſic Tempora regnant,
Æthera dum peragrant,ſolaribus ardua bigis .

Sol Reipublicæ Temporũ Princeps. Solis curru Tempora vectantur, dum viciſſim regnant.

Fortè iugo Ver egreſſum , cum Sole curules
In ſuperis agitabat agris ; cum cyclade cinctus
Aliger ad montis rimoſa cubilia lapſus
Impulit obſtructos diducto è cardine poſtes ,
Intulit & radios cum voce . O Tempora , dixit,
Otia cum vinclis abrumpite : culmina montis
Nazarei meliora vocant ; vbi purior æther
Mitior aura . Deus , ſine tempore, temporis auctor
Virgineam rapit inde Domum,quę Tempora vincet
Omnia ; Picenis poſtquam æternabitur aruis .
Addite vos Comites , magni pars magna triumphi:
Poſt tergum nodis non palmas nectite ahenis ;
Sed vincite manus , crines ; & colla corollis .
Sint roſa , ſint violæ , ſint alba liguſtra catenæ ;
Singula , quos paritis , ſint florida vincula,flores.
Tu ſolitos, crudelis Hyems, compeſce furores :
Perdomet ingenium præſentia Virginis. ira
Non pluuias ventoſque ferat ; ſed amore cadentes
Sint imbres lacrymæ : tua ſint ſuſpiria venti :
Dulciter his ſæui . talis Domus enatet imbre .
Ne grauis incumbas Æſtas : dediſce nocere
Ante Domum , innocuis quæ corda caloribus vrit.

VII. Idus Maias . Deiparæ Domus è Palæſtina mota eſt,quo tẽpore regnabat ver. ex Ann. Myr. Angeli concio ad Tempora.

Iubet quæ sũt fera miteſcere.

An

In Autumno morbi aut lõgi, aut mortales.

An ne, Autumne, graui, ſeu longo exercita morbo,
Corpora corripies? vetat Auguſtale Tonantis,
Exijt vnde Salus. Sed iam compoſta cauernas
Linquite, & in Solis, cum Vere, inſcendite currum,
Nazareum petit effuſis qui culmen habenis.
Prodigio commota nouo, mugitibus, Ætna
Ætheris, infremuit. Flammis ludentibus Æſtas
Prima volat; patrioque metit de vertice flores.
Granadille hilari rides pulcherrime luctu.
Tu flos æſtatis; calidi quia germen Amoris,
Qui dolet & floret: nam florida vernat amanti
Pœna. rigata oculis, lacrymato roſcida riſu,
In te ſpina viret, roſeo rubicunda cruore.
Nam ſpem ſpina facit, pro Numine fixa. Columna
Flagraque cum clauis, mors ipſa in flore vireſcit,
Quem ligat in ſertum radijs ardentibus Æſtas.
Autumnus metit vngue crocos, Proteoſque colorũ;
Filaque texentes flauentia texere gaudet,
Et redimire comas. narciſſos frigore adultos
Carpit Hyems, ſpoliatque agros: ſtellataque ſertis
Omnia floriferis, innectunt Tempora dextras,
Nunquam viſa ſimul, poſtquam infelicibus Anguis
Fraudibus appetijt lento ſuffecta veneno
Primæui pia corda Patris, Charitiſque decorem
Protinus excuſſit. nam prima crepundia Mundi
Ire ſimul Tempeſtates videre; calorem
Mulceri glacie; glaciemque tepeſcere ab æſtu.
Pomaque non flores ingrata necare, ſed ijſdem
Appendi è ramis Autumni & Veris honorem.
Nunc ſimul aduolitant, præit Aliger. Vberat igne,
Et riget, & vernat, ridet, lacrymatur, & ardet,
Exudat pluuijs, & rore, ſubacta quadrigis,

Tempora ſuos ſingula flores carpunt. Flos vulgò paſſionis, qui æſtate naſcitur, & præfert Chriſti pœnarum inſtrumenta.

Crocus oritur in autumno. Tempora præferunt fronte flores, & manu.

Hæc in ſtatu innocentiæ olim amica.

Au-

Aura. Quid hoc inquit? Spatijs Natura relictis,
Et pertæſa vices, numerum, legeſque, pererrat?
Pellucet roſa rore; gemit ſub verbere nimbi.
Vere fretum criſpatur; Hyems exaſperat vndas;
Inſani ſpirant Cauri, Zephyrique loquuntur.
Dum ſiccantur agri, iuueneſcunt; arbuta florent.
Talia quis noſtris miracula ſeminat aruis.
Nil ſuper hæc Ales ductor. mouet vnica cura
Quærere præcipites Solis, Veriſque quadrigas,
Quod tunc forte Patris gremio, curruque ſuperbum,
Floribus expictâ ſuccinctum cyclade, crines
In flores etiam induerat, riſuque vocatis
Ludebat Zephyris, captans patris oſcula Solis.
Hoc viſo, imbriferi tenuere ſilentia venti,
Æquâuit vada Pontus; ager laſciuijt herbis.
Ergo roſis caput inſertum dum tollit, anhelis
Solis equis ſublime; videt tria Tempora curru
Aëreas ſulcare plagas, ſua regna. Curuli
Reſtitit auersâ, preſſiſque iugalibus: vnde
Vnde, ait, hæc ſocijs in Regna aliena poteſtas?
An quia non armor nimbis, Hyemiſque procellis,
Igne nec æſtiuo, ſolio detrudor auito,
Vile, imbelle, aptum calathis, thyrſiſque vibrandis,
Non iaculis? Mea forma tuos accendat amores,
Sol pater, atque iras: pro me tu bella capeſſe.
Sed ſi bella ferunt pugnacia Tempora, flores
Quid manibus geſtant? florum quid caſſide frontem
Emollire iuuat? Tunc Aliger occupat iras,
Atque ait: Æſtatem quid pectoris igne furentis
Ver accendis; Amor dum vos in fœdera iungit?
Ambitio Veris, ſemperque virentis Aprilis,
Nazareum Limen, patriâ de ſede refixum,

Nunc iterũ S. Domus in pompa iungitur.

Ver, quod tũc Solis in curru ferebatur, & regnabat, miratur alia Tempora aperto cælo ſuccedere.

Du-

Ducit ſolemnes, vectum ſuper aëra, pompas.

Iuſſu Angeli Sol quatuor Tēpora curru excipit, & Nazarethum properat. Reuocat Sidera.

Vos quoque virgineas iuuat, ò mea Tempora, Cunas
Mecum, Sole ſequi ducente, viaſque Profundi,
Ætheris, & Terræ ſimili tranare volatu.
Sol Tempeſtatum genitor, Sol circulus anni
Aureus, aëreos dum ſacra Domuncula campos
Deſignat celeri gyro, Superoſque recenſet;
Tempora feſtiuâ, quæ dirigis, excipe rhedâ,
Et quæ Nazareum vectare per æthera Templum
Sidera pugnarunt, reuoca. Sit magna Senatus
Gloria ſiderei, Superûm impendentia fronti,
Tecta praire. Lares fas eſt præcedere Amoris,
Et radijs, pro flore, vias inſternere flammas
Ætheris auratas: Sol tanto lætus honore
Quattuor, amplexu radiorum, Tempora nectit:
Feruidus vrget equos; & inardeſcentia mandat
Sidera Nazareum ſplendore retexere montem.

Hæc à Sole ad iter ordinantur.

Illa ruunt iterum. Sol ordinat agmina. Phœbe
Prima tenet: candore nouo veſtita ſuperbit,

Luna in ſe velut in ſpeculo S. Cellæ ferre gaudet imaginem.

Fingitur in ſpeculum, dum cornua cogit in orbem;
Vt, ſpeculo referente, Lares in imagine ſaltem
Obſequioſa ferens, ſubeat ſine pondere pondus,
Æmula Cælitum & parui vectaria Cæli.

Mercurius fallax. Aedilis olim ludos curabat S. Domus ſolium Fidei.

Mercurius volucres pennis rutilantibus Ædes
Anteuolat. non ille dolos, ſed præpete ludos
Præparat Ædilis curſu: genioque fideli
Obſcurum Fidei ſolium, nebulâque decorâ
Et fumo ſeptum, fraudes pertæſus, adorat.

Venus edita è pelagi ſpuma. Eius è pede nata roſa.

Ponè Venus ſequitur, vili non edita fluctu
Spumea, ſed ſuperæ genitrix, & filia lucis;
Quæ pede progenerat ſtellata roſeta pudico;
Quæ ſine nube faces, non cæcos parturit ignes.

Hæc

Hæc è vicinis candorem Sedibus haurit,
Purior S. Domus è vicinia
Quas Pudor incoluit, niueæ qui Matris alumnus
Pro matutino ſugebat lacte papillas
Virginis, è gremio, Puero cum virgine, pendens.
Sic ſub Erythræa lactatur margaris vnda,
Et, geminis labris adapertilis, vbera ſugit
Lucis & irrigui roris, quo candida creſcit.

Mars iter ingreditur: cæleſtibus emicat armis,
Mars mitior vexilla gerit, vbi picta Dei para Draconem calcans, & Thraciam Lunam.
Sed verſis, placidiſque, & maieſtate ſuaui
Terribilis, mitiſque. notis maculoſa cruoris
Exuit ora, & amore rubet. vexilla triumphis
Picturata tuis, ſubmittit, Virgo. Draconis
Palpitat effigies: moribunda coloribus ardet,
Atque Erebi, viuax in morte, reciprocat auras.
Impendet pedibus ſuper ora Virago: retorquet
Ora Draco, fremituſque, atque irrita ſibila iactat.
Signa etiam refracta gerunt Othomanica Lunæ
Cornua, venturas ſignantia lumine palmas;
Quas infecundo metet æquore Diua, propinquæ
Mole Domus domito, Venetorumque enſe ſubacto
In decorum ſulcos, & culta noualia laudum.
Iuppiter exultat. Pueris naſcentibus, inquit,
Fauſtam temno Domum, quæ pro fundamine ſtellis
Iupiter ſignũ ſalubre naſcẽtibus.
Fulta mihi ſurgit, radijſque ſalubribus ardet.
Hæc iuuat vna Domus, Iouis Omnipotentis alumna;
Temperies fluit vnde animis; vnde aurea vitæ
Fulmina vibrantur, quæ non regina volucrum
Excutit, vngue rapax, ſed amica Columba miniſtrat.

Frigidus inſolitos rapitur Saturnus in æſtus;
Saturnus piger, nunc lætitia velox. S. Domus tempori haud obnoxia.
Seculaque impatiens celeri vertigine verſat.
Hæc, ait, edentat frangitque Domuncula ſaxis
Tempora, quæ mandunt, vt mollia pabula, rupes.

Digitized by Google

Scilicet æterno riget hæc adamante: voracem
Illorum temnit morſum : non turbine nutat :
Non labat immiſſis fluuijs, ſed mole ſuâ ſtat.
Cedite perpetuis, mea Tempora, cedite muris.

Stellæ etiam fixæ ſuis ab orbibus refiguntur, vt Domus iter aſſocient.

Fixa voluminibus quæ motis Aſtra rotantur,
Vincula diſſoluunt, ſtimuliſque micantibus, vrgent
Se ſe vltrò in curſus. Hauſtas ex æquore lymphas
Proijcit inuersâ brumalis Aquarius vrnâ:

Aquarius implet vrnam aqua, quæ ſalit S. Domus è limine, vt olim è limine templi, quod Ezechiel vidit. c.47. ecce aquæ, &c.

Veſtibulumque Domus inflexo vertice adorans,
Fronte terit; rurſuſque terit; mox arduus inquit.
Ite procul, vili generata fluenta vapore,
Agmine quæ dulci redeunt telluris in arua;
Proferat vt fructus, florumque puerpera riſum.
Poſtibus his alij meliores currite fontes.
Omnipotens, puro poſtquam ſpectabilis oſtro
Sãguinis, ara, ignis, noua victima, Myſtaque Amoris,
Hoc Limen tetigit greſſu, quo ſidera calcat,
Protinus erupit de Limine lympha, ſuperbis

Aqua iſta vbertas eſt gratiæ S. Domus è veſtibulo in omnes effuſæ.

Inuidioſa tuis, Tagus, & Pactolus, arenis.
Labitur hæc paſſu properante: atque æmula Solis,
Dirigit ille ſuos quà feruidus igne iugales;
Exerit vnde ortum, occiduis vbi proluit vndis
Ora, & Riphæas vbi frigore liberat oras,
Vnda trahit riuos. Auſtro perflante, procellas
Excitat auratas: ſua munera iactat in auras:
Naufragijs beat; & terras immiſcet Olympo.
Hoc haurire libet pretioſo è flumine fluctus.
His mea ſi lymphis cumulabitur vrna beatis,

Sol vas admirabile opus excelſi Ecclef. 43.

Inuicti vincet vas admirabile Solis:
Roſcida terra nouis vndis, in ſidera flores
Vertet: veſtiri fructus mirabitur auro;
Humida in ardentes concreſcere ſaxa pyropos;

Ex

Ex herbis tenerâ coaleſcere luce ſmaragdos;
Arbuta pro ramis attollere ſceptra; coronas
Edere pro folijs, rutiliſque imponere ramis.
Hæc ait. Vnda ſalit ſacro de Limine in vrnam.
Inſolito geſtit ſuccenſus Aquarius imbre:
Optato leuior cum pondere proſilit: aſtra
Rore nouo ſpargit, fulgent non indiga Solis
Sidera: concipiunt maiores imbribus ignes.
Ipſe pio Sol fonte tumens, ſe maior inundat
Gurgite ſplendoris, proprioque exuberat orbe.
Quot ſtillæ refluunt vrnâ, tot in axe minores
Stellulæ inardeſcunt; ſubitòque mouentur; & arcus
Inde triumphales curuato lumine fingunt,
Virtuteſque tuas, tua lumina, Virgo, colorant.
Innocuę fontes lucis teſtudine pendent:
Conſpirant riuis, glomerantque à vertice flammas.
Sic inter populos, occurſanteſque tumultus
Lætitiæ plauſûſque, Orbis dum ſanctior Atlas
In Templo Imperij Laterano collocat Aulam,
Et Mundi ſolium; ſublimes erigit arcus
Roma triumphanti, varioque emblemate veſtit:
Multa locat ſimulacra, modis viuentia miris;
Fontibus & varijs ad murmura prouocat vndas.

E limine S. Domus ſalit vnda in vrnam Aquarij, qua ille ſtellas irrorat, et iubar auget. Ex aqua guttis ſtellulæ nouæ naſcuntur.

E ſtellis fiũt triumphales arcus, vt in primo Pontificis equitatu ad Templum Lateranum.

Anteuolant Prodromi Gemini; nexuque perenni
Naturam geminam ſignant in Virgine iunctam.
Ponè Sagittipotens iter explicat: Hæc via pompæ,
Inquit, erit: binas in partes cedite: inibit
Alma Domus medio tutiſſima tramite curſum.
Pegma ſagittiferi, & vaga propugnacula Amoris
Me ſeruare decet, placidiſque armare ſagittis.
Hic venator Amor, iaculis pharetrâque, latentes
Fabricat inſidias, fumosâque abditus Arce,

Lucifer ſolis Apparitor, & Accenſus. Sagittarius.

Spicula cæca iacit : premit in venabula ceruos ,
Præcipites furijs animos , cæloque fugaces .
Seruiat innocuis vt Amoris fraudibus , abdet
Subdola ſe tacitis Recineti Cellula ſiluis,
Et Mundi latrocinijs onerata beatis,
Tuta loco ; ſtabilis congeſtis vndique prædis ,
In terris immota manens , ſuper aſtra feretur .

Canis Sirius cum Sagittario.

Te venatorem ſequor en venator Amorem.
Sirius ecce Canis mecum non ſegnior ardet ;
Et pro latratu cantus, & fulgura iactat .
Pro face non iras agitat , qua torreat agros ,
Terreat & populos ; ſed amica incendia miſcet.
Nare feras cæli , latrator quærit odorâ ,

Pleraque aſtra ferarum nominibus appellata.
PoſtCaniculã ſequitur Ara, ſidus cæleſte, ex qua ducitur auguriũ ſcelerum in ara Lauretana litandorũ

Lucida monſtra Deo quò deferat , ante Penates
Parthenios , iugulanda tuis,Sol myſta , ſagittis .
Vota ſecundantur : Canis æſtuat : æſtuat Ara .
Sidereis cumulata feris , tamen ardet amore .
Ara Sagittiferum,ſequiturque Sagittifer Aram .
Sirius exultat. ruet in venabula Mundus ;
Omniaque in ſtellas ſcelerum portenta migrabunt.
Victima lucis erunt , fuerant quæ monſtra : ſalutis
Effera figentur iaculis : pro ſanguine lucem
Virginis ante Aram pretioſo vulnere fundent .
Nauis agit curſus pelago iactata nitorum ;

Poſt Aram Nauis,cæleſte ſidus , in qua Mahometem, & Selimum à S.Domo fugatos Sol luce deſcripſerat .

Atque minuta agitat pro lymphis ſidera remis .
Deſuper oſtentat pictos in puppe triumphos ,
Quos ibi,venturi Phœbus non inſcius æui,
Finxerat , eductis de luce coloribus . Ignes
In medijs halat Mahometes fluctibus : inſtat
Nequicquam ſocijs roſtratâ frangere claſſe
Littora Piceni , Lauretanoſque rapinis
Et ferro turbare Lares . Stat puppe Virago

Bel-

Belligeris expreſſa notis, claſſemque, Duceſque
Cum Mahomete flagellatos terrore, per æquor
Spargit, & Adriaco demergit ſuppara fluctu.
Spumat aquis mare cõmixtis cum ſanguine Thracũ,
Vorticibuſque rotatur: hiat: ſtruit vnda ſepulchrum
Hoſtibus; in multâ namque ora voragine pandit,
Facta quibus tua, Virgo, canit, quibus obruit hoſtes.

Mahometes aſpectu S. Domus extinct⁹ Tur. l. 2. c. 4.

Tu quoque connixus populari nauibus oras
Littoris Adriaci, Barathrique immittere peſtes
In ſacra Cælitibus Penetralia, perfide, pœnas
Cæde, Selime, luis. Maris horrida feruet imago;
Terroremque Ducem, bellatoremque Tonantis
Pandere ſigna Notis; ſub ſigna vocare procellas
Cernitur; Æoliaſque acies, animaſque ſuperbas
Euri luctantis, Boreæque furentis, & Auſtri.
Dente, Selime, fremis: ſpiras in imagine virus;
Et vitam effundis per vulnera mille minacem.

Selimus S. Cellæ theſauris imminens terrore incuſſo repellitur. Ex Turſ. l. 2. c. 19

At tu Virgineas auges quo lumine pompas,
Spicea ſerta gerens, Virgo? Succincta niuali
Syrmate, carpis iter, manibuſque effundis ariſtas,
Pro granis grauidas gemmis. Hinc ſemina colles
Et ſata concipient; Picenique horrea centum
Pondere nutabunt. Sic Virgo rependit honores
Virginis Hoſpitio. Grauibus circumuaga flammis,
Et libram attollens, gladioque armata cruento,
Stella pedes Aſtræa mouet. Sequor, inquit, Amoris,
Vindicis atque Iræ, peregrina pediſſequa Sedem.
Hoc diſcuſſa Loco, ſanctèque dirempta Salutis
Ingens cauſa fuit, patrono, & iudice Verbo.
Hic libratæ, æquo ſteterunt examine lances
Iuſtitiæ. Immenſo pendebat pondere Mundi
Altera peccantis, Stygiaſque ruentis ad vmbras:

Virgo ſidus adeſt S. Domus in pompa cum manipulo ſpicarum, unde fecunditas in Picenum. Aſtrea ſeu libræ ſignum: quia in ſtatera Iuſtitiæ, aſſumpta à Verbo humana natura nostris ſceleribus præponderauit.

Numinis aſt aliam, mox delabentis ab aſtris,
Preſſit onus, cælique ſuper conuexa leuauit.

Cycnus aſtrũ ante S. Domũ dulciùs cantdo non moritur.

In S. Domo à Vita deuicta mors.

Cętera quid memorem volitantia ſigna? Superbit,
Et reſono circumſtrepitat, per inane volatu,
Concolor argento, Cycnus. deſcendit in vndas,
Limina quæ lambunt: potato flumine, rurſus
Concentu melior, quamuis non fata moretur,
In ſublime volans, ab ouanti gutture cantus
Eliquat & viuit; vitalibus ignea tædis
Vita vbi regnanti mortalia vulnera Morti
Intulit ad citharam, noua bella vocantis, Amoris.

Aquila ſidus S. Cellæ imminet alis explicitis.

Hæc Iouis ad aram volans victoriam illi de gigantibus portendit. ex Na. Co.

S. Domus Regia Pacis. & belli.

Eminet ante Lares, volucres pertæſa minores,
Et ferrugineis vmbrata coloribus alas,
Alituum Regina: ſilet; tacitoque nitore
Sic loquitur: Fixere polo me ſomnia Vatum,
Quòd Iouis ante aram, Titanibus arma mouentis,
Numinis auſpicium fueram victoris, & omen.
Ara Dei victoris erit, quæ permeat auras,
Machina: Tartareis hinc mota Gigantibus arma,
Qua data porta, ruent. eadem, ceu Pacis Olympus,
Aſtra feret terris; Erebo ſed fulmina & vmbras.
Hìc Deus, è toto cumulatis Orbe trophæis,
Deſcribet flammis & pectoris imbre cruenti.
Hæc ſpolia è victis Barathri prædonibus ardent.

Imperator S. Euchariſtiæ pompam ſequens nudo ſub ſole capite.

Has inter Stellarum acies pedes ibat aperto
Vertice Sol, fruiturque die quem Regia lucis,
Alma Domus profert. & maieſtate remiſsâ
Dum graditur, ſimili graditur Clementia paſſu.
Non ſecus Auſtriacus ſacra per ſolemnia Princeps;
Dum Numen donis velans cerealibus ora
In pompam effertur, fulgenti deſuper vmbrâ
Pegmatis aurati velique plicatilis; vrget

Ver-

Vertice iter nudo ; licet ignis depluat imber
In caput auguſtum,circumque infraque ſupraque
Auſtriacum Solem Sol vulneret . Hic pia verſans
Vota, calet ſtellis quà cerea ſemita ſacris,
Iactat corde faces , animatque incendia vultu,
Solis & ardores Sol maior temnit & iras .

Sol Verbo magiſtro doctus, ſe corâ lucere ſidera non dedignatur .

Virginis ante Domum Sol ergo incedit : Olympi
Purpureus Cæſar dat iura ſequentibus Aſtris :
Nexa choro vultu recreat , placidoque recepta
Luminis amplexu , radiantibus implicat vlnis .
Præuenit occaſum : ſtellis heredibus aurum
Non donat moriente die : dat ſiſtere coram :
Lumine dum viuit , decus & viuacia frontis
Fulgura largitur , Regnique illuminat oſtro .
Illius inuidiâ non pellitur aurea pubes .
Non habet hanc maculam liuoris Cynthius vnam .
Sidereæ patitur ſecum commercia lucis ,
Numinis exemplo , iubar immortale quod vmbris
Coniunxit noſtris in opaca Virginis aluo ,
Vnde viri traxere faces & in aſtra migrarunt .
Ergo ſibi Stellas in fœdera nectit honoris,
Et diſpenſat opes , & carmina fundit Apollo .
Cantibus harmonicæ , reſponſant Sidera, Muſæ,
Et tremulâ Solem comitantur luce choragum .
Ille lyram , non ſceptra manu radiantia tollit :
Et canit . Vna Domus terris dominatur & aſtris;
Imperioque animos, & Relligione coërcet .
Hic Amor , ex antris ſcelerum , trahet effera corda
Muſicus & fidicen.Fremit ira ? domabitur. ardor
Turpis auaritiæ puras penetrabit in Ædes ?
Ardor amoris erit , ſitis intemerata ſalutis .
Excubat ambitio foribus quæ cæca potentum ,

Sol Deus , vt cum ipſo , & ex ipſo, velut aſtra, luceremus, diuinum iubar Domus humilitate, carniſque nube temperauit

Sol ad citharam cānit futura S. Cellæ prodigia.

Ab ea domādas animorū affectiones vaticinatur .

Digitized by Google

Veſtibulum intrabit? mox egredietur honorum
Transfuga. Diſtrictum geret implacabilis enſem
Liuor, & horrificum ſtillabit ab ore venenum?
Effluet in rorem, liuoris vena: columbæ
Induet ingenium coluber; ſpiraſque, decoras
Iridis in torques, in cantus ſibila vertet.

Dona ad illã innumera vndique deferẽda.

Vera cano. Solem quis vatem dicere falſum
Audeat? Vndantis Domus hæc erit alueus Orbis:
Integra Regna fluent, populorum fluctibus aucta,
In mare quos Mariæ, cum tempeſtatibus auri
Gemmarumque, Auſter pluuij deuoluet amoris.
Sic vagus erumpit Ganges: ſic diues Hydaſpes
In mare, flauentes, pretioſa tributa, procellas
Egerit; exundatque nouis pretioſior vndis.
Vera cano. Solem quis vatem dicere falſum

Stabilem ſine fundamento futuram, veluti terræ machinã, quæ ex aquis primùm emerſit coronanda ſtellis, & arboribus induenda.

Audeat. Hæc nullo fundamine nixa, Tonantis
Fulta manu, ſtabit, quæ cæli ſuſtinet axem.
Sic erit immenſi ſimulacrum paruula Mundi.
Scilicet hic, merſus latè ſtipantibus vndis,
Mole ſuâ hærebat: mox æquore natus aquarum,
Iuſſit arenoſo vallari carcere fluctus;
Suppoſuitque coronali capita humida luci.
Excluſit pelago volucres, & germina campis:
Incubuit non fundatus ſibi totus; & omnes
Fundauit latè populos, elementaque dorſo
Par oneri; magnumque ſibi ſine pondere pondus,
Portitor ipſe ſui. ſic parua Domuncula Ponto
Eruta munifico Mariæ, redimitaque cælo,
Se reget, & totum vectaria fulciet Orbem.
Carmine venturo ſic præludebat honori
Phœbus, agens choreas, ſeſeque excelſior ibat.
Taurus ſidereâ dum fronte igneſcit & irâ;

In-

Indocilíſque iugi dum cornibus aſtra laceſſit,
Sol ferit hunc radijs. E vulnere profluit ignis,
Vitalique iterum viuax è funere ſurgit.
Proximus huic Aries gemmato vellere fulget,
Sol etiam radijs rutilo quem ſauciat ictu,
Et pro ſacrifico ſtellata fluenta cruore
Proijcit ante aram, Cellamque Tonantis inundat.
Haud aliter Dauid, abiectâ cyclade, Apollo
Sanctior Iſacidum, greſſu exultante, citatis
Pectebat citharam digitis, cantuſque liquabat
Præuius ad ſonitum. Sternebat ſanguine taurus
Ariete cum foſſo, regalis victima, campos,
Quà populi plauſu, quà corde, Sionis ad arcem
Arca ferebatur, palmetum ductile cæli.

Sol ante Domum Taurum & Arietem cæli aſtra ſacrificat, fundentes è vulnere pro cruore fulgores. Dauid bouem ouem, & arietem ante Arcam immolabat in via. ex l. 2. Reg. c. 6.

Pone lyram fidibus radiorum, Phœbe, canoram.
Cantibus Aligeri mulcent melioribus auras.
Luciferi Michaël iugulati haud immemor, alis
Quem leuis ambitio leuat in ſublime, volucres
Subijcit ipſe oneri pennas, meliorque ſuperbit
Virginis obſequio. Dextrum latus erigit Ædis.
Aëre dum pendet dorſoque immobile pondus;
Paciferi & Pacis Superi dum iuſſa morantur
Ponderis ad motum; tali ſua prælia cantu
Militiæ recolit Princeps, ſtellaſque vagantes
Eſſe iubet fixas mirâ dulcedine vocis.

Michaël ſignificat: quis vt Deus. Michaël canit Draconẽ Stygium à S. Domo deuictum.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XIV.

ARGVMENTVM.

Michaël, Gabriel, Raphael, & Vriel, dum S. Domum *alis imponunt, ſuis cõſonos nominibus cantus edunt. Michaël canit in ea relatas à* Deo *de Luciferi ſuperbia victorias: Gabriel diuinum Verbum in eadem corporatum: Raphaël mortem à Ioſepho ibi moriente deuictam: Vriel Deiparæ ardores, auctos per filij ſui ibidem creſcẽtis myſteria.*

4. notiorum Angelorum cantus.

CEruicem indomitam cum Dite Superbia flecte:
Cede Deo. Quis vt Omnipotẽs, qui frenat Auer-
Frena remordentem, colluctantemque catenis! (nũ,
Quos gero frõte, Lares, & fortia caſtra Pudoris,
Vix Numen ſubijt, pharetratum corpore, & oſtrum
Sanguinis erubuit, rubicunda phalarica belli;

In vtero matris tamquã in arce caſtra metatus eſt Deus. S. Zeno Mariæ aluus Solis æterni bellica nubes Conculcabis leonẽ, & draconem pſ. 90. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis &c.

Cum ſubitò tremuere acies Phlegethontis, & arma,
Arma inclamarunt; atque in ſua damna ruentes,
Virgineam obſedere Domum. Sed conditus aluo
Belligerante Deus, nemorum velut abditus vmbris,
Sontibus inſontes vmbrarum ciuibus aſtus
Condidit: occultâ latuit ſub nube Parentis;
Telaque contorſit non irrita lucis in hoſtes.
Corpore vallatus, maiorque gigantibus Infans,
Virginis è gremio, ſinuantem terga Draconem,
Difficilemque mori per vulnera multa Leonem,
Non face fulmineâ, gladioque timendus & haſtâ;
Sed pede compulſos in Tartara deturbauit.
Huius & ille Domus per opaca foramina palmam

Mi-

Miſit, & eliſit colubros : ingentia paruâ
Colla manu preſſit : magnuſque in Virgine victor,
Æthere de ſupero reuolutum , ex Æthere rurſus
Materni bellans vteri , ſub opaca Gigantem
Magnus auernalem Pupus penetralia voluit.
Ille etiam rapuit raptori ſpicula Diti :
His aciem retudit ſaxis ; acieſque ſuperbas
Perdidit ille nouis humili de Sede ruinis.
Et quis vt Omnipotens ! Hìc irretitus Amoris
Retibus; hìc fabricans, Mariæ prope littora, nidum
Venator , volucer , prædator , præda , fugaces
Captabat pedicis animas , pandebat & alas ;
Vt toto celeres excluderet Orbe volatus ;
Ocyor & ventis , aquiliſque ſecantibus auras ;
Serpentum ad prædas, Harpyarumque rapinas :
Hoſpitis ingenium ſeruat Locus : euolat ales
Ipſa Domus , Domini curſus imitata volucres :

Chriſtus aquila è nido S. Domus ad prædam volans. Ex eo dicit volare Domus.

At Gabriel ,cui læua Ædis pars altera pennas
Prægrauat auratas , iucundo pondere gaudens,
Reddidit alterno Michaëlis carmina cantu .
O mihi poſthabitis , inquit . pretioſior aſtris ;
Parua , ſed immenſi diuina colonia cæli ;
Dulce onus Aligerûm; caſtrû è quo Gratia pugnat;
Machina muralis ; bellorum vinea robur ,
Qua mouet aſtra aries, Superûm cui mœnia cedunt.
Omnes exuperas , dum colligis omnia, laudes.
Tu vitæ Thalamus;ſcelerum mortiſque ſepulchrum:
Tu currus, cui ſtellati carpenta Bootis
Inuideant : tu ſcena Dei ſpectacula dantis ;
Illum è ſideribus dum machina traxit Amoris .
Aſtra faces, ſcenæ tibi ſunt proſcenia tellus ;
Siparium nubes ; cælum ſpectator & Orbis .

Vinea bellicum inſtrumentum, quo protecti milites muros ſubruunt .

Actores.

Acto-

Digitized by Google

Actores, humana Deo Natura cohærens
Connubio ſtabili, Regi Regina; cothurno
Paupertas innixa graui, nil indiga cultus,
Diues, & abiecto matrona potentior auro;
Maieſtas, & Amor; Spes, & Formido, Fideſque
Velo tecta, terunt hæc pulpita. Regia geſtum
Hic facit immotis veneranda Modeſtia palmis.
Muſicus obloquitur numeris, & ſpiritus oris
Diuini, reſonante tubas Amor excitat aurâ,
Organaque & lituos in dulcia murmura nectit.
Mutatio ſcenæ. Gratia Virtutes iubet exultare choreis,
Cælituum Charites: ſcenam Demiſſio vertit,
Quæ varium patefacta refert vultumq;coloremque,
Scenæ varietas. Ignes, & nebulas, & amœnæ fulgura lucis.
Nunc rubet ore Pudor: Candoris teſſera malis
Variæ Deiparę virtutes Turbata eſt in ſermone eius. Virginis igneſcit: nunc pulpita Pallor opacat.
Nimirum dum Virgo timet: dum concipit vmbras
Sacrati horroris vicinâ è luce profuſas;
Aligeri formâ & dictis dum territa pallet;
Dum calet arcanis flammis, & purpurat ore,
Scenæ multiplici variant ſpectacula vultu.
Quid memorem nodos, & ſacri Seria ludi?
Sol in nube latet: meliùs patet inde ſed idem.
Detegitur; pulchro tegitur dum corpore Verbum.
Vilibus è membris maieſtas pulchrior ardet:
Alligat in nexum Pietas æterna perennem,
Æterno quæ confligunt contraria bello.
Scilicet illa hominem,Numenque in dulcia ducit
Narrat Gabriel quid acciderit in Verbi diuini cōceptu. Vincula. Mors Vitæ, diuina Opulentia noſtræ
Nubit egeſtati:breuiatur in omnia fuſus:
Fit miſer ipſe Deus, Mundi ſors vnica, felix
Sê ſolo, ſemperque potens, sê maximus vno,
Maior

Maior humo cæloque, gigas & paruulus infans,
Telo deuictus mortis, mortiſque redemptor,
Pauper diuitijs, & paupertate beatus,
Captiuus liberque, & libertatis origo.
Ductilis has rerum formas hæc ſcena recluſit;
Tantaque ſunt oculis miracula credita noſtris.
Vidi ego cum celeres metitus in aëre greſſus,
Nuncius hanc Ædem ſubij, Dominamque Salutis,
Voce pauens, iuſſi ſaluere; adamantina cæli
Limina diſrumpi; diſcedere prælia terris;
Mulceri ventos, tranquillarique procellas.
E ſpe pendentem vidi, & formidine Mundum;
Omnia pernices ſuſpendere ſecula curſus,
Momentoque vno pendere, quod omnia vincit
Secula, in æternos dum latè extenditur annos.
Aſpexi Manes Famam deſcendere ad imos;
Antiquum genus Heroum, Fideique Senatum
Lætitiæ ſentire nouos in pectore motus,
Et tria diſſimili compleri Regna tumultu.
Cum ſubitò ſuſpirarunt Stygis antra dolore;
Cerberus exurgens vlulauit; cornua fregit
Collectis Acheron riuis. Dum palpitat Orcus;
Riſit humus: nubes patuerunt: fuſaque lucis
Nubibus è ſuperis tempeſtas irradiauit.
Merſa Domus radijs, velut imbribus arca Noëmi, *B. Virgo diuinæ columbæ alis inumbratur, vt concipiat.*
Excepit non dimiſit per inane Columbam.
Tæda maritalis, pro fronde virentis oliuæ,
Illius ardebat roſtro, luxuque nitorum
Vibrabat ſine nube dies, ſine funere Soles.
Lux erat vmbra; ſed innumeris fulgentior aſtris;
Splendidè inumbrabat niueæ qua Virginis aluum;
Vt diſcluſa viro, nil tacto poſte Pudoris,

In-

Integra conciperet, multoque abſcondita Sole.
Vmbra erat alarum: ſed ab alis emicat ignis,
Alæ eius alæ ignis. Queis volat ignis Amor. Rutilo quæ contegit igne,
Detegit vmbra: eadem quæ ſparſa refrigerat, ardet.
Sic fecundauit fecunda Columba, ſinumque
Impleuit radijs & opaco lumine: Veri
Miſcuit Autumnum, floreſque & poma ligauit.
Dum flagrabat Hyems; tenero dum pollice flores
Floridus Autumnus, dum Ver noua poma legebat;
Cælum, Terra, Puella, Domus (mirabile dictu)
Dum refrigerio ſuperi calet ignis & vmbræ;
Aligerûm fax alma Deus; Deus ille Parente
Non minor Æterno; de lumine lumen; Imago,
Luminis ingeniti depicta coloribus; auctu
Patris ab immenſo Soboles immenſa, calentis
Igne ſuo Natique ſui, ſimilique calore
Æquæuum cum Prole ſibi ſpirantis Amorem;
Ille Deus, ſibi Vita, heres, ſibi tota Voluptas,
Qui ligat amplexu, fugiunt quæ deuia mentem,
Tergeminus, ſoluſque; Vigor, qui permeat Orbem,
Æquoreaſque plagas, ſuperi confinia Mundi;
Facta infecta replens, opulentia diues honorum,
Eloquar, an ſileam? diductis labitur aſtris,
Contrahiturque Deus; ſeſeque recolligit vno (Est.
Virgineæ Matris gremio; & Verbvm Caro Factvm
Virginis in gremio tamen ampla incendia cordis
Dilatat contractus Amor: nudatus, inermis
Arma, ſagoſque parat. Fornax ignita Puelli,
Arma parantis, eras, cælesti ardentior Ætnâ,
O dilecta Domus, quam corde amplector & alis;
Vt pennis, calidoque nouas in corde fauillas
Concipiam, & fortes inter fortiſſimus omnes
Arma

Arma feram Gabriel,vis & munimen Olympi.
Pars extrema Domus, quam lumine veſtit Eoo
Sol oriens, dorſo Raphaelis inhæret. hic alas
Explicat in pondus, ſoluitque in carmina cantus.
Cara peregrino, Domus ò peregrina, ſalutis
Aligero! Medicina Dei, medicamina Mundi
Defero.in hac cælum ſua pharmaca ſeruat.ab Angue
Saucia Tænareo, pollutaque corda venenis,
Huc properate: luem, peſtes, aconita vometis.
Hinc Aſmodæus, fumi caligine merſus,
Corde flagrante, fugit flammis vltricibus; & ſe
Cæcus Tartareis pauitans in vallibus abdit.
Aſpice: victoris Domus hæc veſtigia fumi
Seruat adhuc, nebulâque latet bellator opacâ
Sol amor,& radijs è nube flagellat Auernum. (bos:
Quęre tuas,Mors cęca,vmbras; preme carcere mor-
Omnibus hæc morbis Domus vna medebitur. ite
Indomitæ febres: veſtros hic ignibus ignes
Vincet Amor, bona flamma.ægris hic punica florẽt
Mala, coronato quæ ſtillant vertice ſuccos.
Peſtis cede procul, mortis quæ paſta cicutis
Creſcis in exitium populorum: hic pupula lallat,
Vberibuſque, Salus, vitæ lac pendula ſugit.
Quęre tuas Mors cęca,vmbras:preme carcere morbos.
Virginis hic, Puerique Dei præſentia Mortem
Vicit, & extinxit vitali funere Ioſeph.
Lectus arena, vigor languor, victoria Mortis
Mors erat, arma Deus cum Virgine, Vita duelli
Spectatrix, Domus hæc Circus,Superique ſequeſtri.
Iamque dies aderat certaminis vltima, vitam
Diuinæ Ioſeph Vitæ qua poneret altor.
Deuolat,æternis demeſſis protinus hortis,

Virgi-

Gabriel fortitudo Dei. Raphaelis cantus. Raphael medicina Dei. Aſmodæus dæmon fugatus ab Angelo Tobiæ comite cordis fumo eruti è piſce. ex Tob.c.6. Canit Raphael morbos à S.Domo depellendos. S.Domus vinea, vbi mala punica ægrotis ſalubria floruere Cant 6. Poſt reditum ex Ægypto Caniſius cum Bapt. Mantuano cenſent in hac eadem Nazarea Domo Virginem cum Ioſepho & Chriſto habitaſſe. Suar. in 3 p. q.30. In S. Domo Ioſeph moriẽdo inter Chriſtum, & Mariam, authores vitæ, mortem vicit.

Digitized by Google

Credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimũ in Virginitate. S. Bernardinus.

Virginitatis forma ſub nube latentis, ne à Morte videatur.

Accedit ad lectum Mors. odore florum nutat & cadit.

Virginitas, calathiſque roſas & lilia defert,
Quæ Morti mortem folijs redolentibus afflant,
Æternùmque virent. Florentem in vertice virgam
Extollit Regina manu, qua funera pellit,
Inſinuatque animis per dulcia verbera vires.
Virtutum ſtipata choro, morientis in Ædes
Deſcendit, floreſque iacit, Mortemque moratur
Sub nebula. Venit illa virum meſſura: ſed auram
Sentit vbi florum, dubiâ vertigine nutans,
Concidit. excuſſæ in terram ſuperadſtitit enſe
Virginitas immortalis, iugulumque petiuit
Ferro & voce. Pedes temeraria verte: quid audes
Spargere tela, mei quæ frangunt ferrea flores?
Non Pudor arma Necis pauet incorruptus. odori
Ni cedis, iam promo faces. Mors territa ceſſit:

Ioſeph mortẽ amat, & mori timet, ne Ieſu, & Mariæ linquat amplexus.

Virginitaſque toro, & Puero cum virgine Virgo
Succedunt. Ori Puer applicat ora Parentis;
Virgo manus capiti. Quænam diſcrimina talem,
Quę mala perrumpant vallum, & munimen Amoris?
Os Verbi, Matriſque manus! Non Tartara, nõ Mors
Has vnquàm penetrabit, Amor quas condidit, arces.
Coniugis & Pueri manibus, velut aggere cinctus,
Addubitat, quid amet, vitamne, an funera Ioſeph?
Fata placent: at morte timet diuellere caſtos
Coniugis, & Nati nodos. Condita Puelli,
Et Sponſæ vultû, vita eſt iucunda. receptum
Sed Natura canit: Naturæ aſt aſſidet auctor,
Atque Hera Naturæ cæleſtis Gratia. Cælum
Num quærat per fata? Deus, diuinaque Virgo,
Dum placidè inclinant morienti lumina, Cælum eſt.
Cura laborque monent, vt morte quieſcat: at vlnis
Matris, ait, Puerique Dei, dum viuo, quieſco.

Sola

Sola quies hæc eſt; ſi creditur altera, quæram.
Lumina clauduntur; reſerat ſed lumina rurſus.
Momento clauſiſſe dolet; rurſuſque Puelli,
Et beat aſpectu nutantia lumina, Matris.
Virginis & Pueri dum lecto lacryma gemmat,
Torquet auarities moribundi pectus: An, inquit,
Diuitias moriendo meas, mea dona relinquam?
Nate, doce: quid agam? noſtram Sol dirige mentẽ.
Sponſa doce; quid agam? tu noſtris Luna tenebris.
Tunc ambo ſuaſere mori, quò ſola doloris
Pocula ſorberet Genitrix in funere Nati.
Vade, ait illa, mei cuſtos intactæ Pudoris.
Vade, ait ille, mei comes indefeſſe laboris.
Tu me ſurgentem perituræ lucis in auras,
Reptantemque ſinu, palmis atque ore fouebas.
Reddo vices: te ſtringo ſinu, dum naſceris auræ
Luminis æterni. Captabas ſæpè gementi
Tu mihi næniolâ ſomnum. non mortis imago,
Sed mors ipſa tibi, captatus carmine noſtro,
Somnus erit. Mecum Virtutes dicite. Ioſeph,
Matris amor candorque meæ, mea lilia, cuſtos,
Atque Pudicitiæ cultor, ſeruauit in hortis.
Ille reclinatum ſtipulâ me primus agreſti
Vidit, & incubuit ſuper ora trementia vultu.
Incaluit prior ille meo tunc frigore; frigus
Dum tepidâ noſtrum pellebat pectoris aurâ.

Ioſephi vox dubitantis vtrum amplexus Ieſu, & Mariæ morte diuellat.

Puer & Mater Ioſephum hortantur ad mortem.

Puer Ioſephi erga ſe merita recenſet.

Impulit vt primis Puer his concentibus Ædes,
Carmine reſpondet reſonò Patientia. Ioſeph
Tu Puerum premis ad pectus, ſiluaſque Canopi,
Antra habitata feris, Nilique iacentis arenas
Exul adis, nullâque fugis formidine regem;
Dum regum amplexus Regem, pro millibus armis,

Canenti puero Ioſephi laudes Virtutes concinunt. Patientiæ cãtus.

Mil-

Millibus & clypeis, Puero munitus ab vno,
Fortior atque fugâ, victorque incedis, Amorem
Facundus comes eſt pro vehiculo in via. Adag.
Ipſe vehens, vectuſque. Dei Facundia Verbum
Currus erat, ſociuſque viæ. Te monſtra ferarum,
Saxea ſigna Deûm, deiecto vertice adorant.
Non colit Herodes: ſaxis erat omnibus vnus
Durior atque feris, feritate ferocior ipſâ.
Ioſeph altor Dei.
Qui matutinis nutrit ſudoribus agros,
Tu ſudore Deum paſcis: non frigidus ergo
Inficiat furtim morituri tempora ſudor.
Ros eat ambroſiæque liquor languentis in artus.
Paupertatis cantus.
Conſonat huic tali Paupertas carmine. Ioſeph
S. Bernardinus, & alij aſſerunt Ioſephum fuiſſe legitimũ Dauidici Regni ſucceſſorem. Dauidi comparatur.
Tu Solymæ Regnator eras, & regius heres.
Aſt vbi ſceptra, domus regali ſplendida luxu,
Diuitiæ, ſolium, maieſtas, agmina, Regnum?
Ipſa tibi ſolium fueram, domus, agmina, Regnum,
Omnia Paupertas. hoc Regibus omnibus vnus
Maior ades, quia Regna teris. Dauidica proles,
Et magno maior Genitore, potentiùs ornos
Mouiſti, cedroſque rudes, quam militis agmen.
Populus vna dolata tuâ, Rex maxime, dextrâ
Plus eſt, imperio populos quam flectere. ſerra
Chriſtus lapis Dauidis in funda. ex S. Pa. Eph. 2.
Aſtra tuæ reſerat famæ. ſine diuite pompa
Exnperas Dauidis opes & fulgura Regni.
Ille rotans ſibi Fortunam, dum funda lapillum
Torta rotat, ſalit in ſolium, ſternìtque Gigantem
Pro ſolij gradibus. Lapidem tua dextera geſtat,
Cui lapis ille fuit Dauidicus vmbra. Tyrannum
Deijcis hoc Stygium: ſuper æthera ſurgis honore.
Ille manu potuit diſcerpere monſtra ferarum:
Crimina tu laceras. coluber, baſiliſcus, & aſpis,
Tartareuſque leo Pueri dum palpitat ictu,

Quem

Quem geris in gremio, Puer eſt diadema parentis,
Cum patre qui vincit. Portentum grande laboris,
Et Dauidis opus conceptum mente; ſed auro,
Et gemmis partum Salomonis, & omnibus vnum
Grandius an Templis Templum miraberis? Ædis
Vnum virgineæ ſaxum, later vnicus omnes
Vincit opes Solymi Templi, quod marmora, montes
Aureaque exhauſit laceratæ viſcera terræ.
Si Virgo in dotem ceſſit, patriumque Cubile;
Cum Dauide tibi Salomon, tibi cedit auorum
Gloria, diuitijs & partis clara triumphis.

Conditum Templum Salomonis impenſis. paral. c. 29 Nazarena Domus, vbi moritur Ioſeph, pretioſior Templo Salomonis.

Cantibus his lento repebas, ſomnule, greſſu.
Iamque natant oculi: prohibet tamen ille ſoporem;
Ne Pueri, & Matris ſua paſcere lumina viſu
Deſinat. euigilat rurſus, rurſuſque repellit
Pupillæ ſomnum hoſpitio: certamine amicum
Hoſtem ſollicitat dulci, redit ille: tueri
Se clauſis oculis, clauſa velut arce laborat;
Donec compoſuit iucundo carmine bellum
Virginitas; clauſitque oculos, pro morte beatum
Artubus inducens per lumina clauſa ſoporem.
Vade, ait illa: meis, ò Cycne, niualibus alis,
Candide, ad obſcuras Patrum te defero ſedes.
Vicinos cane voce dies, auroraque Solem
Eſſe meo doceas, Ioſeph, candore propinquum.
Virginitas flos eſt fructus, qui, Vere ſereno,
Nunciat Autumnum. tu, flos intacte Pudoris,
Virginei fructum ventris, pubeſcere ſucco
Sanguinis, in patrijs oſtende Penatibus; altâ
E Crucis in meſſem donec dependeat vlmo.
Dum canit hæc, oculis tenebras errantibus haurit,
Serpentemque bibit pulchrâ in caligine mortem.

Virtutum ad cantus incipit dormitare.

Denique dormit Virginitatis ad cantus, & hic ſõnus Ioſephi mors eſt.

Defuncti Ioſephi ſpecies viuida, & ſerena.

Sed Mors ipſa fugata fugit morientis ab ore;
Et vitæ ſpecies, & viuida mortis imago,
Vndabunda genas perlabitur: ipſa liquatur,
Et fluit in malas riuo rutilante venuſtas.
Sparſa verecundis floreſcit gratia membris;
Vitaque viuaci mendacia fronte colorat,
Illuditque neci. Senio ſociata iuuentus
Arua roſis violiſque ferit; pallorque nitorque
Fœdere iucundo vultu miſcentur in vno.
Sic obitus ignarus obit. falx horrida Mortis

Virga de radice Ieſſe in hac Domo floruit.

Inſcriptio è textis florib⁹ Nazarenæ Domus in foribus.

Ioſeph Vitæ cultor, hoc eſt Christi.

Non florem ſecuit; decuſſit virga Pudoris,
Inſitione parit viridi quæ germine vitam
Non ſine vulneribus: ſed flos è vulnere turget,
Atque notas flexus tales in limine ſignat.
Hoc morere infelix, ſcelerum Mors pœna, Cubili;
Siue Chaos pete cæca tuum, tumulanda tenebris.
His Laribus Vitæ cultor ſudauit Ioſeph:
Suffecit ramos vlnis, amplexibus vmbras,
Luminibus pluuias, fecundum corde calorem:
Impendit culturæ animam. Nunc arua dedere
Vitæ cultori vitæ, per funera, fructum. (bos.
Quære tuas, Mors cęca vmbras: preme carcere mor-
Agmina nil poterunt morborum, morte fugatâ.

Caſimirus Poloniæ Rex à lethali febri per Lauret. Virginem liberatus.

Soc. Ieſu veſtibus indutus Lauret. ſacellum primùm inuiſit.

Quid ſpem Sarmatiæ Caſimirum, perdere bellis
Quem nequis, aggrederis venarum extinguere tabo?
Non impunè febris per operta vagabitur ardor:
Diffugiet; meliorque ſinus implebit amoris
Flamma, rebellantum calidas qua comprimet iras.
Fortior abiectis armis, & veſte nigranti
Clarior, hanc veniet cæli famulantis in Aulam;
Pauperies cui ſyrma feret; Mundique ſuperbum
Neglecti fuga ſternet iter. Diadema Suecum,

Im-

Imperijque aquilas cognati, ſceptraque Dacûm
Eriget anteuolans Demiſſio regia: palmas
Præferet innumeras, velata Modeſtia vultum.
Ille paludatus panno, poſitâque verendus
Maieſtate, Domum, ſolium regale Tonantis,
Ingreſſus, Regno diſcet regnare relicto;
Et ſacrâ rutilare vmbrâ; & centone, capacem
Multis Imperijs cæloque, abſcondere mentem.
Proh ſcelus. è Vitæ digreſſum Sede, laceſſit
Inuida Mors: armis facibuſque armata malignis,
Vrget magnanimos in fata nouiſſima ſenſus.
Vt leo, diſcuſſo per colla comantia crine,
Infremit ore, oculiſque ardet; dum febris adurit
Intrepidum furibunda latus: tamen ille dolores
Edomat indomitos; totis proſternitur armis,
Erectâ virtute; toro ſic ſtratus acerbo,
Se ſuperat, curaſque premit Caſimirus: & æſtus,
Quos febris immittit, diuinæ conſona Menti
Atque Voluntati, mens temperat: ardor in oſtrum
Regnatoris abit; lecto compoſtus, auito
Vt ſolio dominantis, habet ſua ſceptra, ſuoque
Se regit imperio: frenat Virtute dolorem:
Territat & Mortem vultu moriturus eodem. (bos.
Quære tuas mors cæca vmbras: preme carcere mor-
E feretro Virgo Caſimirum vellit: in ortum
Imperat è noſtris lacrymis exurgere Solem
Thracis in exitium Lunæ; Mundoque redonat
Threijcijs ferale iubar, noctemque minacem
Sidereæ frontis radijs, & fulgure ferri.
Vix ſe proripuit ſtratis, & Virgine fultus
Fixit humi Princeps dubio veſtigia greſſu;
Cum ſubitò tremuere lacus Acherontis & antra.

Laureti grauiter ægrotat

Caſimiri in morbo patientia.

Voto nuncupato è morbo, & è morte à Laur. Virgine liberatur Omnia hiſtoricè.

Dolet ſuorum malorum præſaga Hæreſis perſanatum Caſimirum. Fit Rex, & in hoſtes ſtrenuè belligerat.

Quem poſuit pallor Caſimirus, protinus ora
Hæreſis infecit : colubris, capitique ruinam
Illa ſuo timuit : pedis inſuperabile pondus
Senſit, ab infernis iam tunc exterrita valuis .
Attonitam non falſa tenet formido. coronam
Induit & galeam Caſimirus : ſceptra , feroceſque
Extulit in monſtrum gladios : vigor omnis,in artus
Qui redit,in Regnum,magnoſque refunditur auſus.
Excutit è ceruice iugum fera Moſchua , & atram
Quaſſat in arma facem : Scythici ruit vnda furoris,
Sarmaticaſque niues tepefacto ſanguine ſoluit .
Millia quadringenta cadunt primo impete belli :
Mox creſcit furiale malum, arctoumque rigorem
Ignibus inuoluit Furiarum : ſacra profanis
Miſcet in excidium : rorant diuulſa per agros
Membra Sacerdotum : fidei compage ſolutâ ,
Ciuibus heu miſeris rumpuntur vincula vitę .
Addere funeribus noua funera parcite, monſtra:
E toto prædam cumulatam linquite Regno .
Virginis aſtra tonant ; vno vos fulmine Virgo
Protinus externat, quod iuſtam inflammat in iram;
Laureti dulces flammas dum fundit amoris,
Irarumque faces . Diffracta nube dolorum ,

Caſimiri vox ad rebelles : Rex ſum. Vincit hoſtes innumeros ſola voce, cui Virgo pondus dederat. ex hiſt. Pol.

Euolat in bellum Caſimirus : fulminat hoſtes
Non ferro, ſed amore : tonat : Diſcedite caſtris :
Ponite tela , Duces , & coniurata ruinis ,
Agmina , Sarmatiæ . Regnat Caſimirus : & vnus,
Vel quæ fingit Amor,vel quæ furor, arma miniſtrat.
Quid mecum certare odijs , belloque paratis ?
Vertere quid Regnum,me Rege? & munere partum
Sanguineis venale vndis exponere ? Regnum,
Si iuuat, abijcio : ſed me priùs ipſe relinquam ,

Quam

Quam,quod deuoui Patriæ,cum ſanguine, ferrum.
Cedite vel ſceptro; vel ferro cedite. Amoris
Prælia ſi proſunt, pugnate & vincite. ſolus
Exarmabit Amor Caſimirum. Solus inermes
Iunget perpetuo deuinctas fœdere palmas.
Vicit io: populi furias vox vnica preſſit:
Horrida Auernales Diſcordia fugit ad vmbras:
Et quæ nutabat, regalis pondere vocis,
Conſtitit extemplo diuulſi machina Mundi.
Scilicet exanimi hæc à Virgine reddita Regi,
Cuius ab ore ruens inuictæ ſyllaba vocis,
Terrore inſolito populum tremefecit Auerni,
Traxit & innumeras in cæli fœdera gentes. (bos:
Quære tuas Mors cæca vmbras:preme carcere mor-
Frange arcum,& pharetras.oculis quę ſpicula vibrat
Virgo, ſalutis habet tua contra vulnera ſuccos,
Ambroſiæque imbres, vitæ quos exprimit arbor.

Virgo etiam duabus ſyllabis: fiat: omnia pacauit.

Infelix Sophoniſba, truci malè iuncta ſodali
Ingenti quamuis ſcelerum ſub mole laboret,
Attamen vrget iter; ſeſeque ad Virginis aram
Siſtere dum læto meditatur victima luctu,
Subdolus inſequitur comes, & nil tale timentem
Expoliare parat gemmis, animâque, Deoque.
Diſſimulat,crimenque tegit. Sophoniſba dolorem
Non tegit: in ſiluam,curis confecta, profundam
Se rapit ad lacrymas. Longa ex ambage viarum
Hìc, inquit, conſiſte dolor, quà protegit arbor
Crimina noſtra,nigroq; animo fit concolor vmbra,
Vna, viatrici requies, ſit cura: ſequemur
Mox iter inceptum. dolor ò dolor excute pectus,
Et lacera: ſiccare iuuat mea vulnera lymphis,
Lumina quas fundunt: iuuat his emergere fundo

Sicula mulier à latrone ſocio itineris iugulata à Laur. Virgine, quam petebat, mirè ſanatur. Omnia ex Turſ. l.3. c.28.

In itinere ad ſiluam ploratura diuertit.

Venetijs vulgato corpore queſtum fecerat.

Æquoris impuri, quod amantibus explicat vndis,
Scylla libido animi, pelagoque doloſior omni.
Stella procellarum domitrix, me reſpice, Virgo;
Ad Sedes dum mœſta tuas feror exul ab aſtris:
Me tege iactatam curis, lacrymiſque natantem.
Tu mihi portus eris: niueos da cernere vultus;
Atque tuis niuibus maculas abſcondere noſtras.
Peccaui. timor exterret: me ſiſtere coram

Spem inter, & metũ fluctuat,

Horreo, Virgo. metum ſpes effugat: audeo, Virgo.
Paruula vt immenſo ſuperatur guttula Ponto,
Sic tua criminibus Pietas ſupereminet. imo
Erige te, Sophoniſba, mari: ſpem concipe dignam
Virgine, ſpes omnes quæ Mundi lactat eodem
Vbere, quo Numen; gremio quæ ſuſtinet vno

Poſt breuem in ſilua quietem iter proſequitur.

Iuſtitiæ ſolium, & ſolium dominantis Amoris.
Hæc ait; abruptos maturat & incita greſſus.
Dum furijs, comes Eurytion, comitantibus, ibas,

Latro in fœminam ferro irruit.

Non eadem tibi mens aderat. ſtimulatus Auerni
Verberibus, moliris iter: fera peſſima, ſiluam
Nactus ad inſidias, aurique libidine cæcus,
Virginis, in fidei pignus, quod deſtinat aris
Infelix Sophoniſba, ruis malè fidus; & enſem

Timet illa ne moriatur ſceleribus confeſſione non expiatis.

Exeris in vulnus. Gladium magis illa Tonantis,
Atque vno geminum celari vulnere vulnus,
Æternamque pauet, ſcelerum ſibi conſcia, mortem.
Lumina, cor, palmas, vocemque ad ſidera tollit.

Fœminæ timentis vox.

Hæc, pia Virgo, tuas quæ ſemita ducit in Ædes,
Non me Tartareas, inquit, tranſmittat ad oras.
Infelicem animam, ſcelerumque heu pondere preſsã
Præcipitemque, manu, quæ ſuſtinet omnia, ſiſte.
Dixerat. At furi furor additus; inde capillos
Implicat attonitæ digitis; & pectora ferro

Per-

Perfidus inuadit, lapſantem in ſanguine cernit; *Vulneratur.*
Exanimeſque oculos viciná morte rigentes.
Non tamen abſtinuit: magis æſtuat imbre cruoris.
Ira furorque ſemel ſi pronis fertur habenis,
Difficilè audaces poteris reprendere curſus.
Eſt in cæde horror; mox orta cruore voluptas
Diligit horrorem. Morientis membra repoſcit
Cæde nouâ miles: rimatur viſcera: vultus
Vulneribus fœdat. tandem aſper, & improbus irâ,
In iugulum inſurgens, capulo tenus imprimit enſe.
Iamque adeo gemmis iugulatæ, auroque potitus,
Cum prædâ excedit ſiluis; & tuta capeſſit.
Fœmina multiplici ſed languida morte, cruento
Mille trahit morſeus ſuſpiria pectore, & aures
Magna, tuas, Virgo, iucundo vulnerat ictu.
Vox cordis, non oris erat; nam ſanguis in ora
Profluus, obruerat vocem: ſunt labra loquentis
Vulnera. Mater, ait, mea vita & ſpiritus oris,
Et vino; dum mille patent necis oſtia! viuam. *Lethaliter vulnerata vita certa ſpe recreatur.*
Sic animat fugitiuam animam ſpes viuida, cordis
Hoſpita. viuam eadem; ſimul altera. dedita viuam
Virginis obſequijs. ſint ſacra ſigilla Pudoris
Vulnera; ſint fidei monumenta, & dira nefandæ
Vulnera ſint Veneris, ſed noxia vulnera. plagis
Illa meis pereat: Pietas per vulnera viuat;
Occupet & pectus, nullis violabile telis.
Hæc ſecum; ingentiq; animum ſpe ſuſcitat. Vmbris
Cum videt è medijs ſine Sole albeſcere lucem; *B. Virgo in veſte candida ſe fœminæ videndã offert cœleſti luce. Turſ. vbi ſup.*
Per frondes errare diem; nemus omne ſilere,
Attonitis fluitare comis arbuſta; volucres
Inſolitum ſentire iubar, ſuſpendere curſus.
Extollit Sophoniſba oculos; tremulâque natantem

Fronde diem dũ quęrit, adeſt chlamydata Tonantis
Lumine, Virgo Parens. Crinalem ſidera pompam
Verticis in cælo referunt: Sol pectore pendet
Balteus, & lorica: genis intermicat iris:
Areolæ, vernant florentia labra, Pudoris:
Gratia per vultus, per pectora fluctuat omnis:
Denique virginei ſunt omnia mundus honoris.

B.V. moribũdam gremio fouet. & ſanat. Tur. vbi ſup.

Reſpirat Sophonisba; faces dum Virginis haurit:
Frigida mors fugit icta metu: redit omnis in artus
Et color & ſanguis. cæleſti vulnera rore
Concreuere, manu medicâ quem preſſerat herbis,
Diuaque vitali conſperſerat imbre ſalutis.
Ambroſiâ rorante, cruor ſtetit illico: pallor
Et dolor abſceſſit. pro vulnere linea lucis

Indicium miraculi circa collum cicatrix aurea monilis in modũ. vbi ſ.

Ducitur in iugulo: membris obducta cicatrix
Cogitur in gemmas: gemmaſcunt corda pudore.
Virgine nam viſâ, Pudor emicat: ardet Honeſtas:
Et decus, & pretium Pietas habet: omnia gemmant.
Poſtquam virginei flammas afflauit amoris,
Talibus alma Parens breuiter ſolatur Amantem.

B. Virgo eam ſanat, & ſanctè monet.

Reddita iam vitæ, violato redde Pudori
Te, Sophonisba: Deum laceratæ iniuria formæ
In te iterum formet: roſeos dabit vna colores
Forma Pudicitiæ: pudibundo hanc indue corde.
Dixit; & in proprij ſe luminis obruit vndâ,
Eripuitque oculis, ſed pectore condidit alto.
Quęre tuas, Mors cęca, vmbras: preme carcere mor-
Frange arcus: fruſtrà poſthac iaculaberis ictus, (bos:

Chriſtus in ſinu Mariæ telum in Morte m.

Dum Virgo arcitenens vitæ pro cuſpide, Numen
Belligero iaculata ſinu, noua funera Morti
Cum iaculo portat. Viden! atria viuida cordis
Myſta aperit ſine corde: manu ſua viſcera geſtat;
Na-

Naturâque ſtupente, animat præcordia Virgo :
Implet prodigijs fibras, & pectora donis.
Virginis in viuum Templum conuerſus, ad Aram
Se defert Lauretanam, & ſua vota Sacerdos.
Turca Sacerdotem, Stygij Popa Ditis, euntem
Stare iubet. Quas tendis, ait, nouus hoſpes ad oras?
Prome genus. Chriſti genus alto à ſanguine Regis
Dico, inquit; generiſque mei Crux arbor. ad Aulam
Reginæ Matris propero. Dediſce Parentem
Reginam & Regem, pietatis larua ſuperbæ,
Barbarus increpitat: Mahometi ſubde vel vltro
Ceruicem indomitam; vel noſtræ colla ſecuri.
Colla, viator ait, diuinæ ſubdo Parenti,
Quam lingua, quam corde gero. linguã ore reuelles;
Cordaque viſceribus; Mariæ de pectore nomen,
Et fixum cordi non extirpabis amorem.
His dictis accenſa furit magis ira Tyranni.
Præcipit auelli viuenti viſcera; vt imis
Extrahat è fibris Mariam. Manet illa repoſtis
Fixa animæ latebris, vitamque infundit Amanti.
Viuida res Amor eſt, & fata nouiſſima calcat:
Vulnera, tela, dolos, ſeniumque & funera neſcit.
Viſcera velle Sacerdoti, gens effera: ferro
Pande fores animæ: venas rimare calentes.
Venis fumat amor: Superûm, pro ſanguine, nectar
Immortale fluit: ſibi victima & ara, recluſo
Pectoris in Templo, feritate pauente, Sacerdos
Integra virgineo ſua corda ſacrabit Amori.
Aſpice: iam manibus ſua viſcera deuehit, & ſe,
Impoſitum dextræ cor palpitat. O pia ſemper,
Prodigijs aſſueta manus! tu ſidera pandis:
Tu cælum, Numenque regis; cæloque propinquam

Sacerdoi Lauretum venitetor manu portās ex Turſ. Captus à Turcis ad apoſtaſiam fruſtra inuitatur.

Malos hortatores auerſatus Mariam inuocat.

Diſciſſo pectore inteſtina à ſummo reciſa Sacerdoti Turcæ extrahũt.

Exempla ſibi exta praferit manu.

Sacerdotis manus admiranda.

Red-

Reddis humũ, miſeroſque leuas: tibi ſternitur Æther:
Tartara, Terra, Duces, Rex ipſe inclinatur Olympi.
Perge; trophæa refer tecum, tua corda; Parentis
Quæ Cor æterni Verbum ſuſtollis ad aras.

Accelerat Peregrinus iter, roſeoque cruore
Signat humum; floreſque aperit, ſua lumina, tellus;
Conſita vt aſpiciat miracula tanta per agros,
Quos premit inceſſu, Phœbo mirante, viator.
Quà cruor exundat vitali funere viuax,
Extinctas cernit rurſus pubeſcere plantas;
Pulchra colorari cum cordis imagine poma,
Et ramos curuare, Viri matura calore,
Qui graditur, factique locat monumenta per vrbes.
Marmora, quæ calcat, ponunt mollita rigorem,
Et viuas iaculantur aquas, & viuere diſcunt.
Iuncta triumphali ſalit vnda vnita cruori:
Corda Sacerdotis, cor cæli, Phœbus adorat,
Quæ meliore calent flammâ; quibus illa curulis
Sternitur alta manus, quæ ſidera tangit; & ipſi,
Dum volat in terras, eſt ignea Rheda Tonanti.

Terra miracula Sacerdotis eam prementis in trãſitu. Poet. hoc tant.

Ecce autem lacrymis facundus, & ore Sacerdos
Pectoris, in partes, ceu labra diſerta, recluſi,
Tandem prodigijs & Numine plenus in Ædes
Virginis ingreditur. Sine corde hic nuncia cordis
Lingua perorat, & effundit cum ſanguine verba,
Miraturque nouas voces, & non ſua verba.
Dona fero, tua dona, inquit; nam munere viuo,
Diua, tuo. Viuens ſi victima ſiſtitur aris;
Victima virgineâ viuo moriturus in Ara.
Fauſta ſacror. dubitas? adapertas inſpice fibras.
Cor iacet? imò micat manibus ſublime cruentis.
Exta gelu torpent? celeri vis ignea pulſu

Sacerdotis reces Laur. Virg. ante aram.

Fauſtæ victimæ, Deoque placitæ ſigna.

Ex-

Exta, artus, venaſque mouet. non viſcera nigris
Tincta notis pallent: tuus, ò tuus influit in me
Candor, amorque, Parens; diſſectaque pectora nectit
Nexus amor cordis. tua munera dilige Virgo:
Ne te deſpicias, me reſpice. Cernis, vt alto
Fixa manes in corde? tuum Mors horrida vultum
Extimuit, ſpeculum vitæ, ſpeculamque Pudoris;
Abſtinuitque pauens à vulnere. viuo: ſed vltro
Te coram profundo animam, mea vita, meum cor:
Excipe me, manibuſque tuis cor erige, dextrâ
Quod depono: manus feliciùs inter & ignes,
Immortale tui ſpolium pendebit amoris.
Dixit: & in ſuperis holocauſtum nobile flammis
Exta vbi depoſuit, conuertit in aſtra viator
Lætus iter, rapuitque Deum pro corde, Deique
Se cordi ſimul inſeruit, vitamque recepit.
Quare tuas Mors cæca vmbras: preme carcere mor-(bos.

Vltimus aſt Vriel diuinæ portitor Ædis,
Cui nomen dedit ignis Amor, cantabat amores
Virginis, & reſono findebat ſuda volatu.
Ardeo. quæ fornax humeris incumbit? Olympi
Hæc omnes fouet vna faces, ceu flumina Pontus.
Scilicet hæc Sedes Ignis, qui lapſus ab aſtris,
Aſtra ſuis latè ſuccenderet omnia flammis.
Hic Deus ignipotens tædas ad prælia conflat,
Scutaque, loricas, galeaſque, & miſſile telum,
Fulminaque exercet, roburque immiſcet, & addit
E Triadis vultu tres ignis, & alitis Auſtri,
Tres imbris torti radios: nam temperat vndis
Ille voluptatum, flammiſque ſequacibus arma.
His faber Omnipotens te, Virgo, armauit: Auerni
Vt concepta dolos armorum luce fugares.

Vriel idem eſt ac ignis Dei.

S. Domus ignis diuini fornax.

B. Virginis myſteria exhibita igne diuino S. Domus in theatro.

Ad

Adfuit ; ante fores, & vitæ limine in ipſo

Sine labe cõceptio. B.V. Deiſepta igne contra Draconis inſidias flumen vibrantis. Ex Ap. 12.

Collocat inſidias Anguis, viruſque vibratis
Gutture celat aquis : noxâque ab origine primâ
Molitur temerare animam, quæ pectus honeſtum,
Numinis è dextra, felix allabitur. Iras
Hæc tamen inuiſi Colubri, fraudeſque nocentes
Ludificat generoſa : videt nam deſuper ignes,
Fluminis in morem, procurrere, telaque lucis
Ignito vectare vado, quibus vnda Draconis
Tota ſuperfuſis exareat improba flammis.

Hoc aquas exiccat.

Flammarum Domus hæc littus, quæ miſſa Colubri
Flumina dum retro pellit, vel ſiccat ; Amoris
Vndique diffuſos recipit cum fontibus amnes.

In Annæ vtero, & Naz. flagrat in Domo. Annæ aluus holocauſti ara

Creuit amor flammis in Virgine. Matris in aluo
Clauſa, theatralem dabat alta Puellula Circum,
Spectatore Deo dignum cæli que Senatu.
Nam complexa ſinu diuina incendia paruo,
Viſcera caſta genitricis vertebat in aram,
Quam permixta roſis velabant lilia circum.
Victima Virginitas aderat : pro ſanguine, lactis
Cæſa dabat riuos: Amor, enſis, flamma, Sacerdos,
Ictibus ad vitam & flammis ſua dona parabat.

Cuius ſplendor, & pulchritudo cælos penetrabat, inde Angeli admirabãtur. S. Bruno.

Inuidiam Aligeris matris compoſta mouebat
Pupa ſinu, qui turris erat ; qua grandior aſtris,
Mœnia noſtra capeſſebat, Superoſque, Deumque;
Omnibus & maior Superis, minor vna Tonante,
Omnia miſcebat facibus : flammaſque beatas
Aligerûm tunc eſſe gelu mirabar, & ignes
Tunc cœpi damnare meos, oculoſque Puellæ,
Vt magis arderem, totis obtutibus hauſi.

In S. Domo Virgo nata ad terræ incendium.

Flamma latens vtero tandem prorupit in ortus:
Corripuit terras : terris cælumque, diemque

Red-

Reddidit. hærebant glacie quæ ſtricta rigenti,
Lubrica præcipites ſoluerunt gaudia curſus.
Bellula ſubſtratis ridebat pupula cunis:
Aſt erat ipſa Orbi vaga cuna, cuniculus ignis;
Currus erat; rota Sol currus, atque orbita Lunæ.
Non Phaëthontis erat currus, ſed currus Amoris,
Æthere labentis cum Sole: quadriga lupatis
Non frenata; ſed innumeris Virtutibus ibat,
Ducta ſuper Ditis capita impia, ducta per hoſtes.
Tunc vigilem Diuæ ſomnum ſtridore rotarum
Conciliabat Amor; cæleſtis Amazonis auſus
Ad cunas dum cantabat, currumque regebat.
Bellica falcatis pugnabat pupula cunis;
Luminibuſque faces clauſis torquebat: amantem
Corde Deum vigili feriebat: crinis, ocellus,
Frons, manus, ora, genæ, bellantis & omnia membra
Tela Pudoris erant, & miſſile fulmen Amoris.
Virginis impauidæ vagitus buccina belli,
Et tuba pacis erat: contorta phalarica malis
Roſcida purpureis ardebat lacryma; & vna
Guttula, miſſa oculis, totum inflammabat Auernum
Igne furoris; amore Deum, cælumque cremabat.
Creuit amor flammis in Virgine; Numen, adulta,
Cum dimenſa breui gremio, ſe vicit amando,
Quæ Superos, concepta ſinu, ſuperauerat omnes.
Sidera tunc, Lunæ iubar, & Sol, ætheris ignes,
Extima veſtis erant Reginæ. hinc conijce quantùm
Intus anhelabat cæleſtibus ignea flammis.
Creuit amor flammis in Virgine. creuit, & auſa eſt
Ad ſua iam natum pia bella laceſſere Verbum.
Vicerat Aligeros: ſe vicerat: vltima, Numen,
Belligeræ matris remanet victoria. vicit;

Cuna Virginis currus Amoris.

Cuna Virginis belli currus.

Virgo creſcens ætate, & Mater Dei.

Solo Deo excepto cunctis ſuperior extitis. S. Cypr.

Virgo corporati Verbi Mater nutrix, & gerula.

Capti-

Captiuumque Deum complexibus irretiuit.
Dulce gemens matris pendebat Pupulus vlnis
Præda, trophæa, decus, victoria, palma, triumphus.

In Nazarena Domo Virgini ſeruit Deus.

Obſequijs ambo certabant. Virgo iubebat:
Par erat obſequio imperium. Puer alta Parentis
Iuſſa capeſſebat: ſed ſe, famulando, potentem
Regnatorem Orbis cælique oſtendit. Ad arma
Virgo iterum puerum generoſa vocabat Amorem.

Deus S. Domum verrit, vt matri obediat.

Verre Domum, Dominator ait: tibi ſidera cælum,
Terra dabit ſordes; ſordes ſed in aſtra migrabunt,
Has ſi, Nate, manu verris, quà ſidera vertis.
Verriculo fac munditias, Rex pupule Mundi.
Verriculo purgata Domus ſuperabit Olympum,
Pulchra tuo candore, Viâ mage lactea lactis.
In ſcopas ſceptrum vertiſti. perge quid hæres?
Sceptra trahunt populos ad Regum iuſſa: trahuntur
Scopis corda tuis, lacrymæque trahuntur amoris.
Mancipium matris Dominuſque ah parce labori!

Verrente Deo Virgo attonita lacrymatur.

Sordida quæ fuerat, rutilat iam gemmea tellus.
Sudat Amor; matriſque iterum noua iuſſa moratur
Ales ad obſequium. Faber Orbis, finde ſecuri,

Rurſus imperat, vt patri Puer opem ferat in arte fabrili.

Diuide vel ſerrâ, pinos vel rade dolabrâ,
Et patris curas partire. Ah ſiſte; tenellâ
Ne calleſce manu, mea vita; quieſce, virorum
Et Superûm tranquilla quies: quid ligna fatigant

Varij Virginis affectus.

Parua Deum, leuis incumbit cui machina Mundi?
Arida pondus habent ab amoris pondere pondus.
Inde Crucis meditaris opus, tacitaſque fauillas
Concipis; atque neci præludis in arbore Phœnix.
Oris noſco notas, arcanaque ſenſa: lacertis
Abijce ligna, Puer: ſatis illa cruore rigabis;
Quid ſudore rigas? viciſti, vt machina belli

Hæc

Hæc me ligna petunt: viciſti victus: ad vlnas
Curre meas: da captiuas in brachia palmas:
Da pluuias vultu ſudoris tergere gemmas:
Hæc mea præda: genis da figere labra. decori
Stigmata ſeruitij ſunt oſcula. Deſine: vincor.
Labra genis remoue: ſunt labra rapacia cordis.
Hæc intra muros, quos effero, prælia flammis
Incaluere tuis, Pietas; indictaque tædis,
Creuerunt ſudore Dei lacrymiſque Parentis.
Huc properate gelu qui corda ligata maligno
Numinis ad nutum geritis. diſſoluite nexus.
Paruit hìc vltrò, cui parent omnia, Verbum.
Hìc quoque ceruices hominum ad ſua iura rebelles
Flexit; vbi trabium trabeatum pondere dorſum
Pupulus inflexit, patriſque ad vota volauit,
Ligna ferens humero, volucres velut Ardea pennas.
Aſtra coronabant non Solem roſcida; Soli
Rorem ſudanti formabant ligna coronam:
Stillula ſudoris dum fronte cadebat, in ignes
Protinus ardebat. Veteris veſtigia flammæ
Seruat adhuc fumo Domus illuſtrata decoro.

Vriel alias accenſas hac inDomo flammas exponit.

S. Domus ignis Domus.

Hinc ignem rapis, Ignati, quo conflagrat Orbis,
Quo ſcelerum popularis agros, quo vertis in aſtra
Illuſtres ſociorum animas, quo nectis amore,
Diuulſit patrio quos Cypridis ardor Olympo.
Hinc Ducis exutam diademate, Borgia, frontem
Flamma coronalis Regum tibi teſſera cinget.
Hinc digreſſa feret pelagi vos flamma per vndas,
Per Mundi latebras, per barbara Regna, per haſtas,
Atque attrita ſuper ſimulacra & templa Deorum,
Ætheris heroes, animataque claſſica Verbi.

S. Ignatius, & B. F. Borgia è Lauretana Domo, quam viſitāt, flammas hauriunt ad ſacrum Orbis incendium excitandum.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XV.

ARGVMENTVM.

D. Franciſcus Xauerius inito iam ad Indos itinere ad Lauretanam Domum diuertit, ibique bis ſacrificat, Dominica videlicet palmarum, & Chriſti reſurgentis die. Ex hoc, quod eius vitæ habetur ex actis, Vriel inducitur, qui vaticino cantu tanti Viri labores, vota martyrij, & in cælo præmia prædicit, per mira ſymbola in gemino Sacro, mentiſque raptu præſignanda.

QVæ noua flammatis circũtonat Ætna fluentis,
In populos in Regna faces in flumina voluens?
Intumuit Ganges flammis; fluit ignibus Indus;
Et Mare flammiuomos agit alta ad littora fluctus.
Intonat & plaudit ſpecioſis terra ruinis;
Et pelago ſeſe gaudet merſare ſalubri.
Diluuio Sinas, & Iapona ſtrage natantes
Cernimus illuſtri. Placido Sauerius æſtu,
Naufragio diues, per Mundi littora fertur,
Oliua ignem alit. Igniferis oleis vmbrata, & conſita palmis.
Vnde faces? viden! æterni Domus ignea Solis,
Lauretana Domus tellurem fluctibus ambit,
Auratiſque vadis, & amico flumine mergit.
Nauigat his vndis Franciſcus: nudus Olympi
His vectat mercator opes, quas vendat amoris
Prodigus ad pretium: Mundique ſalutis auarus
Pro ſe nil poſcit, niſi curas, vulnera mortem.
Pro Chriſto mercaturam per ſalſa, per vrbes

Dum

Dum facit; in prædas animarum currit anhelus.
Nunc age: quos, ſacris operans, Sauerius ignes
Pectoris in ripis ad terræ incendia coget;
Et quæ diuino ventura in lumine cernet,
Expediam; Soliſque noui, properantis ad Ortum
Littore ab Heſperio, reſono ſequar ore labores.
Lux aderit redimita oleis, lux florida palmis,
Quam pro Sole triumphator Deus extulit, vmbras
Pronus in occiduas. Radijs tibi fauſta ſuperbit
Hæc, Franciſce, dies; tua dum certamina pingit,
Votaque pœnarum iucundâ luce colorat.
Dum Lauretanis ſe fundere Curſor in Orbem
Carceribus cupit; & rapitur; ſtat fixus ad Aram
Virginis; vt diſcat peregrina è Sede volatum,
Et peregrinantem trahere in commercia Mundum
Ætheris, atque Dei. Lacrymis Altare decoris
Irrigat; vt virgo, frumentum Virginis, arâ
Conſerat in mediâ. Facit: atque in vota Tonantem
Euocat, vt Cereris mox velet imagine. Verba
Iamque arcana premit tacitus, ſecumque ſuſurrat,
Præluditque operi magno. Circumflua pennis
Intremit Aligerûm pubes. Ille ore tremendo,
Omnipotente, globum digitis complexus, Olympi
Qui facit inuidiam ſtelliſque, globiſque; Rotamque
Attollens, noſtræ qua vertitur alea ſortis,
Incubat: in niueæ frugis præmurmurat orbem:
Depromit rata verba. Deus tunc, fruge repulsâ,
Se, corpuſque ſuum, Fidei myſteria, vitæ
Pabula præſentis, pignus pretiumque futuræ
Orbiculo inſinuat Cereris. Quantuſque videri
Æthere Cælitibus ſolet, æquæuoque Parenti,
Tantulo in orbe latet tantus. Mirabile dictu!

D. Xauerius die Dominica palmarum in Lauretana Domo ſacrificat.

In niueam poſtquam nubem de nube volauit,
Vnde faces & tela vibrat, dextramque curulem;
Et dedit in populum iucunda theatra dolorum,
Sacrificis manibus pauidas elatus in auras;
Innocuæ circum volitant Altaria flammæ.
Sed dum Franciſcus dape paſcitur,oraque feruēt
Vda mero, quo Cælituum vindemia fumat;
Et Templi lampas cæleſtis lumine viuit,
Pendula dinino de pectore; Myſta cruore

Epoto Chriſti ſanguine ſobriè ſanctèq; ebrius rapitur extra ſēſus.

Sobrius ebibito tumet; emicat; ardet; anhelat;
Deſipit, atque ſapit. ſapiens dementia mentem
Turbinat attonitam. dulci ſub mole laborat
Numinis, afflantis propiora incendia cordi.
Fulgurat ore,oculis. Eſt fulmen amabile lingua,
Labraque ſcintillant. nutantia nectare Diuûm,
Membra labant; ſed fixa Deo,velut aſtra,mouentur
Non caſura. micant, ſaliuntque in ſanguine venæ:
Cor natat, atque animus per gaudia: merſa madet
Naufraga delicijs,dulcedinis ebria ſucco. (mens,

Apparet illi Laur. Domus in nauim conuerſa.

Dum pia corda calent flāmis,noua mēte recurrūt,
Diuinâ depicta manu,ſimulacra. Penates
Virgineos putat eſſe Ratem; ſubitòque moueri
Fundamenta Domus, medio velut æquore nauim.
Viſa carina pauimentum, pelagoque ſecunda
Aſtra faces, altare fori, mantilia vela,
Faſcia ſacra dolon; malus crux, anchora claui,
Sidera candelabra; liber, metitur in aſtra
Qui, Verbo ſcribente, viam, dux nautica pixis,
Affixæ tabulæ merces votiuaque ſigna.

Putat ſe hac in Naui ad Indos nauigare.

In nauim conuerſa Domus cita fertur in oras
Trans mare porrectas. Atlantica & Africa findit
Æquora remigio ſtabili: plaga torrida Solis

Bis traiecta: Notis ad Promontoria puppis
Incita præcipitat, Bona ſpes in nomine dulci
Queis latet ad fraudes; deſperatamque ſalutem
In mortis portu, fabricat quem vortice, condit.
Mons hic in auſtralem cuneato culmine Pontum
Se vertit, furiaſque ſuas glacialia verſus
Littora dum tendit, tumidam non digerit iram,
In gemino ſparſam pelago, cui vertice ſupra eſt,
Author bellorum ventorumque arbiter; æquor
Qui geminum fundo, Naturâ horrente, volutant.
Hæc circumuectus necis Acroceraunia, Solis
Ortum inter, mediamque viam, ruit ære procellas,
Et Mozambicum tenet anchora. rurſus in altum
Vela facit. Vaſtis Socotora, Melindaque ripis
Apparet: procul inde Goæ ſubit oſtia. rurſus
Piſcaturus opes cæli, populique ſalutem,
In Comorinum, ex cubito quà ſe India flectit,
Procurrit. gemmis Piſcaria nobilis, vnco
Arripitur roſtro. remis Trauancor aratur
Solis in occaſum. Coccini vertitur æquor e
Inſula mox Ceilana patet; Nagapata, Malacha;
Mercibus Amboine frequens; populiſque Maluce;
Ternate legum impatiens; & neſcia iuris
Maurica mox regio, ſolis fecunda venenis;
Cangoxima; Ximum; Amanguccius; atque Firādum.
Inde Meacenſes mirâ trabe perſecat vndas:
Nauigat & Bungi fluctus, & Iaponis; omnes
Æquoreos perrumpit agros. it ſæpè reditque,
Atque eadem celeri relegit veſtigia curſu.
In Sinas conuertit iter. Nunc denique cælum
Intonat horrendum. laxis compagibus æther
Decidit in pluuias: mare nubila conglobat in ſe,

Eo loci cuneata Africa infinitè excurrit in Auſtralem Oceanum verſus glacialem plagam; ibiq; duo maria longè maxima ex duobus Africæ lateribus continenter procurrentia, aduerſiſq; agitata ventis, perpetuò inter ſe confligunt. Turſ.

Dum ire ſe credit ad Sinas, oboritur tempeſtas.

Digitized by Google

Et nebulis confundit aquas, ſociatur & aſtris,
Connubioque parit tenebras. lictore carina
Vapulat atque gemit vento: mare motibus impar
Sudat, & irrorat lacrymarum aſpergine littus.
Territa fulminibus pauet vnda, Notique flagellis
Obſtrepit impatiens: agitata tumeſcit, & iras
Syrtibus exonerat. Iam trudere monſtra procellas
Ardua cernuntur, ſcopulique innare reuulſi;
Proſciſſo latè ſe ſe perrumpere Ponto;
Ingemere attriti, veniſque excudere flammas.

D. Xauerij in tempeſtate generoſitas & vox.

Non tempeſtati ceſſit Sauerius: aſtra
Verberat ore, oculis, & vocibus. Æquor, & æther
In me coniurant. non territat, æquor, & æther;
Hoc ſi corde ſedens, moderabitur æthera, & æquor
Omnipotens maris, & cæli Dominator. Aquarum
Moles & montes attollite. ſtilla Profundum eſt
Ante Deum; ſcintilla æther; dum fulmina mille,
Mille faces flammis inflammat, ſidera mille.

Optat horribiliorem mortem, quã eſſe poſſit in pelago.

Fulmina, lympha, aër, intentant omnia mortem.
Cur non terra etiam crudelia fata minatur?
Hæc mea mors, non poſſe mori; vel funere ſicco
In medijs vndis occumbere. Sanguine noſtro
Cur mare non feruet? cur non rubet ignis? vbi mors?
Enſis vbi cum morte? cadam ſine cæde cruentâ
Frigidus in pelago, pigrâque ſepultus arenâ?
Sit mare flammarum: tunc obruar. ite procellæ
Frigore torpentes: meus æſtuat ignis in igne
Naufragus. Horribili ſtridentes ære catenæ,
Hos vincite artus, non molli vortice Pontus.

Cor impij mare feruens.

Pro phocis me mille vorent, lacerentque Tyranni.
Omnibus eſt pelagi phocis vir ſæuior vnus,
Cui mare cor feruens, ventuſque ſuperbia, leges
Nul-

Nulla fides, motus animi iactatio, vortex
Et ſcopuli feritas, exlexque potentia littus.
Ergo ſilete Noti, æther, vnda, tonitrua, flammæ.
Terreor haud fremitu.mēs Numine vecta ſuperſtat
Fluctibus, & ventis, nebulis,& fulminis alis.
At ſi venturæ reſonatis claſſica mortis;
Clangite præcones venti,tubicenque procella:
Fulmina cum tonitru reboate,& plaudite cautes,
Quæ nunc in choreas, vento ſaliente, natatis.
O ſonus, ò fremor, ò cæli diſcordia concors!
Auribus ò iucunda meis concordia diſcors!
Ætheris ira ſuos modulatur pace tumultus,
Et ſecundat humum, dum verberat imbribus agros.
Pergite lympha, imber, tempeſtas, fulmina, venti.
Vos tempeſtati præludite,mota per artus
Quam flagra ſanguineos,gemitu plaudente,ciebunt.
O mea tempeſtas, ò dulcia flagra! ſiletis?
Lictor vbi? ceſſas? ſuccede phalarica: noſtro
Redde ſonum lateri; nam murmurat ignis,& ardet.
Fulmina nunc reſonāt:reſonū hinc addiſce fragorē,
Obſtrepit imber:& hinc noſtri ſtrepere vnda docetur
Sanguinis; erumpet patulis dum conſona venis.
Pergite lympha,imber, tempeſtas,fulmina,venti.
Tu,Maria,exundans lacrymis,mare grande dolorū;
Numinis exhauſti quam mors impleuit amaris
Fluctibus & lacrymis & tempeſtatibus; vndas
Fluminibus partire tuas. Tybris,Indus, Hydaſpes,
Euphrates, Padus, & Tigris, pœnæ alueus omnis
Sint mea corda. ſatis non eſt. extende Virago
Pectoris anguſti ripas. circumflua luctu (ni;
Æquora ſint;dolor vnda fremens;ſint mōſtra Tyrā-
Sint ſcopuli tormenta, rotæ, flagra, ſaxa, ſagittæ.

Prodeſt terra dum pluuiā iraſci cælum videtur.

A tempeſtatis effectis, quæ videt Franciſcus,ad martyrij, & pœnarum amorē excitatur.

SinusB.Virg. littus immenſum, quia Deum in eo ſtrinxit immenſum. Regina martyrum omniũ quia pœnas omnium collegit in corde.

Non ſatis eſt: mare littus habet: non littora, quæro,
Tormentiſque meis confinia. Virgo, pudico
Collige me gremio, quo finibus infinitis
Colligis immenſam Pietatem. hic terminus eſto.
Quotquot in Athletas Fidei tormenta fluento
Sanguinis vndarunt, recipis, Mare. redde; ſed aucta.
Reddit aquas mare fluminibus. Procul exulat omnis
Dum dolor è Superis, in me ſua iura reuoluunt
Pœnarum heredem. pro cunctis ſolus in omnes
Tranſcribar pœnas. cruciatus, vulnera, curæ,
Martyrum, & innumeræ ſint vno in pectore mortes.

Apparet Xauerio Chriſtiana Religio Martyrum mater, & alumna. Eius habitus, & forma.

Talibus in medio pelago dum vocibus ignes
Iactat, & accendit Sauerius: vndaque ſæuit,
Et cælum iunctis in prælia viribus; altâ
Ecce ſedens in nube, ſecans fulgore procellas
Relligio, & ventis quatuor deuecta, carinæ
Ingreditur Regina foros. Coma ſanguine gemmat:
Vt crinalis acus, pennata ſagittula crines
Ornat, & in partes bellè diſcriminat: arcus
Paruulus in turrim generosâ in fronte capillos
Erigit: innumeræ, quas pingit purpura, vittæ
Serpunt per capitis crinita volumina: malæ
Luminaque ardeſcunt: turgent pro lacte cruore
Vbera; & armantur non hæc thorace, ſed igne
E Cruce vibrato, quæ nobile pectus honeſtat,
Inceditque graues diuino ſanguine mammas.
Venarum roſeis imbuta canalibus, artus
Veſtis obit, luditque feris Aquilonibus vndans.
Scinditur haud vmquam textura: cohæret Amore,
Æternùmque manet; licet enſis, & haſta furoris
Soluere fila manu, nodo ſociata, laborent.
Sunt manicæ armillæ; ſunt ferrea vincula torques.

Sed

Sed manicæ armillas,pretioſa monilia ferrum
Sideraque exuperat: nam vincula ſanguis inaurat,
Pondere qui vincit torques, & ſidera luce.
Pectora,vulneribus multis transfixa,coruſcant;
Roſcidaque in multas migrarunt vulnera gemmas.
Labra cicatricum, ceu rubra corallia,flagrant;
Sanguine concreti, rubro velut æquore, flores.
Martyribus vexilla ſuis, & teſſera belli,
Quina etiam tollit cruciati ſigna Tonantis.
Hinc trahis illuſtres animos in bella dolorum.
Relligio, Sortiſque rotas interrita calcas;
Dum transfixa pedes diuino vulnere curris.
His quoque belligeris plagis animata, cruentis
Quas manibus præfers, tractas arma ignea lucis,
Atque ignominiæ Stygio ſtigma imprimis hoſti.
Talis erat mundus muliebris: barbara Mundi
Huic feritas parat ornatum; turpataque flagris
Forma parit formam. Quæ regum in vertice Regis
Serta fuere olim, rigidis horrentia dumis;
Aurea ſanguineis guttis & gemmea, frontis
Sunt decus auguſtæ. Nimirum ſpina Tonantis,
Quod facit, educit reges de vulnere multos;
Multaque deuoluit fuſo cum ſanguine Regna.
Relligio non ſceptra gerit; ſed mille dolorum,
Faſciculis diſtincta ſuis, inuenta coërcet,
Et ligat amplexu, quæ ſingula flexilis arcet,
Ducta cruore triumphali,nota gentis, & vrbis,
Cuius ab ingenio fuit ingenioſa tyrannis.
Horribiles ad fata gradus, fax lenta, ſecures,
Vaſaque centenis cum lympha vndantia morbis,
Tela cruceſque breui ſignantur carmine. Iapon
Hæc tibi,militibuſque tuis, Franciſce, laborat.

Religio plurima fert mortis instrumenta in faſciculos colligata cum epigraphe.

Digitized by Google

Pocula fœta dolis, necis illita ſemine tela
Ambit multiplici labyrintho faſcia. Maurus
Hæc propinat: habes ſed pharmaca, nectar Amoris
Immortale. tuo victum ſudore venenum,
Telaque miteſcent. Sexcentas faſce ſagittas
Complicitas epigramma notat: Manaria mittit
Hæc tibi, militibuſque tuis. ſunt dona furoris.
Dona rependat Amor: pennas in ſidera mille
Pro iaculis referat, ſacras pro ſanguine lymphas.

Ferales faſces in mediũ proÿcit.

Faſcibus his onerata, ſuo ſed pondere felix,
In medium cum voce iacit necis arma cruentæ
Relligio. Franciſce, tuis en curſibus addo
Pœnarum calcar: pœna eſt nam calcar Amantum.
Supplicijs ſtimulatur amor; cui ſola voluptas
Nulla vſura voluptatis; fomenta dolorum
Sunt dolor ipſe; quies certamina; lucra carere
Corpore, diuitijs, vitâ. tibi florida nectit
Hæc Amor in faſces necis inſtrumenta. ligantur
Sic flores in faſciculos. nam roſcida vernat
Sanguine; vincîtur laqueis, paliſque iugatur;
Occatur telis; laceratur; fronde reuulsâ,
Dum maturatur Virtus; dúm palmite multo
Viti iuncta Deo, gemmat ſudore, meroque
Sanguinis impletur, quo torcularia feruent.
Hæc tibi Relligio religaui germina: dulci
Tu quoque complexu tua munera ſtringe: virebunt
Virginei cordis contactu, oculiſque rigata,
Et feruore animi tepefacta. hinc plurima creſcent
Serta tibi, ſocijſque tuis. Parat India meſſem
Pœnarum, cælum decorum. Iam peſte ſagittas
Armat lethiferâ Maurus. Patientia franget
Indomitique animi robur. iam ſaxa rotantur,

San-

Certatura in Xauerium Elementa; ſed ab eodem vincenda prædicit.

Sanguinis ambitioſa tui. mollita rigorem
Saxa ſed abijcient, & pectoris igne niuali
Mollia candeſcent, velut in fornace molares.
In tua coniurant Elementa pericula: toto
Fert aqua bella mari: canit omnibus arma procellis:

D. Xauerij miracula in mari.

Vorticibuſque, voraginibus, ſcopuliſque, vadiſque,
Naufragijſque furit. tua lumina, ſidera frontis,
Æquora component: victor pes comprimet iras;

Tempeſtates cōponet. ex vi.

Atque indignanti iuga ponet, frenaque Ponto.
Sanctior Oceani Neptunus ſurda iubebis
Marmora depreſſo ſeruare ſilentia vultu;
Fluctibus abſorptos, atque vdâ morte voratos,

Extrahet è fundo maris rurſus animata cadauera. ex vii.

Reddere vitales, è fundo, lucis in auras,
Voce tua rurſus cineres animante ſub vndis.
Ipſe etiam, ventis noua bella vocantibus, aër
Claſſica complebit: niuibus, facibuſque triſulcis,
Imbribus, & nimbis committet prælia, vinces.
Nubila Sol, pluuias & fulmina luce flagellat,
Et pigras fugat igne niues è montibus. Orbis
Sol eris; at Solem non inficit vmbra; nec imber
Officit ardori. tibi ſeruiet ignis, & vnda.

Cineres è cælo in fidei hoſtes immittet. ex v.

Altera ſternetur pelago ſubiecta fideli:
Alter & è cælo, pluuiâ formidine mixtus,
Hoſtium ad excidium crepitabit, Numinis vltor;
Fortis & ipſe ſuo, viuaxque cadauere, ſecum
Et cineres voluet, feret & cum ſtrage ſepulchrum.
Curſibus vſta tuis, & pondere feſſa Gigantis,

Calcabit ſpinas, animas quæſiturus.

Proferet indignata rubos, atque aſpera ſaxa
Heu tellus ingrata. rubi florebitis oſtro
Sanguinis innocui, liquidiſque ardebitis aſtris.
Saxa opulenta viri pretioſo vulnere, cæli
Conſita diuitijs, pro fruge feretis Olympo

Digitized by Google

Illuſtres Heroum animas, ſobolemque cruoris.
At tu qui menſor terræ, cælique viator
Extendes cum Sole manus, Franciſce; nocentes
In ſpinas celera curſum. per ſumma volabis.
Ducet Amor pennis, tibi pondus, & ala volanti.
Sudor ab ore fiuet, pedibus cruor; vndaque roris,
Sed iucunda, animo ſudabit. celſior aſtris
Mens volitans teret aſtra; rubos pes, ſaxaque vultus.
Hinc dolor, & ſanguis; ros inde, & grata voluptas.
Pes cadet; in caſu mens eriget ardua pennas.
Hæc regina ſedens, ſceptrum geret incita curſu:
Ille, ſuo princeps famulatu, ſeruiet vltrò;
Curſibus & Dominũ properantẽ ad frena ſequetur.
Ille cruore; nitore viam hæc ſignabit. ad auſus
Sic iter ingentes aperitur. ſpina ſilexque
Currentem extimulant, acuunt & acuta vigorem.
Spina fuit ſceleris quæ primi filia, ſæuit;
Iuſtus nihil metuit. Atque euerſorem ſcelerum dum vulnerat, vrget.
Frangere perge rubos: preme ſaxa, & templa Deorũ;
Et Stygis Imperium pede contere. Conſcia cælo
Pectora, quæ motat ſpirabilis aura Tonantis,
Excidijs equitant: ſunt ipſa pericula currus:
Eſt auriga timor; nec hiantia Tartara curſum,
Nec fractis Fortuna rotis inimica moratur.
Quiſquis amat, nil ſentit: abeſt ſibi mortuus à ſe.
Intimus eſt vitæ motus ſenſuſque, moueri
Numinis ad nutum, & motum ſentire iubentis.
Ludit amore metus: Virtute pericula ridet;
Et placet arduitas, vt vincat: cuncta labore
Abſorbet condita. nefas audentibus vnum
Vel leuiter nutaſſe animo, quem roborat Æther,
Quem fulcit manus ipſa Dei. Non vnda ruinam,

Sed

Sed ſormido tulit Petro, pede ſalſa ſecanti.
Macte animo; celereſque gradus in ſentibus vrge;
Martyrijque rudimentum dum ſanguine ponis,

Videns ventum timuit. Matt. 14.

Perficietur opus diuino in ſanguine. Portum
Dum rate Sinarum, pelago indignante, capeſſes,
Rurſus Amor venas pro te ſine cæde recludet:
Sudabit ſudore tuo; tecumque labore
Dulciter exhauſtus, roſeos tibi prodigus imbres
Martyrij dabit in pretium, quod ſæpe querelis
Poſcis amabilibus: fatoque peremptus eodem,
Vulnus habens, tibi vulnus erit, mors, vita, corona.
Ploratus lacrymante Deo, placidèque locatus
Communi Crucis in feretro, cordiſque peruſtus
Diuini, Franciſce, rogo; deſertus arenâ
In ſterili, cunctas implebis nomine terras.
Oceanus lugebit aquis tua funera: mortem
Mortuus exuperans, in fata cadauere vitam
Inſpirabis. erunt animæ immortalis alumni
Languentes artus: in ſiccâ morte virebunt.
Dulcia Martyrij quod vulnera largus anhelas,
Vel poſt fata geres in pectore vulnus hianti.
Lanceola in latebras lateris namque ibit: & inde
Et cruor atque latex, vitæ lac, toxica mortis

Xauerius nõ ſuo, ſed Chriſti ſanguine inauguratur in Martyrẽ, quem imago Crucifixi largiter exudat, eo apud Sinas ægrotante. ex vit. Oblatum ab eo ſanguinem ſuo Chriſtus immiſcuit, & largè reſtituit iterum quaſi moriens. Sanguis, & aqua è Franciſci latere poſt mortem fluxit. ex v.

Protinus erumpent. gemino Mors fonte peribit
Obruta, & à gemino lactabitur vbere Vita.
Sanguinis ille color, laticis quem temperat humor,
In te transfixi vultum depinget Amoris,
Martyriumque colorabit, cui lancea pectus
Dira terebrauit poſt funera. Concipe flammas;
Stringe ſinu tormenta, irritamenta dolorum
Atque voluptatum. Cæleſtis origine pubes
Exorietur ab amplexu, quæ prodiga vitæ

Egre-

Digitized by Google

Franciſcus toties martyr, quoties, & quot eius filij pro fide mortui ſunt.

Egregias animas pro Relligione vouebit,
Vulneribuſque ſuis tua vota, & ſanguine multo
Paſcet, & implebit. Sic ſecula in omnia Martyr
Ipſe in Martyribus multis, tormenta, neceſque,
Et palmas ſimul ipſe tuas geminabis Olympo.
Felix, heu nimiùm felix, ſi cæde tuorum
Non ſemel in terris, animatus amore, peribis.
In mediū hæc memorās faſces iacit, arma furoris.
Intremuere fori; gemuit ſub pondere Nauis.

Faſciculos ſeraium inſtrumentorum amplexatur, & alloquitur.

At non extimuit Franciſcus. In illa cupito
Irruit amplexu, lacrymiſque rigauit obortis.
Dulce, ait, ò pondus, faſces, inſignia noſtri
Grata magiſtratus, virgæ, rigidæque ſecures,
Horribileſque cruces, vos ambio, mille ſuperbus
In pœnas, in fata. mei num dira cruoris
Vos ſitis excruciat? ſaturate: haurite fluenta
Pectoris, & patulis bibite omnia viſcera venis.
Non locus eſt multis anguſto in pectore pœnis?
Vulnera vulneribus feriantur: turgeat æſtu,
Creſcat, & exundet, niuibus cumulatus amoris
Atque pudicitiæ ſanguis; redeatque profuſus
Rurſus & in venas, vt ferro rurſus inundet,
Fractis aggeribus coſtarum. Pectus & artus
Multiplicabit Amor, vel dilatabit. hic arma,
Quæ feritas fabricat, dum temperat igne; rigorem
Miſceat, & rabiem, vires ſonitumque doloremque.
Eſt Amor hæc feritas, Pietas & amabilis Ira.
Non Amor eſt, ſi parcit Amor. per tela per enſes
Se probat, atque faces. viuit, ſi fata miniſtrat:
Si ſedet in crucibus, regnat: dat ſidera, plagis
Si ferit innumeris: ſi venas haurit, abundat
Gemmis atque auro: ſi languet, creſcit ad auſus
Ro-

Robore cæleſti viuacior: omnia vincit;
At nece ſi maior, victâ nece, vincitur. Ergo
In me conſpiret quidquid crudelis Enyo
Repperit in pœnas. Cruciatus, amabo: reſectis
Membrorum articulis, à me diuulſus, amabo.
Sanguine paſcentis feritatis alumnus, amabo.
Cautibus alliſus, flammis obiectus, in vndis
Obrutus æquoreis, tauroque incluſus aheno,
Compoſtuſque cadaueribus, laniatus, aduſtus,
Exoculatus, amabo. fibras è pectore, pectus
Suppoſitum capiti euellant; cor denique Amoris
Inde trahant ſedem: ſine corde, & pectore amabo.
Myrrhæ faſciculi dulces, mea ſceptra, volantis
Orbis ad Imperium, mea dulcia pondera, pennæ,
Queis volat ales Amor, me Mundi ferte per oras.
Dum vos corde fero; ſuper æthera, & aſtra feretis.
Vos ſuper aſtra Deum diuini machinæ Amoris,
Pegmataque, & turres, poſt Tartara fracta, necéque:
Terribilem ſpolijs Erebi, inuexiſtis Olympo.
O molles chalybes, ò mollia flagra, catenæ,
Et gladij molles, molles mihi fingite nidos,
Atque volaturo celeres excludite plumas.
Multiplicabo dies: pœnarum è ſemine ſurgam,
Igneus Indorum Phœnix. Mea ſarcina dorſo
Quam leuis impendes, dum deprimis! erige in altũ;
Sed ſuper alta crucis me brachia tolle, cataſtas
Et ſuper atratas, collo impendente ſecuri.
Dulce onus exoneras. tecum per Regna viator
Omnia percurram. properas ita penna volucres.
Dum grauat, exonerat. Iã peruolo. aromata, merces,
Has Orientis opes quæro. dabit India. ſoluo
In pretium curas, venas, & viſcera: memet,

In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies. Iob. 29.

Vt

Vt rapiam, abijcio: nuduſque, & cæde cruentus,
Chriſte, cruentato mihi te per vulnera iungam.
Talia dum fundit, ſingultus inter, & oris
Inter anhelantis gemitus; fluit humida malis
Lacryma. ſic inter calidi ſuſpiria venti
Nix Libano liquefacta ruit. Dum flumine dulci
Inſtrumenta natant, in faſces vincta furoris:
O metamorphoſis Superûm digniſſima plauſu,
Atque oculis, Franciſce, tuis! quot tela, quot enſes,

Mortis inſtrumẽta in faſciculos colligata inter amplexus Franciſci vertuntur in Martyres, ſinguliq; ſingula inſtrumenta manu præferunt, è quib⁹ emerſerant, et quibus necandi erant.

Quot virgas ligat amplexu, paloſque, cruceſque;
Tot micat Heroum pubes, & purpurat oſtro
Sanguinis, irradians gemmato vulnere. Quiſque,
Vnde ortum duxit, mortis gerit arma futuræ.
Virga flagellandos; iugulandos enſis; agendos
Crux parit in lentos ignes. hic emicat haſtâ,
Lancea quem fodiet: dirâ micat ille ſecuri,
Truncandus ceruice. æquis ſtant viribus omnes:
Bellum carnifices & ferramenta morantur,
Quæ venas animamque bibant. calet igneus ore,
Pectoris interpres fulgor: cor lumina produnt,
Quæ face ſcintillant: alimentaque ſanguinis ignis
Deperit, & plagis cupit ebullire recluſis.

Criminalis primus è Soc. in odiũ fidei necatus. Alphonſus de Caſtro ad littus maris trucidatus, cuius occiſores miſerè periere. P. Bart. in Hiſt. S.

Criminalis adeſt ferro traiectus iniquo,
Qui primus letho caput offeret, atque coronæ.
Alphonſus pelagi prope littora vulnere multo
Pulcher, & in multo metatus vulnere Caſtra
Bellica Virtutum; quibus Ira Tonantis in arma
Irruit, atque viri fera fata reuoluit in hoſtes.
Spinola ſplendidior flammis quàm ſanguine: Paulus
E cruce qui pendens ſociâ cum pube tonabit
Sanguinis eloquio & vocis; Carualius, altâ
Qui glacie ſtipante artus, incendia fundet;

Mul-

Mulciber vt niuibus galeatus & ignibus ardet.
Qui prior in foueam verſum caput inſeret aſtris
Nicoleos; & Gonzalus, qui corde diſerto
Verba dabit, ceruice carens; Miciſchius, ingens
Sarmatiæ ſidus; roſeoque in fonte Rubinus
Qui rubet,& gemmat:Marques,Didacuſque;tuęque
Flos & amor Patriæ,Capeci. Caſtra ſequuntur,
Centuriæque virûm, quos ſanguinis vbere mater
Nutriet alma Fides in Reges. Qualis ad auras,
Bellator Maſtrille,venis! tu nomine reddes
Franciſcum, feruore, animo, virtutibus. ardes
Fulguris in morem raperiſque; æterna manebit
Sed tua fama. metet cæli tibi ſerta ſecuris.
Sed non vna geris lethi compendia, furcas,
Et ſcalas, & ahena,cruces, ferrumque retuſum
Sæpius ad vulnus. Dulci ſub pondere ſudas:
E ſudore voluptatis ſed proſilit vnda.
Terribili ſtupet aſpectu, monſtriſque beatis
Territus exultat Franciſcus & æſtuat: vlnas
Tollit in amplexus: manibus rapere arma furoris
Pœnarum latro iam deſtinat: ire per enſes;
Lambere tela cupit; dare colla ſecuribus; artus
Malleolis inferre parat. ſe prouocat vltrò
Dulcibus indomiti furijs agitatus amoris.
Talia tunc medio Maſtrillus in agmine fatur.
Quis me carceribus longùm tenet? ò pigra votis
Secula? iam cæli magnum properare ſub axem
Felix prole virûm, pater, ardeo. temporis vrge,
Vnge rotas lacrymis: ſequor en veſtigia: curſus
Iam, Franciſce, tuos premo curſibus,actus ab æſtu,
Quo me ducit Amor,ſtimulat quo flammea Virtus.
An me currentem lethali pondere figet

Extincti Iaponicæ foſſæ ſupplicio.

Franciſcus Maſtrillus in aditu Iaponiæ poſt multa tormenta decollatus. ex v.

Ferrum percuſſore obſtupente ſæpe ab ictu refugit, & retuſum eſt. ex v.

Maſtrilli vox vitę in auras venire cupientis, vt pro Chriſto moriatur.

Mal-

Iſtu mallei ex alto decidentis lethaliter vulneratus fuit, & à S. Franciſco ſanatus ex v. Icone D. Xaverij aneos è pectore vibratos globos mirè repulit, hoſtes fugauit, ex v.

Malleus ? ite moræ : genitor, tua dextra refiget,
Transfigetque necem; leuiorque volabo per Orbem;
Nomine vt inde tuo latè portenta ferantur.
Hoc ego belligeras acies, claſſeſque faceſque,
Mille tuâ pellam munitus ab icone mortes.
Denique ſed moriar. quique olim funeris vmbras
Luce tua excuſſi, per te iucunda ſubibo
Funera, luce tua necis in caligine gaudens.
Tu quoque morte meâ, genitor, ſine morte peribis.
In ceruice meâ figet tibi vulnus Iapon;
Atque animas qui miſcemus, miſcebimus amnes
Sanguinis. è ſecto ſaliet mihi vertice : votis
Ille tuis erumpet, agens in ſidera fluctus;
Donec in Oceano, qui Numinis æſtuat ore,
Cor, vitam, curas, & nomina confundemus.

Caroli Spinolæ lento igne vſtulandi vox, & vota.

Spinola Maſtrilli voces intercipit. Ignes
Quid pigri torpetis adhuc ? agite ignea cæli
Sidera : pernici mea tempora ducite flammâ.
Si torpere placet, pigri torpebitis ignes;
Cum mihi tarda latus fax ambiet; vltima libem
Vt tormenta diù. Flammarum, Amor aliger, alas
Nunc quate; nunc noſtras tua ventilet aura fauillas,
Vt properent; phœnixq; rogo moriturus, vt annos
Ordiar æternos. flammarum lumina quæro,
Non Solis. placet vmbra rogi fumantis, & aura,
Non vitalis, at in flammas quam ſpirat ab ore,
Mortem halans Feritas in turbine. Pectoris ignis,

Aliorum pro Fide pœnas optantium voces, & deſideria.

Ignes qui ſuperat, me deuouet ignibus. ibo.
Ibimus; exclamant ſocia agmina : ſyrtibus, vndis,
Haſtis, cuſpidibus telorum, ſanguine, flammis,
Mortibus innumeris in vitam inſternimus omnes
En tecum, Franciſce, viam. ſic itur ad aſtra :

Sic

Sic vitæ iactu perituræ, vita paratur.
Mortalem ingredimur vitã, quam temnimus vltrò,
Et terimus, virtute gradus properante per auras,
Quæ dum linquit humũ, cælũ tenet. Omnis arena eſt
Cum phaleris tellus, & honoribus. aula, Senatus,
Aurum, diuitiæ, ſunt Orbis arena: premuntur
Si pede magnanimo, celeratur in æthera curſus.
Non ſecus alipedis quatit ocyor vngula campum
Tramite arenoſo, laxiſque exultat habenis.
Currite præcipiti, cita tempora, currite motu.
Vos deſiderijs vrgemus. Virgo, Penates
Quæ ſtabiles volitare doces, da mobile tempus
Pernices agitare rotas. Regina dolorum,
Tu noſtros ordire dies: Aurora, roſarum
Sparge manu nimbos, roſei argumenta cruoris.
Infice tu noſtrum maculis flammantibus ortum:
Tinge rubore. rubor deſignat nubila & imbres;
Dum primi erumpunt radij. color iſte ſit æui
Sanguinei lux prima, ferent cui vulnera mortem.
Hæc illi; vocemque diù, quam lacryma merſit;
Denique prorumpit Sauerius. O mea, Nati,
Gloria, ſpiratis qui pro vitalibus auris
Viuida vota necis, noſtris ſuccedite curis:
Me quoque, at in veſtri partem numerate laboris.
Figite vos ferro; flammis & inurite cordi;
Sculpite vos iaculis: vobis per vulnera iungar;
Aſt in vulneribus Domini patientis: hic omnes
Corde animâque vnâ ſociabit. Pectore quæ vis,
Quæ Regum rabies diuino diſtrahet? Æquor,
Aura, ignis, tellus, gladius, diſcordia, terror,
Quidquid erit, quidquid nec erit, non diſtrahet. Ore
Mors pauido, grauidâque armis minitabitur alto,

Ille vbi naſcentẽ maculis variauerit ortum, cõditus in nubem, ſuſpecti tibi ſint imbres, &c. Virg. Georg. 1

Xauerij vox mori deſiderantis omniũ quos vidit, martyrũ tormentis, ijſdẽque per ſupplicia coniũgi.

In multas geminata neces? non vita, voluptas,
Iraque non Regum vellet, non gratia, non mors.
Illâ nos, Nati, diuini cordis in Aula,
Conuiuæ Crucis in menſa, ſaturabimur. eſca
Pœna erit: impietas feret aurea fercula: ſanguis
Implebit pateras: dolor in cratera coronas
Ingeret atque roſas. epulabimur. omnia luxu
Sanguinis ardebunt conuiuia: vulnera lychni
Pendebunt cordis laquearibus, aſtraque vincent.

Sicut nouellæ oliuarum in circuitu mēſæ tuæ. pſal.

Menſæ in circuitu ſuper alta ſedilia, Nati,
Inſtar oliuarum florebitis. Ergo ſub axem
Ad pœnas properate. Fides & Virgo, ſalutem
Quæ terris peperit, præcones ire ſalutis
Vos iubet in terras omnes: pretioſaque curſus
Merx erit & pretium, tormenta per omnia, lethum.

Euaneſcunt nouo prodigio Franciſci ex oculis martyres, & pro illis ſilua remanet palmarum, & oliuarum.

Silua non iacit vmbras, ſed faces, quę in Franciſco accendunt ſāguinis fundendi deſideria.

Hæc vt refrigeret, ſpinis ſeſe flagellat.

Hæc memorans, dum cōplexu petit oſcula prolis,
Dulce iterum exoritur monſtrū. Chorus ecce ſuorū,
Quot ſteterant priùs ante oculos, euanuit auras
In tenues; & pro ſocijs complectitur vlnis
Palmas, atque oleas, fixâ radice virentes
In nemus ignitum, quod dulcibus aura ſuſurris
Verberat atque aperit, quò luminis ebibat imbres.
Frondibus arboreis non frigida ſpargitur vmbra;
Sed pia flamma rubet, ramis vibrantibus ignes;
Pœnarum calet vnde ſitis, mortiſque cupido.
Ergo Franciſcus nemoris dum feruet ad æſtum;
Vt refrigerium fuſo de ſanguine captet,
Veſtibus ardentes proiectis liberat artus:
In flagrum dumos torquet: ſe vulnerat; ictus
Ingeminât, renouatque ferox ab amore. reſultat
Vox reſonans inter plagas: Siluæ vmbra calorem
Dum fundit, flammas recreabo ſanguine. Mauri,

Digitized by Google

Ternatini, Amboini, quid parcitis? in me
Quid non carnifices immittitis? ipſe ſubibo
Carnificum partes. Vis pectoris, ingere vires
Centimanuſque feri; ſæuis contunde flagellis
Pectora, mitis Amor: venas rimare. viator
Hoc in fonte ſitim ſedabo. ſemita ad Indos
Sanguineis ſignanda notis. hac currite, Nati,
Currite, curretis; nam lubrica facta cruore
Læuis erit, reddetque leues in ſanguine curſus.

Hoc die procedente egit in ſilua palmarum. ex Turſ. Franciſci vox inter verbera.

Sit pietas calcaſſe. Furor tibi, Tullia, currum
Rexit & ambitio ſuper ora parentis: habenas
Temperat hic Pietas; flamma eſt auriga; curulis
Cor animuſque ruens, crucis ambitione, per vrbes
Orbis ad Imperium, mortiſque ad Regna cruentæ.

Tullia ſuper parentis corpus carpentū duxit. ex Flor.

Chriſte, mei pars magna animi, cor, vitaque cordis,
Martyrij cape primitias. do pignora: redde;
Redde ſed aucta; cruor quò venis plenior vndet.
Dum vili noſtras exhaurio ſanguine venas,
Supplementa tui da nobiliora cruoris:
Pectus amore imple: ſed amori iuncta, dolorum
Caſtra, ſinum pulſate. Oleis vmbrata repentè
Et palmis mea ſilua, iugo te, Chriſte, dolentem
Monſtrat oliuarum. Dolor ergo inuade: voluptas
Non placet à pœnis ſeiuncta. Adoleſcite oliuæ:
Iungite vos palmis: ramos innectite ramis:
Mille cruces, & mille rogos, & mille cataſtas
Fingite. lictor abeſt! Amor eſt mihi lictor: hic ignes
In tædam, in thalamum, ſponſęque in flãmea vertat.
Interea nemus igniferum, mea villa, cruore
Creſce rigata meo: rubeant tibi punica ramis
Mala; ſed hæc frangat feritas in fragmina: dumis
Sepiat, & laceret. Pietas per vulnera floret,

Videntis oleas repente natas Oliueti mōtis occurrit imago, & inde in pœnarū amorem accenditur.

Ad palmarū dictio alluditur, quo ſacrificat.

 Atque

Atque coronatur fracto ſub cortice. ſemper
Vel vallata rubis, vel dilacerata cohæret.
Talia verba inter,iactabat verbera. Liuent

Dum ſe flagellas, ignis loco ſanguinis erumpit è venis, quo ſilua corripitur et in cinerem cadit.

Corpore vibices: fracto de pectore ſanguis,
Flammaque prorumpit. ſic ictibus elicit ignem
Abſtruſum lapis è venis, & vulnere fulget.
Concipit è roſeis riuis incendia lucus:
Lucet & exardet: Palmarum in vertice victrix
Flamma ſonat: rapit inde oleas; properatque, reditq;
Aurato pede procurrens, palmetaque calcat.

In cinere Franciſci ſociorum mors adumbratur.

E crepitante tamen fumus non exilit igne:
Vndique ſed fulgor dimanat & ardor in auras.
Dum nemus exundat, dum concidit igne; ruina
Hæc placet arboribus; rutili placet vrna ſepulchri.

Religio exprimit in cineres ab vberibus lac, & hinc pulchriores ortæ arbores, Franciſci ſeſe implicant in coronam, omen vitæ immortalis, quæ martyribus è morte refloreſcit.

E cineribus olim ſiluæ cõbuſtæ floruiſſe triumphales arbores narrat Paſqualis de coronis.

Nam cadit in cineres dum ſilua; ciniſque beato
Dum ſeruat gremio flammas viuentis Amoris,
Illa calet; torpet; pallet, rutilatque; triumphat;
Exitio renouata ſuo conſurgit; & aurâ
Rurſus perfruitur formoſior, aſtraque cernit.
Relligio in cineres lac ſcilicet vbere fudit,
Vbere quo Pietas alitur, quo Gratia creſcit.
Protinus occultas vires & pabula tellus
Concepit: calor inde vias laxauit; & æſtas
In virides iterum cineres concoxit oliuas;
Et ſine proſciſſo venit æquore palma. ſequaces
Strictim frondeſcunt rami: dureſcere truncus
Cernitur; & trũco tremula incubat vmbra. comãtes
Innectunt frondes ſe frondibus: induit arbor
Arboris implicitæ ramos: ſe brachia miſcent
Florida complexu; commiſſus vertice vertex,
Et ramo ramus. Suſpenſis mira flagellis
Dum portenta vides, ſubtuſque recũbis ad vmbrã;

In

In diadema tibi, Franciſce, plicantur; & audis
Hæc inter frondes modulari murmura ventos.
Martyris ad ſertum quid anhelas? prole parentes,
Prole coronantur: ſertum feret inclyta proles.
E ſilua, Franciſce, tuæ cape ſymbola ſortis.
Vt tua ſilua perit, mox æthera clarior haurit,
Ignibus atque tuis caluit, viruitque cruore;
Æmula virtutum ſoboles generoſa tuarum,
Et flammis animata tuis, poſt mille vorata
Funera ſic viuet, toleratis florida pœnis.
Pectore non fracto, franget necis arma: decorum
Concidet in cinerem: ſed pulchrior inde reſurget;
Sidereaſque metet cinere è frigente coronas.

In Nauim rurſus poſt hęc portenta migrare
Lauretana Domus viſa eſt. Dum ſilua recedit;
Sola, coronatam lauro, tegit ardua puppim
Palma rati defixa. Manum tunc vertit ad Indos
Relligio, & vocem. Saueri, perge: volantem
Ampliùs haud remoror. Stygis erutus Orbis ab vn-
Te nouus implorat. magnos ordire labores. (dis
Armeniæ velut Arca iugo ſuperadſtitit; hæſit,
Ignito vectante mari, ſic Virginis aræ
Alta carina tui cordis. deſcendere diſce
Hinc ſuſpirantis, pater, in ſolatia Mundi.
Hunc verbo paries: hæc fundere pignora verbo
Te Domus hæc, Patris Verbo fecunda, docebit.
Grata tuis flammis iam feruet victima: fulget
Picta tuis radijs in ſignum fœderis iris.
Numinis è gremio iam candida deuolat Ales:
Explicat explicitis iter hæc, & prouocat alis.

Has inter voces è nube Columba volauit,
Filia Candoris Paciſque; atque ignea pennis
Detulit in roſtro ramum frondentis oliuæ,

Laur. Domus Franciſco veluti nauis rurſus apparet.

Religio illum ad iter hortatur.

In nauim Columba deuolat cũ Oliuæ ramo.

Aligeri labũtur è cælo in nauim, et cãtus inter impellunt i lam remis ad curſum.

Quo ſignare viam gaudet, Ditiſque cohortes,
Ne mare conturbent, ceu flagro, pellere cælo.
Aligerũm formoſa cohors tunc lapſa per auras
Pars puppim inſedit: pars tranſtra: intentaque remis,
Hos ſimul & voces in feſta celeumata iactat.
Sternite iter, Superi: celeres freta findite remis:
Vela volate Notis. martyr Franciſcus Amoris
Martyrij vexilla gerit, ſceptrumque doloris.
Quam tulit Ales, alit flammas; & amara dolores
Signat oliua; eademque liquat dulcedinis imbrem,
Dum prælo premitur, iucundæ teſſera mortis.
Vela volate: docet vos lapſa Columba volatum.
Numinis illa volat ſpirabilis aura: volate.
Illa mouet pennas: remis ruat incita Puppis.

Columbæ gaudent vnguentis.

In pennis vngenta gerit: ruat vncta carina.
Illa gubernatrix: moderantis iuſſa ſequamur.
Credidit illa tibi donum, Franciſce, Pudoris:
Has merces, & Candoris nos dona feramus.
Non rapiet Pirata; maris non diſtrahet error.
Virginitas ſecura tibi, Franciſce: feramus.
Non timet accipitres, quæ merces deuehit Ales:
Non pelagi formidat aquas, quæ fluctuat igne;
Non ſcopulos, quæ corda liquat; non turbinis iras,
Quæ plumis Zephyros agitat; non ima Profundi
Naufragijs quæſita: volat ſuper Æthera pennis.
Vela volate Notis: nos vecti ab Amore volamus.
India pande ſinus; & portus India pande.
Emporium mercatori non pandis auaro?
Emptoris ſi quæris opes; cum ſanguine venas
Erogat in pretium, vitamque licetur. Olympus
Venditur hoc pretio. properemus. lucra carinas,
Non maris vnda, ferunt. Nos ò ſi corpora mentes
Pœnarum induerent expertes! vulnera, pectus,

In

In mercaturam vitam impendiſſe iuuaret ;
Inuidia Aligeros hæc dulciter vrit . eamus,
Aura fauet; fauet vnda. Viden! cecidere tumultus
Æquoris irati; dum perſonat ala Columbæ .
Illa nouum vehit ore diem, ſcinditque procellas;
Dum ſecat ala auras . Sirenes , cedite Ponto:
Aëris eſt ales Siren , innoxia Siren .
Si canit illa , dolos eludimus ; vndaque ſeruat ,
Non violat malè fida fidem . Dum carmina Diui
Remos & citharas in luminis æquore torquent ;
Mira Ratis dum pulſa volat ; ſua cantibus addit
Vota Pater . Superi , patet India ? dicite, nautæ,
Cærula cæleſtes qui verritis . anchora , portus ,
Littus vbi eſt ? venti intendunt ad Iapona curſum ?
Vllane ſit nobis tellus iucundior ? vlla
Gratior ad noſtram ſit marmoris ora quietem ?
O ſocij , lætas ad littora vertite puppes .
Præripimus terram ? deſcendimus ? ò mea pubes,
Dicite . iuſſa ſequor : pes emicat : ardet arenâ
Figere in optatâ veſtigia . dirus Iapon
Occurrit fera tela ferens ? occurrat : inermis ,
Lætus in amplexus occurram . hic arcus in arcum
Expanſis vlnis ab Amore parabitur : hoſtem
Immergam lacrymis pro ſanguine . miſſile telum
Cor erit . occurrat . vibrat , ſi vulnera , vici .
Hæc eſt in votis victoria . Littore Amazon
Mecum belligera , cæleſtis Virgo . mamillis
Belligerabo tuis & lacte : hinc fulmina , & ignes ,
Et paro malleolos : his exarmatus in arma
Venit Amor . Pietas bellatrix lacte Pudoris ;
Non face , non pluuijs ; pluuiâ dulcedine vicit .
Littus vbi ? mea ſtella, doce : tua metior aſtra :

Canentibus Angelis accinit Franciſcus, & tenere auidè cupit Iaponiæ portum.

Implorat B.V. opem.

B. Virg. vox.

Seruo oculos, mea Diua, tuos? Vox reddita: ſerua.
Longa tibi remanet ſed, longa voratur amore
Semita. iam propera: cæleſtibus vtere donis.

B. Virginis in Ægyptũ euntis imago Franciſco duobus ab Angelis è cælo defertur viæ ſolatium, & vita.

Ecce autem gemini cælo labuntur ephebi.
Virginis extollunt porrectis Icona palmis,
In Peluſiaci crudelia regna Tyranni
Maturantis iter. ſudor prorumpitur ore;
Vt ros in violas & lilia: perluit artus,
Atque genis gemmat. graditur per teſqua ferarum,
Saxa, per & ſiluas: dant latè fracta ruinam
Hinc atque hinc ſimulacra Deûm. terit illa cadētes.
Hinc fremit Impietas, vindictamque excoquit irâ.
Icona dum vectant, celebrant ſic munera cantu.
Verſa ſuper, Franciſce, pedem delubra Deorum
Pone: præit Virgo; greſſu Regina niuali
Signa premit quæ Niliaci peregrina Canopi.
Indus erit Nilus, fœdo qui gurgite voluet
Crimina, & impurâ Crocodilos euomet vndâ.
Hæc memorant: donumque, viæ ſolatia, linquunt

Conſumptis Franciſci ſacrificantis in pectore vini ſpeciebus, omnis ab oculis ſacra metamorphoſis euanuit. Solam ſibi relictam in manibus Peregrinę Deiparæ videt imaginem, & ſalutat.

In manibus, Franciſce, tuis. Tunc ſcena receſſit
Aligerûm: motuſque Domus, per amica natantis
Æquora fulgorum, ſtetit illico. pectore ſanguis
Deſierat feruere, meri ſub imagine; formam
Dum calor immutat. Sibi redditus ille; ſinuque
Icona complectens, dedit oſcula: Pondere, dixit,
Hoc iter aggredior. mea ſarcina, Virgo, quadriga,
Cymbula, nauigium, via tuta, cibatus, & hoſpes,
Virgo, veni. tua forma mihi fax aurea cæli,
Nubila qua pellam ſcelerum, qua bella mouebo,
Qua cæcas penetrabo vias, qua lumina Ditis
Obcæcabo. veni. tua forma informia Mundi
Ora reformabit, Charitum qua gratia Numen

Pul-

Pulchriùs emicuit terris . diſcede: quid afflas
Lumine Sol Indos primo : diſcede ? Virago
Irradiat vultu pro centum Solibus Indos.
Virgo veni . non exuret plaga torrida Solis ;
Si me , rorifero ſudoribus , aſpicis ore .
Frigora non ferient glacie concreta : caleſcam ,
Lumina ſi vertas in me : non vnda vorabit ;
Si vehis in gremio , quo nauigat Orbis ad aſtra .
Tela parat Maurus ? clypeatus ab Icone,pellam
Omnia tela procul ; clypeorum millia pendent
Vnde fabro fabricata Deo . Tu , Virgo , pharetra,
Miſſile qua telum latuit Deus . omnia frangam
Spicula , belligerâ pharetratus Virgine . Virgo ,
Virgo veni : vocat aura : tuâ ſub veſte carina,
Carbaſa contemnens,volitabit : ſpiritus oris ,
Quo laudes celebrabo tuas , erit æquoris aura .
Hæc, Franciſce,tibi dabit Amphitheatra,triumphis
Atque oleis deuota dies . meliora ſed Æther
Proferet ad lucem rediuiui Numinis ; & te
Obijciet tibi ſpectandum , magnoſque Nepotes,
Supplicijs exornatos ,& cædibus auctos .
  Bis quater ore diem poſtquam Sol lumine pinget;
Franciſcus laticem rurſus libabit Amoris .
Diuini calet ecce iterum ſitis alma cruoris;
Et redit ad notas epulas ,& pocula Diuûm .
Dum facit ; in partes cælum patet : aſpicit aulam
Aligerûm feruere globis , hominumque niuali
Veſte renidentum , quam ſanguinis vnda dealbat,
Cum ſonitu è roſeis illapſa canalibus Agni.
Sidereo ſedet hic ſolio,Superoſque coronat ;
Sub pede purpureo Vitreum dum purpurat æquor.
Excipit hoc rutilos quino de vulnere fontes ;

Turris Dauid. mille clypei pendẽt ex ea, omnis armatura fortium Cant. 4.

B. Virgo pharetra fertilis, & armamentarium copioſũ. S Idelph.

Poſt octiduũ à Dominica Palmarum, iterum in Laur. Domo ſacrificat die ſacro Chriſto reſurgenti .

Iterũ ebrius diuino ſanguine videt , quod olim vidit Ioannes, ſedentem Agnum; eius ad pedes mare vitreum ; & eos qui in veſtibus albis Agnum ſequuntur .

Tem-

In mari vitreo nauim aſpicit, cuius armamenta Chriſti tormenta.

Tempeſtas fluit vnde auri pretioſa ; minutas
Quæ lambit ſtellas; pelagus ceu lambit arenas.
Per mare Cryſtalli Sauerius ire carinam
Aſpicit, atque regi clauo radiante. Tonantis
Crux clauus ſuperabat aquas; & carbaſa nauis
Veſtis erat, qua, dedecorum Rex, ante Tribunal
Præſidis Auſonij, lacero Reus integer oſtro,
Conſtitit; & ficto patuit Rex verus amictu.
Claui aderant remi terno ordine; lancea roſtrum,
Quæ latus exhauſit; laquei manicæque rudentes;
Spiritus, aura, Deus; Cynoſuraque vultus Amoris.

Videt ſe hac in naui Frãciſcus, Heroeſque multos circa ſe.

Se videt in puppi Franciſcus; & agmina circum
Multa Virûm, vitæ qui poſt diſcrimina, vitam
Mortis ad expertem appulerant; & claſſe beatâ
Deluſis Mundi Sirenibus, aurea cæli
Littora ſtringebant. Tunc vox audita canoro
Ex Agni ſolio, vocem geminantibus vndis.

Caleſtis Agn' Nautas excipit, ſalutat, & laudat.

Heroum Claſſis, me Numine digna Propago,
Cuius remigio ſonuit mare ſanguinis; euge:
In littus deſcende meum, Regnumque capeſſe.
In mare Cryſtalli, mare ſanguinis albuit: enſes
Qui ſecuere artus, veſtræ ceu roſtra carinæ,
Littora noſtra tenent. Quiſquis cruce nauigat, ipſo
Æthera naufragio reperit: crux ardua ſedat
Sola maris furias; Zephyriſque inimica, procellas,
Quas tolerat, frangit; domitoque Aquilone triũphat;
Fertur & in cælum generoſæ nauita claſſis,
Atque gubernator. Saueri, aduerte carinam:

Franciſcum ad amplexũ vocat.

Noſtra tibi æternum curuabunt brachia portum.
Sat labor, & ſudor; ſat lacryma: terge madentes
Magnanimo ſudore genas. deſiſte, dolorum
Ingenioſe faber, geminatas reddere voces:

Non

Non ſatis eſt: cæli renuens ſed gaudia, rurſus
Ingeminare: ſat eſt. præcentor cantica verte:
Sume lyram: cane. Mœrores, curæque neceſque,
Errores, fraudes, labor ambageſque viarum,
Calcatique rubi, ſcopuli, mare, littora, montes,
Paupertas, & longa fames, ſitis atra, Tyranni,
Maurorum lapides, circumque volantia tela,
Iam ſatis eſt. pluuiæ decorum, laudumque tributa,
Torrenteſque voluptatum, pelaguſque nitorum,
Deliciæ ſtabiles, opulentia, gaudia, riſus,
Non ſatis eſt. donec cælum, & cæleſtia; donec
Ipſe ero, non ſat erit. merces expone ſalutis,
Egregias Animas, venales ſanguine noſtro.
Merx ero pro multis tibi mercibus. Hoc ſatis vnum.
Interea rumore ratem applicuere ſecundo
Aligeri; ſiluæque viam ſecuere propinquæ.
Ductus vt ad ripas Vitreo fuit æquore; palmas
Suſtulit in cælum Sauerius; oraque ſoluit.
Agne, ſedes qui ſidereâ dominator in aula,
Sit tibi Maieſtas, Sapientia, Gloria, Virtus;
Æterno donec voluentur ſecula gyro.
Agne, cruore potens, veneror tua vulnera, pacis
Aurea ſigna tuæ, cæleſtis & vbera vitæ.
Hæc decorum fontes ſunt vulnera, pulchra pudicæ
Rura voluptatis, mare luminis, Ætheris Æther.
Hæc ſuperi vexilla Ducis, bellantis Olympi
Arma, triumphales arcus, & claſſica belli.
Vos colo corde genuque, mei fidiſſima Regni
Pignora: pro lacrymis rigo vos dulcedinis imbre,
Qui pluit è veſtro, mea roſcida ſidera, ſucco.
Chriſte, amor & requies, & ſuſpirata laboris
Meta mei; noſtri teneo te cordis in vlnis,

Vox hæc fuit Franciſco familiaris: ſat eſt in cæli delicijs: Et in pœnis: plus Domine: non ſatis eſt.

Aduertunt rēpis proram Aligeri.

Franciſcus deſcendit: Agnū adorat. Agni glorioſa vulnera ſalutat.

Vul-

Digitized by Google

Vulneribuſque tuis & corde ligatus, id vnum
Ardeo, Chriſte: mori pro te. procul omnia: tantùm
Te complexus, amo vitæ diſſoluere nexus
Enſibus & iaculis. Moriar ſine morte beatus;
Dum mortis monumenta tuæ, tua vulnera, pectus,
Atque pedes, patulaſque manus, mea vulnera, libo.
Hæc mea ſunt, mea ſunt. hoc luminis æquore nomẽ
Protinus amiſi, mea, me. Franciſcus in auras,
In nihil exceſſit. ſi quæritis; ite; Tonantis
Quærite cor latebraſque animæ: mea vita migrauit
In Domini vitam: lateriſque ſepultus in vrna
Viuo ego iam non ego. Nõ ego ſum, ſed Chriſtus. Amor permiſcet Amãtes:
Vulnera vulneribus, cor miſcet cordibus. ergo
Sunt mea, quæ Domini foderunt vulnera pectus.
Si mea ſunt; me iunge tuis, Rex Agne, cruentis
Martyribus. Vici: tua per communia vici
Vulnera: victorem, cæli me concine Pubes.
Cor Chriſti, lyra noſtra ſonat: liquat illa perennes
Murmure iucundo, fuſo pro ſanguine, cantus.
Reſpiro: labor omnis abeſt: manet vna voluptas.
O nidi ò ſedes ò cæli, vulnera, Tempe!
Sic penſas breuis ætatis diſcrimina? cælum
Guttula ſic ſudoris emit? ſic lacryma Numen?
Vita fugax æterna rapit: cæleſtia prenſat
Neglectæ fuga telluris: pes calcat arenas,
Et premit aſtra: aurum fugit, & prædatur Olympum:
B. Virgo ſe Franciſco videndam præbet, & ad latores Indicũque iter inuitat. Hoc Superis fœnus: placet hæc vſura bonorum.
Iamque aderat Regina parens, cui textilis aſtris
Palla nitet, ſpiratque oculis & pectore Natum.
Quà regale Deus ſolium premit, illa coronam
Vertice deponit, potatque in lumine lumen,
Flexa genu. Mox aſtantem proſpectat alumnum:

Ex-

Excipit : aduentu gratatur ; & obuia dextram
Tendit in amplexum. Mea cura, quid, inquit, in oris
Ætheris ? vnde viam ? vel quo ? ſic India mente
Excidit erranti ? Stadium vix corripis, vrbe
Miſſus ab Auſonia, flammis cæleſtibus actus
Orbis ad extremi metas ; cum Limine quæris
In Lauretano ſedem, quo ſe, abditus aluo,
Sol Deus ad curſus inſtruxit ? Amœna vireta,
Atria Cælituum, Vitreum mare, præmia curſus
Sunt nobis ; tibi calcar erunt. Sic arduus Axe
In medio Saulus, melior rediturus ad imam
Præco Tonantis humum, non cæco cæcus amore,
Vidit & exarſit diuino in lumine : vidit
Numinis illuſtres vmbras, quibus extat ab vmbris
Dulcior erumpens Maieſtas. Otia Diuûm
Sit libaſſe ſatis. curſus tibi, cura laborque
Condiet æternas epulas, & gaudia cæli.
Non ſecus empta placet victoria ſanguine multo,
Sic agitata iugis, deiectaque ſæpè ſagittis,
Retibus & canibus, quæſitaque ſæpiùs antris,
Dum fera mactatur, patulo de vulnere rorat
In venatores cum ſanguine mixta voluptas.
Vince Orbem : Cruce belligera ; cæloque reponet
Crux eadem te victorem. gradus illa triumphis
Et gradus ad Superos. Age nate: parentis ad vlnas
Hinc abiture, veni. Lac ſuge. hinc ebibe vires.
Vas Mariæ lactis, Ieſu vas ſanguinis, effer
Nomina noſtra per extremi confinia Mundi :
Lacte meo populos, & Nati ſanguine merge.
Hæc ait ; & grandem mammis admouit alumnum.
Protinus exarſit niueo Sauerius imbre ;
Et clamat. Cælo diſcedo ; ſed vnica cælum

B. Virgo lac Franciſci labris inſtillat, vt dulces illi reddat ſequuturos labores. Aeſtuat eo lacte Franciſcus.

Gut-

Guttula lactis habet, Stellas conuoluite & orbes,
O Superi, aſtriferos : puri mihi ſtillula lactis
Eſt globus Empyrei, Vitreum mare, vena bonorum.
Virginis ò lac ſtillati compendia cæli!
O Diuûm nectar, ſuccus Virtutis adultæ!
Virginis ò mammæ, vinaria cella Pudoris!
Pocula, quæ Pietas dum propinauit Amori,
Ebrius incaluit pœnarum protinus æſtu.
Haurio vos labris & corde: hinc omnis amaror
Æquoris atque animi dulceſcet, & ipſa doloris
Filia mors nigro pariet mihi gaudia vultu.
Ergo tuo, Genitrix, robuſtus lacte, triumphos
Ante acies ante arma cano. lac ſanguine miſtum
Nati, Virgo, tui, dulcedine molliet Indos.
Regna oculis formoſa meis, ignara laborum
Curarumque, valete: vocat fecunda periclis
India. vos repetam; poſtquam ſimulacra Deorum,
Et delubra premam, victor quibus Æthera carpam.
Scilicet has Pietas in cælum fabricat arces.
Hæc memorans, Lauretanam experrectus ad aram
Redit ad ſenſus. Franciſcus ſe ſtare videt: geminâque procellâ
Lætitiæ luctuſque agitur. placet ardua Virtus,
Difficiliſque labor: ſed viſa theatra dolorem
Dulciter inſinuant. iuuat at vidiſſe. Tonantis
Iter aggreditur Franciſco, vt peregrino quôdam Moyſi Dei ſpecies obiecta, vt inde excurreret ad prodigia. Clauſa oculis, ſed aperta animo ſolatur imago;
Imponitque, Dei libamina prima, labori.
His hauſtis tandem mentis per lumina flammis,
Expediet Franciſcus iter; vireſque faceſque
Cella miniſtrabit, Lauri quæ nomine vernat.
Non ſecus immiſſis Ægypto clarior vmbris,
Mitior & multo populorum funere Moſes;
Dum ſe prodigijs ferus apparat; atque ruinas

In

In Peluſiacas ſtimulante ferocit amore;
Arabico calet ante Rubo, & ſe ſuſcitat igne.
E tumulo Rubus ardebat, flammâque fideli
Irradiabat agros: pauidos innoxius ardor
Vallabat terrore vepres: dabat oſcula ludens,
Figebatque pij tentoria lucida belli.
Dumus ab illuſtri viret obſidione: theatrum
Ipſe ſibi pandit: reſono canit igne triumphum;
Et gaudet nexis fœdus componere ramis.
Explorat propior miracula Legifer: æſtus
Concipit innocuos, & amoris corde tumultus.
Erigit exutas cupida in veſtigia plantas;
Et procul affulget per amica incendia Numen.
Omnipotens ſedet in flamma: ſed flamma Parentem
Signat virgineam, quæ non violabilis vnquam
Igne malo, ardentem gremio concepit Amorem.
Igniti fulgore Rubi ſcintillat in arma
Hinc iuuenis bellator: amat iam ſigna Canopi
Sacrilegaſque aras, Mareotica Numina, Anubim
Ora exertantem, cornu inſultantis Oſiris,
Anguibus & ſaturas Ibes, turbamque Deorum
Cum Duce, cum populo, Pharioque euertere Regno.
Eſt Rubus ardorum Domus ignea Virginis: aruis
Namque vbi Picenis; ceu pyramis alta, ſedebit;
Luminis æterni non magno limite ſulcus
Tecta ſuper ductus rutilabit. Semine paruo
Mox effuſa ſeges, radiorum adoleſcet ariſtis;
Attonitæ donec victâ caligine noctis
Auras immenſo circum fulgore ſecabit.
Tunc, innixa rubis, hæc mœnia luce natabunt
Innocuâ, quæ ſtellarum pulcherrima flores
Inſeret in ſpinas, quas eriget obuia ſepes.

Moyſis rubus in igne incõbuſtus.

B. Virgo igneo rubo ſignata.

Dij Aegypti.

Caleſtes flamma in ipſo Templo Lauretano viſa, vt olim Moyſis in Rubo. ex Turſ. l. 3. c. 14. hiſt. Lau. Sub imis S. Domus fundamẽtis proximi ruris ſepes oppreſſa eſt ex eod.

Hinc

Ex hoc Rubo SS. Viri flammas in bella ſalutis attollunt.

Hinc Franciſcus,& Heroum,quod naſcitur agmẽ
Purpureos voluens fluctus, dulceſque furores,
Sollicitum celerabit iter, profugoſque ſequetur;
Obuiaque ignitâ certamina proruet haſtâ
Cælitis eloquij. franget ſimulacra Deorum:
Si quid adhuc remanet Phariâ de peſte, fideli
Delebit curâ, Pharaonemque æquore merget
Sanguinis, è Chriſti quod Erythrâ pectoris vndat.
Huc pede nudato pauitans accede viator,
Moſis ad exemplum. Flammis rubet aurea circum
Purpura, & inſonti maieſtas fulgure lucet.

Spina regnũ affectauit. Iud 9.

Hic ſpina in medijs regina nitoribus ardet:
Pallida non tamen in cineres langueſcit inertes.
Hoc tantùm combuſta Rogo,pice paſta voluptas,
In nihilum ieiuna cadet; ſed viuida vires
Ætheris hinc capient incendia. Gratia viuet,
Hoc Pietas,Candorque Rubo, Metanœaque dumos
Innocuos hic ſeruabit,quibus extrahit imbres
Sanguinis, atque ignis; dum pungit corda dolore.
Pone metum: ſuccede Hoſpes. quæ ſpinea pectus
Crimina dilacerant, ſacros vertentur in ignes;
Et referent purgata decus; dominantis & oſtrum.
Hæc Vriel, fando inſignis, ventura canebat
Prælia, quæ flammis agitaret flammea Pubes.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XVI.

ARGVMENTVM.

Poſt 4. Angelorum cantus B. Virgo Amor, & Pax, vt S. Domum proſequantur, adſunt in nube. Pacifer ſacra Palæſt. loca ſalutat. fit commigratio. Lucifer in aëre tempeſtatem mouet. A Michaële conteritur. Nereus S. Domum ludis honorat. Dum ſupra mare defertur, orat, vt maneat in mari. Pacifer hunc ſolatur.

HOs inter cantus; Superûm dum pendula pēnis
Incumbit diuulſa iugo, motumque moratur
Paciferi diuina Domus; venit Æthere ab alto
Virgo Parens. Subitò tunc facta ſilentia linguis
Aligerûm. Populi ſic muſica turba volantis
Inceptum premit ore melos; ſi fortè ſedentem
Reginam alituum montano in culmine cernit.

B. Virgo è cælo venit, vt ſua Domus iter in nube proſequatur.

Virgo aderat Laris antiqui viſura triumphum,
Et radijs auctura ſuis. In Virgine pendent
Obtutu Superi; capiti, dum Virginis Ædes
Impendet Superûm. Cupiunt defigere plantis
Oſcula; ſed prohibet pondus: quibus illa rependit
Obſequij pretium, vitalia gaudia riſu.
Splendet odoratis diuina Puerpera nimbis
Externos viſus iucundâ arcentibus vmbrâ.
Multa ſed è nebula ſe latè gloria pandit;
Ceu magis è tenebris aſtrorum fulgurat ardor.
Dum mouet illa pedes, pedibus compreſſa ſuperbit
Aura: iubet choreis ſecum contendere ventos.

B. Virginis forma, & habitus.

Saltibus hanc ludens agitat, mollique flabello
Gaudet anhelantes mulcere Fauonius Auſtros.
Pro gemino dum Sole flagrant in Virgine malæ,
Per dulces luctata ignes, ſeſe illius aptat
In ſolium nubes, Zephyris plaudentibus acta.
Vertitur hæc eadem in currum: ſe lunat in arcum:
Cernua multiplici Thaumantide cingitur: auro
Depluit & gemmis: trahit ad ſua frena volantes
Aligeros: rutilo ſtellarum grandinat imbre.
Virginis in velo, lucis patrimonia cælum
Omnia conſumpſit: frontem diadema quod ornat,
Sol emeret cunctis, mercator nobilis, aſtris.
Quis referat te, Diua? Fluunt tibi ſyrmata textu
Sidereo: vaga palla vndat, porrectaque nubem
Inflammat radijs: ſceptrum, geſtamen honoris,
Sed Barathro telum attollis: redimita decore
Frons vernat, ſpargitque diem: tibi labra modeſto
Margine lacteſcunt: certat cum lacte roſarum
Fulgor, & auguſto protuberat amne nitorum.
Gratia blanditijs ludit cæleſtibus: afflat
Ore Deum: promit tacitâ de mente refuſum
In frontem iubar; ardores aſpecta pudicos
Vibrat prodigio formæ: cum lumine rorem,
Et cum rore faces obtutu voluit amico,
Lilia, ſpectantum quo florent candida corde.
Haud ſecus ad Solis vultus, & ad vbera roris
Exurgunt flores, contracto frigore pigri,
Sublucetque roſæ ſua purpura: frondibus auram,
Et fugitiuam halant animam morientis odoris.
Virtutes B. Virginis ancillæ. Diſcolor hanc circum, ceu Lunam ſidera, geſtit
Aligerûm formoſa manus. Cui nobile ſupra
Naturam ingenium, Virtus latus obſidet omnis.
Emi-

Emicat igne Fides, tenebriſque decora ſerenis; *Fides.*
Quæ cælum celata aperit, quæ lumina pandit,
Corde vigil, ſed cæca oculis, excluſa beatis
Sedibus, at ſuperi Regina beata Theatri;
Plena Deo, ſceptroque potens, licet exul Olympo,
Quem populis implet, geminat cui lumẽ ab vmbris
Ipſa ſuis, frontis cui velo arcana reuelat.
Spes etiam properat iucunda virore, dolentes *Spes.*
Quæ fletus inter felix, pacataque votis
Exultat, ſeſeque mouet ſuper ardua pennis.
Torquetur, fruiturque ſimul, rapiturque; ſed hæret
Fixa Deo, ſolis & Amoris vtitur alis,
Cuius & igne agitat ſua vota; vnâque laborat
Mobilis in cura, curâque quieſcit in vna,
Qua rapiat ratione Deum. Venit Ardor Honeſti,
Et Recti, Verique Tenor; Prudentia regnum *Aliæ virtutes*
Arbitra; Relligio cæleſtis forma ſenatus,
Numinis obſequio quæ tela rebellia tundit
Hæreſis; implacidi domitrix Sapientia fati;
Nominis intrepidi Virtus, quæ iuſta miniſtrat
Prælia voce, manu; nitidique Modeſtia vultus;
Corporis alma Salus animique; & Gaudia, Diuæ
Siderei comites ex Ætheris Alpibus adſunt.
Irradiat vicinus Amor tibi, Virgo: laborat *Amor B. Virginis aſtat ad latus.*
Ire pari ſtudio poſt Limina, luminis vmbrâ
Qua quondam illuſtri texit, dum colligis ignes,
Diua, ſinu, puerumque Deum. Tunc ille profundo
Te viſu luſtrans, cæleſtia pignora finxit *Amor ius habet in S. Domum.*
Luce ſuâ, ſuccoque tuo: mortalis Amantis
Immortale opus expreſſit, iactuque caloris
Membra figurauit, puro ſata ſanguine, rore
Et ſata Candoris. Per te ſpectabile Numen

Hac Laris auguſti ſcenâ ſeſe obtulit Orbi.
Hanc iterum aſpectu decoras. color igneus ardet,
Eius forma, & habitus. Et micat in malis: oculi ceu fulgura nictant:
Lætior in labris viuit color oris amœni:
Per peplum ſcintilla rubet. fert læua ſagittas,
Queis,cum vulneribus,veniunt in pectora ſenſus
Æterni; venit ipſe Deus; transfixaque corda
Excipiunt patulo, dum languent, vulnere cælum.
Tædam dextra quatit,quæ pellit cordibus vmbras,
Perpetuoſque rogos malè olentis nutrit Auerni;
Quæ pœnas miſerorum acuit; glaciemque rigentem
Connubio ligat æterno cum vindice flamma.
Pax ad alterum B. Virginis latus excubat. Excubat, atque latus Pax Virginis ornat,eâdem
Stans in nube. micat frons iride,luce propinquâ,
Quæ Diuæ natat in vultu: Pax pectore pacem
Eius forma, & habitus. Haurit Virgineo: puro labra roſcida lacte
Ambroſiam ſpirant: enſes, haſtilia, contos,
Sedet Pax S. Domus in vertice. Loricas, galeas, populatriceſque ſariſſas,
Pila, ſagittiferos arcus, clypeoſque, pharetraſque,
Euulſas capiti criſtas, vexilla, tubaſque,
Eius habitus, & forma. Telaque magnanimo victrix pede calcat. Oliuæ
Pro ſceptro ramum ſuſtollit,pondus amoris,
Et ſtimulum Bellatoris, qui militat aſtris.
Cæſaries fluitat,proprioque tumeſcit in auro,
Mergitur atque perit rabies quo naufraga ferri.
Pura triumphali dependet purpura dorſo;
Non vitiata tamen Tyrio malè flagrat in oſtro;
Chriſti pœnarum inſtrumenta acu picta Pacis in purpura. Sed medicata rubet diuini ſanguine Regis.
Mollia fila rubos pingunt, clauoſque trabales,
Quadrifidamque Crucem, roſeoque tepentia rore
Vincula,flagra,haſtam,dotem & patrimonia Pacis,
Serpens argento, ſquamiſque adamantis oberrans,
Tex-

Textilis auratos, ceu fibula, nectit amictus;
Triſtis imago Anguis, generis qui germina noſtri
Peſtibus afflauit bellorum, & fœdera rupit
Sacra Deo: ruptuſque tuo, Pax inclyta, telo,
Effundenſque luem calido de vulnere, Martis,
Extinxit tabo, quos tabo accenderat, ignes.

Balteus, ſpolium ſerpentis, qui Aeuā decepit.

Hoc habitu licet immineat Pax alma trophæis;
Ora tamen pallent, caligine merſa doloris:
Immiſcent nebulâ ſcintillas, gaudia luctu:
Lumine contriſtant dubio, ſolantur amœno.
Ætheris horror amorque, oriens ita luce Cometa
Dum ridet, triſti deſignat funera riſu,
Et crines pandit, vexilla volantia mortis.
Qualis ades, Pax alma, genas non viuida pingit
Gratia; ſed celant velamina lutea vultum.
Squalet ebur frontis: viduatus ſanguine candor.
Spargitur, & malas delibat lacryma lapſu;
Haud aliter moritura Ioui dum ſupplicat herba;
Lumine dum Titan, cælum dum fulgure ridet;
Depluit æſtiuis leuis vnda caloribus impar,
Et fruſtra humectat guttis ingentibus agros.
Hæc eadem pacis dederat ſpectacula Princeps,
Ingenuo ducente choro, mitiſque triumpho.
Hic palmas inter populique fauentis oliuas
Ad Solymæ Templum, ramis vmbrantibus, ibat.
Dum pecudis ſedet in dorſo, gerit ille ſedentes
Ore ſuo Charites: ver explicat ore ſalutis;
Dulcibus & lacrymis turbas plauſuque frementes
Attrahit aſpectu, populatur & omnia corda,
Omnibus ille ſuum dum cor, dum viſcera donat.

Pax venturis Palaſtinę malis turbatur.

Æſtate cadūt ſereno cælo imbris guttæ grandiores.

Chriſtus etiā ſuo quondam lacrymatus in triumpho. ex Luc. 19.

Vt Solymam vidit, damnataque mœnia Marti
Auſonio, verſans imam ſub pectore curam,

Quæ terras hilarant, obnubit lumina luctu;
Obiectuque mali vultum de ſede ſerenâ
Deiecit ſubitò: præcordia læta dolentes
Impulit in ſenſus: gemmato flumine cordis
Vallauit Solymæ muros, perituraque Regna.
Numinis ergo memor, venturoque anxia bello,
Pandit iter lacrymis; inter ſuſpiria laxat
Pax verba, è rupta reſonant quæ nube doloris.
Pacis verba in digreſſu. Vrbs mea, diuellor. poſtrema tributa gementis
Accipe, quæ largo pendunt tibi lumina fletu.
Pax ſine pace feror: noſtris bona gaudia mammis
Dum pendent, imas exugit cura medullas.
At vos ò noſtri iucunda valete doloris
Pignora; diuino loca ſanguine ſacra valete.
Salutat Cœnaculum. O Domus immenſi fidiſſima teſtis amoris,
Dum mihi regali ſtrueret conuiuia luxu,
Triticeâ ſub nube latens, manifeſtus amanti,
Palmarum viam. Cara Domus ſalue: Multis Via conſita palmis,
Qua direxit iter, pacis Dominator in Vrbem,
Diſpare quam domino calcaberis? horrida bella,
Et Bellona teret pedibus te dira profanis.
Palma cupreſſus erit: pro plauſibus aſtra querelæ
Montem oliuarum, vbi cecidit in faciem ſuam, & in oſcula Pacis. Infantum ferient: vlulabitis horrida, matres.
Collis oliuarum, mea, collis, villula ſalue.
Quàm dilecta mihi, poſtquam te rore cruento
Alluit ignis Amor? Rorabant ſanguine vepres;
Et roſa ſanguis erat, dulcedinis imber, & hortus.
Hoc ego monte vigil, vigiles in dulcia flammas
Otia nutribam ſucco ſudantis Amoris.
Stratus humi me ſæpè genis, & mollibus vlnis
Roſcidus implicuit: tremulis dedit oſcula labris:
Atque metus, dolor, & mœror dum bella mouebant,

Pacis amica ſuo fundabat Regna tumultu;
Depoſitoque meas firmabat robore vires.
Te quoque mortis ager, Caluaria, deſero; Pacis
Sed tunc campus eras; cum florida ſanguine Vita;
Fixa Cruci pendebat: Amor fata pinguia cultor
Purpureis manibus, clauiſque inarabat acutis,
Me pauidam complexa ſinu tunc Vita, cruentis
Floribus ornabat; fixis & in arbore palmis
Iucundos dabat amplexus; & verba. Pauorem
Filia pone: mea viues è morte: beabit
Te mea pœna: dolor, Crux hæc, infamia famam,
Lætitiam, ſoliumque ferent: mea pupula, mammas,
Vulnera delibans adoleſce, & grandior Orbem
Imperijs præcinge tuis, oleiſque corona.
Crux eſt Arca: Columba veni: ne ſanguinis ingens
Terreat eluuio. dum ſanguine mergitur Orbis,
Enatat; emergit; tenet Æthera: deficit imber,
Irarumque procella, meus dum decidit imber.
Hæc dicebat Amor moriturus, & vbera cordis
Militis haſta mihi, Bello ringente, recluſit.
Lac ego dum ſugo, diuini guttula lactis
Irrorauit humum: ſubitòque virentis Oliuæ
Præfero quam manibus, ſine ſemine floruit arbor.
Grata ſepulchra, mei rediuiui nidus Amoris,
Atque triumphatæ capitolia Mortis & arcus;
Dulcia ſaxa, valete. Dei pro corpore, Pacis
Corda ſinu ſeruate: procul diuulſa, manebo
Hac in ſede, animo votiſque propinqua. phalanges
Hinc ego magnanimas in bella vocabo: caloris
Auctor ero Pax belligeri: nam bella Tonantis
Multum pacis habent. Rabies Othomanica circum
Vos ò Buſta fremet: latratibus at mea ſæuis

Caluariæ valetem.

Chriſti hoc eſt Vitæ morientis ad Pacem vox.

E ſanguine Chriſti nata Pacis oliua. Salutat Chriſti ſepulchrū.

Agmina pacificos belli ſtimulabit ad auſus.

Ferdinandus Mediceus recuperandis S. Sepulchri opus re infecta tentauit, ſcalis Salamina iuſto minoribus primùm applicitis, & interim hoſtibus excitatis. Iris corona Pacis, eius è lacrymis orta

Maior multiplici, quem pinget ſtemmate, Mundo
Ferdinandus opus molitur: fallitur vmbrâ;
Non tamen ingenio: ſuperaſſet lumine noctem:
Si præſens acies ductaſſet in arma. Reſurgent,
Me duce, bella: Palæſtinis tamen inſita campis,
Vos hærere diù voluerunt fata, ſepultæ
Argumenta Vrbis; donec voluentibus annis,
Vos quoque ad Italiæ peregrina migrabitis oras.
Hæc ait. atque oculos lacrymis dum rorat amicis,
Quæ vicina latus vallabant gaudia Pacis,
Effulſere. Iris pluuij de nube doloris
Protinus emicuit, Dominæque in vertice ſertum
Texuit auricomis radijs, pompâque colorum.
Tunc Pax lætitiæ diuino nectare mentem
Irrigat: admiſsâ rurſum ſe luce ſerenat;
Ducit & in lætos felicia pectora ſenſus.
Pacifer in volucris ſtabat qui vertice Sedis,
Solabatur & ipſe canens teſtudine amorem
Argutâ, Pacis gemitus & gaudia reddens
Corde pari, cantuque pari. Quaſſata dolore
Saxa Aſiæ, turreſque gemunt, montanaque Seir,
Canus apex Libani, miſeræ iuga celſa Sionis.
Flebilibus lymphis lambit Iordanis arenas:
Inualidas palmas ad ſidera tendit Idume,
Dilaceratque comas. Reſpondent proxima Regna
Queſtibus indomitis, turbantur & omnia luctu.
Pacifer abrupit ſed tali carmine queſtus.

S. Domus iter orditur.

Tollere ſublimi, vaga Cellula; tollere cælo:
Ferte onus, Aligeri, donum inuiolabile Pacis,
Atque fugam in magni ſpeciem celerate triumphi.
Dixit; & Aligerûm ferientibus aëra pennis,

Moli-

Digitized by Google

Molitura viam, fines egreſſa paternos,
Interſecta choris Superûm, Aſtrorumque ſenatu,
Ire per aëreos cœpit Domus ardua tractus.
Lucifer interea velli quia montibus Ædes
Senſerat, & tacitis Acheronta rigere procellis;
Mônſtra metu trepidare, nigri tremere atria regni,
Horridus, impatiens, ſibi tæda, furorque, flagellum,
Sub terra quæſiuit iter, ſceptroque trabali
Deuia rimatus, reſupinatiſque cauernis,
Emerſit, rabieque auras afflauit anhela.
Ignea terrificæ furit inclementia formæ:
Implexus multâ crinis ſubſtringitur hydrâ:
Os rabidum, frons atra, genę, coma, pectus, & aures,
Luminaque eructant flammas: ſpumantia nimbos
Corda vomũt, glomerãtque: caput, ceu mobile fulmẽ
Nubibus inuoluit, pluuiâque exaſperat irâ.
Ænea, dum candent, ſcintillant oſſa: medullis
Euacuata, lues implet: pro ſanguine, tabo
Vena tumet: ſupplet vitalem corde calorem
Frigida mors: fractas non fracta ſuperbia vires
Suggerit; & Colubris, dum ſibilat, arma miniſtrat.
Caſtra Tenebrarum, quæ, cælo pulſa ſereno,
Fœta colunt loca turbinibus, ſecumque per auras
Tartara comportant, viſo tremuere Tyranno
Pars ferrugineâ tegit in caligine vultum;
Nubibus abruptis, pars effugit. ille fugaces
Inſequitur, viuoque ligans ſerpente, moratur;
Verberat, & verbis feralibus inſuper vrget.
Vulgus iners, nec fida ſatis, dira agmina Ditis,
Non ſatis æquaſtis quæ noſtrum crimine crimen,
Aëris errones, molli magis aëre molles,
Quem colitis, cohibete fugam. paretis? an antris
Omnia

Lucifer erũpit è Tartaro peregrinæ Domui paraturus inſidias.

Luciferi habitus, & forma.

Spirituum in aëre degentiũ timor ad Luciferi aſpectum.

Luciferi concio.

Omnia de Stygijs tormenta vocabo ? ceraſtas,
Harpyas, flagra, monſtra, canes, furiaſque, neceſque,
Vinculaque, & totum vos contra Acheróta mouebo?
Qui vos æternus pœnarum conficit ignis,

Lemures ironicè increpat.

Non vigil excubijs docuit vigilare, doloſque
His ſerere in campis, & bella? Agitate choreas:
Ite, redite viam: per inania ducite ludos:
Inſudate leui per cærula ſuda volatu;
Nazareis, inimica, iugis dum Cella Tonantis
Aduolat Italiam; ceruici imponere noſtræ
Apparat alta iugum, grauidâque enitier aluo
In mea regna neces. Noſtris ſietit illa ruinis;
Atque eadem noſtris volitabit concita pennis,
Æthere quas pulſi, deplumatique furore,

S. Domus ruina Luciferi, quia in illa conceptum è Virgine Verbum eſt, quod ne adoraret, rebellauit.

Perdidimus. Speciem quæ cæli Cellula defert,
Triſtis arena mihi certaminis, atque timoris
Semper erit. nequeo ſi bella refundere cælo;
Ah liceat ſaltem cæleſtem perdere Sedem.
Hæc rogus eſt, rabies quo noſtra caleſcit ad ignem,
Quem terris inuexit Amor. Geminate furentes,
Agmina dira, faces: duce me, confligite ventis:
Carceris Æolij cæcas perfringite rupes:
Præcipites laxate Euros, Boreaſque, Notoſque:
Pro pennis, nobis quas ira Tonantis aduſſit,
Sumite pernices igniti fulminis alas.
Fulminibus, nimbis, Aquilonibus, igne, procellis,
Grandine, turbinibus, mê digna, capeſſite bella,

S. Domus feneſtra, quæ Gabrieli dū patuit, aperuit mille Lucifero voragines.

Et volucrem quaſſate Domum, quæ veſtra ſuperbo
Regná terit ſulco. cadat aëre naufraga toto,
Quæ terris ſecura, homines inuexit in aſtra;
Cuius & vna mihi pate facta feneſtra charybdes
Recluſit multas, & multa voraginis ora.

Et

Et dubitatis adhuc ? conceptas ponite curas.
Qui timor æternùm ſedet, æternùmque ſedebit
Pectore ſub noſtro, nunquam docet ille timere.
Eſt timor ipſe furor: nobis audacia vis eſt:
Infractos hæc ſola facit, quos fregit Olympus.
His dictis pauidas animas animauit ad auſus;
Et ſua militibus verbis incendia fixit.
Conueniunt Manes in prælia. Crine remoto,
Hic aperit vultus; & vultu nubila nigro
Conglobat extemplo; fractæque tonitrua nubis
Voce parit, dum voce fremit: ſuſpiria diro
Elicit ille ſinu. circum bacchata, remugit
Turba procellarum; & ventorum cardine verſo,
Protinus incumbit Boreas: concurrit Iapyx
Africus atque Noto miſcetur, & Axis Auerno:
Alter, anhelanti ſimilis, dum Spiritus auras
Flammiuomo pulmone reciprocat; halitus ardet,
Fulmen & inde rubens, gelidâ compage ſolutâ,
Diſſilit. alter agit fumi de faucibus vndam,
Eliſiſque oculis, & gutture proijcit imbres;
Ebrius irarum, confundit & imbribus ignes.

Lemures mouent in aëre tempeſtatem. Mira tempeſtas è Lemurum vultib⁹ vocibus, & ſuſpirijs.

Terra pauet: pelagus timido diſcedit hiatu:
Germina per campos, caligine paſta nocenti,
Demittunt vitiata caput. Dum cætera pallent,
Sola Palæſtinos veſtit lux aurea campos.
Nam pater Anguipedum ſocijs mandata cateruis
Hæc dederat: Solymæ ne regna laceſſite nimbis,
Qua cruce deiectus, victuſque cruore, catenas
Edidici frenoſque pati. Cruor ille tepenti
Fumat adhuc tellure: dolor, timor, ira, malorum
Omnis & inde ſeges progerminat. Exul Idumes
Donec Cella ſecabit agros, abſiſtite bello,

Effecta tempeſtatis. Tempeſtas extra Palæſtinam paratur ad S. Domus excidium.

Veſtigia relicta in Palæſtina diuini ſanguinis Lucifer timet.

Ominis

Ominis atque mali cauſas auertite. Muris
Sed poſtquam Solymæ exceſſit, famulantibus auris;
Sit ſine Sole dies, & non tractabile cælum
Illam continuò flammis, & turbine perflet.

Egrediens è Palæſtina S. Domus paratum tempeſtatem offendit.

At Domus interea, tanti ſecura timoris,
Tramite lucis inerrabat; Solymâque remenſâ,
Liquerat auguſto polſutos ſanguine fines.
Quà data porta, Tenebrarum certamina ſurgunt:
Monſtra vomunt piceam, cælo indignante, fauillam,

Tempeſtas exoneratur.

Fœdaturque dies: peregrina in Saxa rotantur
Grandinis in morem reſonantia ſaxa: procellis
Africus exultat: reſolutâ nube, laborant
Fulmina in exitium: montes vibrantur aquarum:
Omniaque, in totum quæ bellis omnibus Orbem
Crudeles acies ſparſere, pericula in vnam
Colligit ira Domum, quæ toto grandior Orbe,
Paruula ſidereis ſua mœnia mœnibus æquat.

Lucifer Michaëlem ſacra Tecta vectātem videt, atque terretur.

Lucifer ore minax, medio dux agmine, flammas
Dum gerit, & Stygijs victor dum ſuggerit Vmbris,
Preſſa coronali Michaëlis colla ſub Æde
Aſpicit. Extemplo graue pondus, & Ætna pauoris
Lucifero incubuit: rabiem formido repellit:
Multa mouet, rabidoſque agitat ſub pectore fluctus:
Et ſibi tempeſtas, qui tempeſtatibus auras
Turbarat, fera caſtra fugæ committere tentat.
Sed prohibet nunquam ceſſura ſuperbia Diuis,
Vindictæque fames, & non ſaturata voluptas.
Suſcitat abiectas iterum in certamina vires.
At viſo rurſus Michaële retunditur ardor;

Archangeli luce vulneratur.

Belligerâque procul radijs è fronte vibratis,
Confoditur Dux Eumenidum, iuguloque rebelli
Aurum pro ferro recipit fulgoris; & vno

Vul-

Vulnere, mille neces bibit eluctatus ; & iras
Euomit impaſtus pro ſanguine , morte perenni
Viuus , & æternâ ſemper de cæde renaſcens.
Denique victa metu bellandi cæca libido
Ceſſit, & in Superos pro telis dira relatu
Vociferans, tumidoque implens præcordia faſtu
Lucifer : Imus,ait, campoque recedimus ; at non
Cedet amor belli. ſi vincere in Axe negatur ,
Atque leues armare Notos ; furialis Auerni
Armabo Furias . diſſecta repullulat hydra;
Nec ferro ſuperatur . Ero ſi Lucifer , Ædes
Corruet hæc inuiſa mihi: compreſſa caleſcit
Flamma magis . rurſus vel ſidera ſtratus adibo ;
Sidera vel ſternam. Stygij victoria Ditis
Eſt perijſſe ; ſuo dum pertrahat omnia caſu.
Perge,Domus . Diuûm non ſemper nixa volatu,
Suda petes : olim ,ſcelerum torrentibus auctus ,
Hæc fugitiua tuis metabor caſtra ruinis .
Audijt hæc Michaël; vultuque erectus in hoſtes:
Siſtite , monſtra, inquit , licet obluctantia:pompam
Pernicis cumulate Domus : ſubſternite frontem
Crinitam ſiluâ colubrorum , & turbine fœdam .
Cella caput terat indomitum , frontique ſuperſtans
Imprimat exitium . ſic preſſerat Arca Dagonem :
Sparſerat è collo caput ; & ſine nomine truncum ,
Sacrilegâ , obiectum pedibus , proiecerat arâ .
Non ſatis eſt , fabri ſcelerum ſuetique magiſtri ,
E cælo cecidiſſe ſemel ? quid celſa tumultu
Aëris arua fatigatis ; linguiſque triſulcis ,
Vt colubri ad Solem, prope Limina noſtra micatis?
Nil latrare iuuat , ſi ferrea lora coërcent
Ora latrantis : equus ſi frena ferocia mandit,

Michaëlis ad Luciferum vox .

Iubet Luciferum cum ſuis Cellæ tranſeunti ſubſterni.

Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini,&c.Reg.1. c.5.

Nil

Nil iuuat inſultare ſolo, Dominoque minari.
Agmina cæca, quid audetis pugnare procellis
In cæli ſimulacra, Domum? Mortalia cælum
Fulmina non tangunt: tempeſtas Limina Pacis
Non quatit: vmbra Lares non inficit; vnde perennis
Luminis effulſit candor: non fœda Penates
Nubila commaculant, quos immaculata Pudoris
Nix operit, Mariæ gremio dilapſa niuali.
Lucifer Vmbrarum princeps, & transfuga lucis,
Infera ſub terra tumidum quem clauſtra tegebant,
Quid ſerpentifero capite, & ceruicibus altis
Lubrica turbato conuoluis in aëre membra?
Cede Deo; manibuſque, Domũ, poſt terga reuinctis,
Proſequere. hæc noſtris eſt debita pompa triumphis;
Cum te belligerâ cælo detruſimus haſtâ.
Vltrò diſtulimus; donec foret iſta, curulis,
Cella triumphalis. vehimus, vehimurque. Tonantis
Subdere colla Domo, celſo conſidere curru eſt.
Aëris obnixi Lemures perrumpere campos,
Vt fugiant iras, hoſtiſque minacia verba,
Heu miſeri ad pœnas reuocantur; fuſaque circum
Pectora proſternunt, rabiem proflantia. Muſſat
Lucifer, atque fremit; retro redit; abijcit arma:
Nec dare terga fugæ potis eſt, nec tendere contra,
Aligeroque ligante gemit; miſtoque furore,
Impetit ardentes ærato dente catenas.
Impauidus nemora alta leo ceu fortè peragrans,
Incidit in caſſes, & multo verbere doctus,
Antoni edomitus didicit ſeruire triumpho.
Dira fremens, ſed flagra timens, ceruice quadrigas
Indignabundâ Latias vectabat in vrbes,
Multa metu ſimulans, & preſsâ fronte ſuperbus.
Stra-

Triumphus Michaëlis de Lucifero è cælo detruſo dilatus fuit, vt in S Domo, cæleſti velut in curru, triũpharet.

Lucifer à Michaële ligatur

Leones iugo ſubdidit primuſq; Romæ ad currum iunxit Antonius non ſine quodam oſtẽto temporum generoſos ſpiritus iugum ſubire illo prodigio ſignificante. Plin. nat. hiſt. l. 8. c 16.

Strata ſuper Ditis dilabitur agmina Sedes
Virginis. At, celeri dum vertitur orbita curſu,
Ceruices feriente rotâ; ſtridentia frontis
Cornua diſſiliunt: turgent compreſſa Draconum
Colla reluctantum; nigroque in ſanguine dentes,
Fauce calente, natant: immenſos orbibus orbes
Attriti ſinuant: vlulant; ſtimulatque dolorem
Vulnus, & ira: ægri cordis necat ira medelam,
Suffocatque oculis lacrymas, atque aggerat æſtus.
Hìc aliud Stygijs monſtrum lacrymabile monſtris
Exoritur. nam Cella ſuper capita atra fragorem
Vix impulſa dedit, cum pleno gurgite flumen
Irruit è Foribus flammarum, atque obruit hoſtes;
Æthereæque Domus è limine fluxit Auernus.
Tunc noua tartareos cruciarunt Tartara Manes;
Sed maiora, quòd è gremio funduntur Amoris.
Fit ſtrepitus gemituſque: nouis tonat aura querelis,
Detrectant dum preſſa nouum Stygis agmina pōdus.
Sic ſuper Enceladi transfixum fulmine corpus
Omnibus efferuet fornacibus Ætna: cauernas
Egerit; & frontem ſaxis, fuligine vultum,
Terga domat flammis, & corda furoribus implet.
Lux quoque cũ flamma, volucri prorumpit ab Æde,
Quæ ſtellata roſis, nigras diuerberat vmbras,
Direptumque diem meliori lumine reddit.
Æmula nam cæli, Domus vnica parturit ignes
Innocuos nocuoſque: ſinu nam fulmen eodem
Promit & aſtra; iacit radios, & nubila cogit;
Imbre iuuat, nocet igne: fouet niue; grandine ſiccat.
Et ſæuire ſolet, ſimul & miteſcere cælum.
Ver erat; & varijs veſtita coloribus arua
Floribus halabant, Zephyris motantibus alas,

Lemures ſiccati rabie nequeunt lacrymari.

Flumen ignis ſtratos ſupra ſpiritus è limine Domus erumpit, eoſq; Tartaro magis excruciat

Lux prodit è S. Domo, & tempeſtatem fugat.

Ore

Ore dabant roſeo qui dulcibus oſcula pratis,
Veris ad aſpectum ridebant germina rore;
Plaudebant cantu volucres, ſaltuque caduci
Imbrifero fontes: querulo ſed turbine fruſtra
Rupe ſub Æolia Boreas vndabat & Auſter;
Rurſus vt æquoreas agitarent motibus vndas.
Dum volucres cantu, dum fontes murmure, flores
Fronde ſalutabant dum Veris amabile regnum;
Libera ſeruitio ventorum ſola ſilebant
Æquora, & æquatis vndis, tacitiſque procellis,
Marmora marmor erant. Gemini, felicia nautis
Sidera, Tindaridæ dum ſe complexibus arctant,
Explicuere ſinus pelagi, naueſque ſolutas
Ire iubent. Fauſto faueat ſi lumine cælum;
Omnia tuta; nec infidi diſcrimina Ponti,
Aëris, aut terræ motus, Barathrique timentur.

S. Domus verno tempore sub ſigno Geminorum iter habet in Dalmatiam. E cælo ſecuritas terræ.

Dum pelagi Ver pacat aquas; cũ Caſtore Pollux
Partitus vitam, dum cælo regnat aperto;
Quæ Ver, quæ vitam peperit Domus alma perennẽ,
Quæ ſcelerum mare tranquillat; perlabitur auras.
Delicijs natat aura; natant ſimul æquora; dorſo
Tyrrheni maris incumbit dum nobile pondus.
Aſpicit Europam Michaël; primuſque ſalutat:
Excitat in plauſum pennas; ſocioſque ſequentes
Prouocat in plauſum. reſonant concentibus auræ;
Et mare ſuppoſitum ſonitu criſpatur; & aurâ
Dum reſonâ inflatur, modulari carmina diſcit.

Apparet Europa Salutatur à Michaële. Peruenit S. Domus ad mare. Maris obſequium, et vehendæ S. Domus piam ambitionem ipſa Domus remuneratur fonte in illud immiſſo lucis & roris. Ex eo rore nati vniones.

At Domus obſequij non immemor; æquor amico
Cum præbere oneri voluit ſpumantia terga;
Vix tenuit littus; fregit ſeque vnda pauore;
Luminis, & roris cum fontem excluſit ab aluo.
Protinus ex imo genitrix argentea fundo

Con-

Conchâ ſalit, roremque bibit: lucemque nouellâ
Prole tumere ſinum dum gaudet, hiantia rurſus
Labra aperit, partuſque nouos miratur & ambit:
Florent innumeris rubicunda corallia ramis,
Irradiata Domus fulgoribus: alluit auro
Inſolitus mare Pactolus: fera ſerpit amoris
Fax in monſtra: docet gelidas manſueſcere phocas,
Et Cete ſentire Deum. Tunc forte marinâ
Qui madidum Nereus caput acclinarat in alga,
Obſtupuit freta prodigijs fecunda; manuque
Dimotis è fronte comis, ſeſe extulit antris;
Roriferiſque oculis cælum dum quærit apertum,
Nazaream videt errantem per inania Sedem.
Subriſit genitor, ſolituſque relanguit æſtus,
Quo furijs inflammat aquas. Diſcedite, dixit,
Protinus in binos, vndoſa cacumina, muros:
Cryſtallo lymphæ ſimiles, ſuſpendite curſus;
Et pauidos librate pedes; pelagoque voluto,
Tollite ſublimes cameratis fluctibus arcus.
Monſtra, ſilete: ſilete vndæ; vel murmure feſto
Plaudite, dum Superûm pennis innixa, triumphat,
Et ſuper incumbens vos Regia lucis inumbrat.
Nymphæ, virgineæ Nymphæ, quâ iuſſa recedunt
Æquora, vos pelagi, formoſa corallia, flores
Spargite. purpureis, qui peruolat hortus Amoris,
Floribus inſterni ſibi marmora gaudet: in aruis
Ille etiam ſuperis amat aſtra, corallia cæli.
Hæc Nereus. Dicto citiùs, ferit ipſe tridenti,
Æquoraque in geminas detrudit verbere partes:
In latus vndâ tumet; tremulo librata gradu, ſtat:
Vel ſaxo ſimilis, vel ſaxea pendet vtrinque.
Arca Sacerdotum ſic vertice fulta, tumentes

E fonte lucis naſcuntur corallia, aurum, & ardor amoris in monſtris.

Mare S. Domum videt, & exultat.

Viam illi aperit triumphalem.

Ante. Arcam ſic patuit Iordanis. Ioſ. c. 3.

A a Dum

Dum Iordanis aquas intrauit, conſtitit vnda;
Hæc ſciſſa in geminas arces; geminoque liquorum
Vallo tuta, dedit pedibus commercia ſiccis.

Sacerdotes terra Angeli, Aquæ ad inſtar montis &c. Ioſ. 3.

Aligeros terræ, Myſtas nam ferre curulem
Vt vidit, ſubitò formidine fixa gelauit:
In mōtem obriguit, tumuitque ſuperba, quòd Arca
Nobilis in refugos ſuccederet hoſpita fluctus.
Virgineæ quà viſurus Sacraria Matris,
Ferrato Nereus freta diffidit icta Tridenti.
Hinc atque hinc lymphis reuolutis floruit hortus.
Se roſa narciſſo iunxit, narciſſus amomo
Implicuit ſe ſpumoſis vbi fluctibus æquor
Fugit Erythreum ſic vnda exterrita fundum,
Et noua lacteolis vndarunt floribus arua.

Fama eſt quà per mare ſacra Cella pertranſijt, relicta medijs in vndis candida veluti faſcia veſtigia, quæ nunc etiam peregrinis oſtenduntur. T. Hiſt.

Arida quin etiam cum floribus area gemmas
Luce colorauit; miroque in tramite fulgens,
Vnio fit paruli candore Galaxia Ponti.
Et nunc forma manet: ducta eſt nam linea lactis
Nec deletur aquis redeuntibus, imbre nec vllo;
Canduit innumeris vbi ſemita margaritis.
Quę per aperta maris via pāditur, illico Nymphis,
Tritonumque choro tota effluit. At maris inter
Gaudia ſuſpenſi, circum fera monſtra choreis
Dum ſaliunt; ſiccâ Nereus acclinis in vrna

Nereus dolet ſuo è regno diſcedere S. Domum, quā futuram ſperabat inquilinam.

Dulcibus humebat lacrymis. Verùm inde fugacem
Virginis vt vidit Sedem, ſulcoſque trahentem
Se ſuper, exarſit, gemituque repleuit oborto;
Quem ſiccarat aquis alueum. Quò, nauis Olympi,
Cella, inquit, peregrina fugis? non aëra naues,
Sed maris arua ſecant. Cælo deſcende: ſecundis
Fluctibus excipiam: tempeſtas nulla, nec audax
Bella procella feret: tibi ſeruiet omnibus vndis.

Im-

Impatienſque iugi, tibi ſponte iugabitur æquor.
Te regnis dominante meis, Euruſque, Notuſque,
Africus, atque Aquilo turbare tumultibus oras
Æquoris horrebunt: dulceſcent ſalſa: colorem
Cærula cæruleum ſeruabunt, iura, fidemque;
Atque vnâ contenta Domo, quæ diues abundat
Omnibus vna bonis, parcent ſorbere carinas,
Mergere cum ratibus gazas, nautaſque vorare.
Ergo ſiſte mari, Mariæ Domus. Hac Amor Æde
Si fuit hoſpes; Amor dum nutu conderet Orbem,
Fluctibus incubuit noſtris: hinc orta niualis
Gemmatum ſoboles: hinc noſtra corallia ſeruant
Hoſpitis ardores: hinc atra venena fugantur
E toto maris Imperio; fluctuſque rotantur
In ſublime, Dei memores, qui deſuper æſtus
Inſinuabat aquis, æſtus non odit Amoris
Marmoris vnda. Faces vibrat ille; refrigerat idem,
Ignis & vnda. Deus. ferjunt cæleſtia fœdus
Cæruleis coniuncta fretis incendia; tantùm
Quas Venus immiſit, flammas exhorruit æquor,
Protinus in ſpumam quam totis expuit vndis.
Numinis ad nutum Terræ naſcentis imago
Conde mari, te, parua Domus; nam condita noſtris
Terra diem quærebat aquis. Fuit vnda ſepulchrum,
Cunaque lallantis telluris, faſcia vortex,
Lympha vber, gemmeque crepundia, nenia murmur.
Forma, Domus, terræ, cẽtrũ Ætheris, Æthere maius,
Me tibi ſterno iterum obſequijs, tua limina lambẽt,
Vallabuntque latus mea flumina. Pronus Hydaſpes,
Auriferiſque Tagus qui latè regnat arenis,
Ampla tributa ferent. Sceptris iam cedo Profundi:
Veſtibulum ante tuum ſi ſupplex accido, Regnũ eſt.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Gen. 1.

Venus orta è mari, & in ſpumam reis ſta.

S. Domus imago Mundi ex aquarum abyſſo ſurgẽtis ex c. 1. Gen.

Comparatio S. Domus cũ mari.

Conſpirat par ſæpe pari. Maris, hoſpita, vultum
Ingeniumque refers, Regno maris ergo quieſce.
Flumina ſi pelago naſcuntur; flumina mille,
Poſtibus orta tuis, Stygium merſere Draconem,
Fauce cruentatâ ſaculantem flumina mille.

Ego Daniel eram iuxta fluuium, &c. & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius, ut lampas ardẽ &c. Daniel c. 10. c. 12. Fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius. Dan. 7. Septem Nili oſtia ſeptem dona Spiritus Sancti. Pulcherrima gemma ipſe eſt pulcherrimus Ieſus. S. Clemens Alex.

Hinc Tigris erupit, cui fulguris inſtar & ignis
Impendere Deum, motiſque immota procellis
Figere crura; graui candentia viderat ære
Miri ſpectator Daniel, plauſorque theatri.
Igneus hinc fluuius rapiduſque Tonantis ab ore
Egreditur, terraſque rigat, Superoſque beato
Naufragio mergit. Septemplicis oſtia Nili
Hic deprenſa patent. Septena fluenta bonorum
Afflat, & auget Amor, diuini pectoris aura;
Terraque Niliacis exuberat incrementis.

Non mihi regnanti deſunt æraria Regni.
Candida mater opes pelagi, telluris & aſtra,
Concha fouet gemmas: niuei tibi concha Pudoris,
Virgo fuit; concreta Deus qua gemma refulſit;
Et candore niues, pretio ſuperauit Olympum.
Naſcitur in ſcopulis ſi purpura regia noſtris;
In te diuini rutilauit ſanguinis oſtrum,
Eſt imbuta paludati quo veſtis Amoris.
Eſt mare terrarum; tu cæli nexus amantis.
Hoc portus aperit; tu ſidera. fluctibus abdit
Hoc fera monſtra: tegis tu crimina; ponere virus
Iuſſa. Salutares generat mare nubibus imbres:
Tu lacrymantis alis felicia nubila luctus.
In cælum tu vota vibras; vibrantur & vndæ.

Nereus Templum S. Cellæ medijs in vndis promittit.

Ergo mari par Cella, maris ne deſere ſedes.
Non erimus facti indecores, nec gratia fuſis
Hæc ſcribetur aquis: adamas ſignabit honorem.

Ora patere olim pelagi ſi turbida iuſſi;
Templaque,laxatis pulchra in diuortia lymphis,
Surgere Clementi miro de marmore: Ireni
Cedere ſi pauidos, gemino velut aggere,fluctus;
Et Diuæ tumulum, & capitolia digna triumpho,
In liquidis vndis nunquam lapſura, locari;
Vt ſecura tui regnes, pelagique timorum,
Templa tibi fabricabo meis immania gemmis,
Cuncta quibus parcant æterno ſecula gyro.
Semita diſſiliet medio tutiſſima Ponto:
Flumina ſuccedent populorum; atque vſa benigno
Æthere, ſignabunt ſicco veſtigia prato:
Te venerata genu, lacrymarum aſpergine cingent;
Diſciſſoque Erythrea mari pretioſa videbunt
Sicca quidem lymphis, at cæli vndantia donis.
Sed Nerei quò verba volant, dum concita pennis
Cella fugit, celerique ſecat mea regna volatu.
O dolor,ò lacrymæ, ò nunquam exaudita Profundi
Vota! extrema fugax iam littora radit. euntes
Ah, Superi, cohibete alas. Quid debita, curſu
Frangitis in medio, mea gaudia? Non ego veſtri
Principis imperium fregi. confinia ſupplex,
Curuatiſque vndis, quæ quondam fixit, adoro.
Me Deus at tanto ſi non dignatur honore,
Telluremque manent hæc munera; præpete ſaltem
Ne migrate gradu, Superi. Domus incola terræ,
Hoſpita ſit pelagi: liceat contingere lymphis.
Et ſpectare diù rapitis quæ pignora. tellus,
Ignis, & vnda, aër, Mundique elementa cupitis
Omnia virgineam vallent amplexibus Ædem.
Aura tenet,fruiturque; ignis,telluſque fruetur;
Italiæ dum fixa iugo telluris in vlnis,

Irene Virgo Luſitana,cum ante littus oraret, morti pudicitiam antetulit: occiſa enim à procis & in flumen proiecta eſt,cui Angeli condidere ſepulchrũ. ex Thoma Trugillo, & hic è Baronio in Annot. ad marty. 20. Octob.

S. Cella Nereo dolente alterum vergit ad littus, ſed lento gradu.

Maris timor ne longiùs abeat, & que tele.

Curuatis vndis mare termini poſiturẽ adorat. S. Baſil. Seleuc.

S. Domus præſentia omnia felicitantur elementa.

Colliget aſtra ſinu; Sic auguror; Æquoris vnda,
Sola ne mœrebit regnis ingloria noſtris?
Non ſic telluris,pelagique, hominumque repertor
Venit ad eos ambulans ſuper mare. Mar. 6. Iuſſit inhonorum decurrere. Nocte ſilenti
Me ſuper inceſſit: diuinis oſcula plantis,
Aſtra quibus calcat, pauitans, lætuſque, ſuperbus,
Demiſſuſque dabam; ſublimior inde, quòd altas
Æquabam gradientis aquas ad iuſſa. Quid ergo
Vile putas pelagus, Domini quod greſſus honorat?
Me fugis! Horriſonis, Nymphæ, reſonate querelis,
Carminaque, & luctu feſſos abrumpite ſaltus.
Venti, ferales venti, ſuſpiria flabris
Ducite, & inſolito circumſonet vnda tumultu.
Me lacerate, Noti; diſcerpite: fulmina cautes
Erat adhuc apertũ mare. Frangite. dum redeunt ſciſſæ ad cõmercia lymphæ,
Æternum condant,pelago lacrymante,ſepulchrum,
Deſeror. heu crudo diſtendant viſcera flatu,
Typhoneſque caput dubiâ vertigine verſent.
Deſeror. heu curſum molitur Nauis in auras,
Qua mea ſors vehitur. Sic ille; & flumina retrò
Omnia turbatis torquet venientia ripis,
Verberat inque vicem ſcopulos,repetitq; cauernas.
Dum lacrymis vrit malas,& conditur antris,
Motas Aligeri pennas tenuere: dolentem
Pacifer Nereum ſolatur. Pacifer aſpectu Nereum ſolatur & ore.
Pone modum lacrymis: triſtes, ait, exue curas,
Indomiti Rector pelagi. Dum perfuris irâ;
Dum fera ventorum committis prælia, certo
Stare loco impatiens,fluctuſq; huc turbidus atq; huc
Terra mari quietior, ideo dignior Pacis Domo. Dum ſcopulo ſtridente moues; hæc Limina Pacis
E ſtatione maris fugiunt; ſtabilemque requirunt,
Atque ſuo ſemper libratam pondere, terram.

At-

Attamen officij non immemor, hæc mea ripis
Caſtra tuis impono . iras compone, Deumque
Subiectis venerare vndis ; & munere gratus ,
Delectos Heroas , aquis quos deuehet Argo
Altera , da facili tentare pericula curſu ;
Dum caligantes Cocyti nubibus Indos
Audebunt ratibus penetrare , diemque ſalutis
His ortum Laribus recludere , nocte fugatâ .
Fernandus ferit ecce vndas: volat ecce Columbus .
Iuſſa capeſſe virûm: nautas, naueſque memento
Excipere , exceptaſque freto ſeruare fideli .
Id quoque ſub memori ſeruandum mente repone.
Tempus erit cum flos iuuenum Gonzaga, vocatâ,
Matris in auxilium morituræ , hac Virginis Æde ,
Tinget aquis dextram luſtralibus : inde ſalutis
Littora continget maternâ naufragus aluo .
Mox ad vitales appellet luminis oras
Virginis auxilio . Sed tu , Ticine , puellum
In fera fata vocas iterum : Malè frena gubernat
Dum currus auriga ; rotis pernicibus vndas
Intrat , & è ripis in fluminis arua vagatur .
Spumat equus, ſpumante vado; rapiturque per æſtus:
Scinditur axis aquis , & moles tota fatiſcit .
Iam puer Æthereas ſpirat qui pectore flammas ,
Stagnantes inter ſcelerati fluminis iras
Emoritur. Tu Ticinum , Rex maxime aquarum,
Omnibus exicca lymphis ; tractabile dorſum
Ni puero ſubigens, optato littore donet .
His dictis abrupit iter. Manet ipſe, Domuſque ,
Aligerique Domus vectores : vnda quieuit ;
Muncreque attonitum , reuoluto gurgite , littus
Pontus adorauit , quò Numinis appulit Ædes .

Breuem in mari ſtationẽ Pacifer ad ſolatium Nereo promittit ea conditione, vt fidei miniſtris faueat nauigaturis ad Indos.

Noui Orbis repertores.

B. Aloyſ. Gonzaga beneficio Virginis Laur. in vtero matris periculum mortis euadit; & exporrecta ex aluo manus tingitur aqua baptiſmatis. ex vita.

Dum Ticinũ curru traijcit fracto curru penè merſus eſt. ex vita.

Secunda circiter noctis vigilia S. Domus Dalmatiæ quieuit in littore. ex Turſel. l. 1. c. 2.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XVII.

ARGVMENTVM.

S. Domus fertur in Europam. In Dalmatiæ monte locatur maris ad littus. Hunc pacat naufragiis infamem. Aliger Oceani cuſtos illam ſalutat. Deipara Alexandro Terſactenſi Antiſtiti de ſua Domus aduentu miraculo fidem facit. Rei fama exciti Dalmatæ confluunt. Amorem, & Timorem, militum in ſpeciem, ſtare vident S. Cellæ ſupra muros. Introducuntur à Timore in Amorem verſo. Adeſt è lecto diuinitus perſanatus Antiſtes.

Terſactum, et Flumen oppida Dalmatiæ.

EST locus, affuſo quem perluit Adria fluctu,
Proximus Italiæ, geminâ vallatus ab arce,
Terſacti Flumen quà ſe diſcriminat aruis,
Diuidit, & medio valles & prædia monte.
Dum maris hic dorſum dorſo impendente fatigat;

Mons, vbi ſtetit S. Cella, naufragiis obnoxius, medius inter Terſactum, et Flumen.

Abruptis mare mugit aquis, & vertice montem,
Atque procellarum premit agmine, ſeque per auras
Turbinat, & frangit ſaxis, acuitque furores.
Exultant circum vada cæca; æſtuque maligno
Littora turbantur: motæ miſcentur arenæ;
Dum ſtabilem ruit in Mõtem præruptus aquę mõs.
Ariete ſpumanti quaſſatæ viſcera rupis
Dant ſonitum ſtragemque ſibi; cæloque minantur.
Mauſolea putes ratibus fabricata ſepultis;
Quæ ſcopulum ſi fortè tenent, compage reuulsâ,
Laxantur; fractaſque vorat ferus æquore vortex.

In mare præcipites quondã Lemureſque,ſueſque
Fama eſt, vrgeri mole hac, pelagumque ciere.
Namque viri pectus legio dum Ditis inerrat;
Et premit inſultans, poſſeſſaque membra volutat;
Et nunc mergit aquâ; nunc vſtulat igne: phalanges,
Chriſtus ait, Stygiæ diſcedite. Fulmine vocis
Quaſſa fugit legio; Barathrique habitare lacunas
Indignata, volente Deo, deturbat in æquor
Seque ſueſque, ſuis dignas cultoribus ædes.
Hæc Erebi tandem iactati littora fures
Roſtratâ tenuere rati; rabiemque repulſæ
Igne coquunt medijs in fluctibus. Abdita montis
Viſcera dum lacerant, Ponto eluctantur: in auras
Cum toto ſe ferre mari, terrâque laborant.
Hinc æſtus, montiſque fragor: ſed rupe ſub ima
Abdidit Omnipotens, vndaſque accendit in ignes;
Ardentemque mari iuſſit ſentire Gehennam.
Hunc ſuper incubuit montem vix Aula Tonãtis,
Cum pelagi penitus vicini fundus hiauit,
Et Lemures fruſtra clamantes merſit Auerno,
Æquoreque inuoluit flammarum. Littora murmur
Tunc ſubitò poſuere: tumens inſternitur vnda:
Saxa liquata fluunt: abiere Ceraunia Ponto:
Pax è Pace fluit peregrinâ: interluit æſtus,
Atque coronat aquis montem, non obruit: horror
Abſcedit; ſcopuluſque rigens florentis in hortum
Virginis euadit: non ſalsâ inſpergitur vndâ;
Rore ſed alluitur: quâ caneſcebat arenis
Spuma, colorantur cæleſti lilia lacte.
At mons Virgineas vbi vertice ſuſtinet Ædes,
Leniter æquatam pandit ſuper æquora frontem.
Hic Charitum formoſa cohors; hic florea rura;

Dæmones à Chriſto in porces ire permiſſi. Matth. 8. Dæmones ad hunc montem fortè appulere, quem turbant.

Sus nauis roſtrata.

Aduentâ S. Domus ſub eo monte debacchans maris ira compreſſa eſt. ex Turſ. ibid. Floruit in hortum mont. In ſummo æquata agri planicies ſedem effecit peramœnam. Turſ. l. 1. c. 2.

Hic

Hic ſtellata roſis via purpurat, alba liguſtris:
Mellifer hic roſeis exercitus incubat hortis.
Ludunt cum Zephyris flores, vndaſque propinquas
Molliter vndantes imitantur: ſibilat hortus:
Sibilat vnda ſimul: canit aura, bibitque nitores
Purior è Solis radijs, & roſcida ſudat.
Quotquot vicinis habitabant arbuta ſiluis,
E multa dum nocte vident albeſcere lucem,
Aduolitant properæ volucres; pugnâque decorâ
Tecta parant ſuperare. Aquilæ, plaudentibus alis,
Prima tenent, ſoliumque locant: philomela querelas
Deſerit, atque liquat iucundo gutture cantus.
Candidus aſſurgit querulâ cum turture cygnus:
Quos moriturus amat cantus, in Limine Vitæ
Anticipat, plauditque tuo, Pax alma, Pudori.
Perſonat argento pennarum, atque aëra carpit
Pura caterua columbarum; tectoque propinquat.
Quærit hirundo Lares, nidum poſitura: ſed omnes
Cantibus indulgent. Fugiunt, ſtridentibus alis,
Accipitres, milui, bubones, filia noctis
Noctua, & infido quotquot per ſuda volatu
Lucis amant hoſtes, piratæque aëris ire.
Sic ſibi languenti ſubſterni gurgite fluctus,
Et mare permixtum terris, decreſcere vidit
Arca iugo Armeniæ, qua ſpes humana natauit,
Par toti Domus vna Orbi. Se credere campis
Dum volucres non audebant; confidere tecto
Illa ſuo, vetereſque dabat reuocare querelas:
Cantibus inuitare diem, lucemque tenellam
Explorare oculis. Multâ lux nube ſepulta,
Pupula prò cunis nauim ſortita Noëmi,
Nam primùm attonitâ potuit tunc promere frontē,

Volucres canore volant S. Domus in tectum.

Ceſſante olim diluuij aquis & tenebris territæ aues ad Arcæ Noëmica tectum aduolarunt.

Et

Et luſtrare iterum radijs dubitantibus Orbem,
Fulmineos ignes ſolitâ pro luce timentem.
Aliger, Oceani qui mente gubernat habenas,
Virgineos vbi ſtare Lares in littore vidit,
Pronus adorauit: mox cantibus ora reſoluit.
O maris, ô terræ, cælique theatra, Penates!
Munere pro tanto referant quas Æquora grates!
In linguas vertunt lymphas: tamen impare voto.
Quidquid id eſt, pendunt; plaudunt vocalibus Euris;
Seque in amore liquant: placidè ſternuntur: & iras,
Quas nunquam poſuere, meis religata catenis
Imperioque, tuâ ponunt ſub mole; fidemque
Et pacem excipiunt gremio, quo prælia fundunt.
Hac è Pace ſuæ Tellus capit omina pacis.
Nam velut indomitas compeſcis marmoris vndas,
Iniectoque doces ſcopulos manſueſcere Ponto;
Sic fera corda virûm, pelago mage turbida, franges,
Et caſtigabis ſcelerum tranquilla procellas.
Interea, dilecta Domus, mea Regna tuere;
Et radijs ardere tuis da littora: diſcat
Ex te lympha fidem; dirum mare diſcat amorem.
Hos inter plauſus, nox intempeſta quadrigas
Preſſerat, & tardas incedere iuſſerat horas;
Vt, ſtellis oculata, diù compendia cæli,
Limina luſtraret, ſcelerum quibus obruta nox eſt;
Atque mari melior Mariæ, Sol protulit ortus.
Nocte trahente moras, lãguoribus ægra trahebat
Corpora Alexander; vigilem quem morbus, & vrbis
Cura tenet. Febris malus ardor, & ardor amoris
Oſſa minutatim carpebant Præſulis; omnes
Dum cupit in populi conſumere commoda vires,
Quas dolor affligit, nulla medicabilis arte.

Præſes Oceani Angelus S. Domum ſalutat, & veneratur.

Alexander Terſactenſis Antiſtes longo grauique morbo iacet implicitus.

Fu-

Fugerat ora decor, vis pectora fugerat omnis;
Oſſa tremor, mox flamma quatit: taciturna palato
Lingua ſedet; fruſtra luctatur reddere voces.
Quæ latet in fibris, malis patet intima tabes:
Inſtabiles ſaliunt venæ; nec pulſibus aptis
Reſpondent exploranti. nunc præpete curſu
Igne mouente micant, medijs modo curſibus hęrēt.
Morbidus ore vapor ſitit æquora; nauſeat eſcas.
Lumina quæ torpent; nigris nox anxia curis,
Horrida imaginibus vanis; mœrorque pauorque
Inſomnes parit excubias, & tædia vitæ.

B. Virgo multa nocte ſe Præſuli vidēdam offert.

Dum vigilat; vigil inſomnes qui munerat Æther,
Sopitoſque fugit, pigrâque in nocte ſepultos,
Laxat Alexandro ſua munera. Virgo curuli
Nube ſequebatur quæ Limina, læta iacentis
Ingreditur penetrale. Vmbras hæc fronte ſerenat;
Splendorum Tagus erumpit dum prodigus auri
Crinibus, ore, genis; charitum dum candidus imber,
Depluit ex oculis; Libani de vertice præceps
Vt, Zephyro ſoluente, ruit concreta pruinis
Nix, florum fecunda parens, & forma pudoris.

Cœleſtes Amores B. Virginem comitātur, & Salus, quæ robuſtæ matronæ in ſpeciem effingitur.

Obuallant latus auguſtum gradientis Amores,
Et rutilas nectunt humeris ardentibus alas.
Attamen vt ſtellas ſimul obruit, atque coronat
Lumine Luna ſuo; ſic Virginis inter ephebos
Incedit Matrona Salus; & muñera vitæ
Et decus & formam vicinâ è Virgine ducit.
Huius ab afflatu per conſona membra caleſcit
Sanguis, & in toto ſe miſcet corpore robur.
Induit in malis roſeo ſe flore iuuentus;
Nec ſenio defloratur, nec roditur annis.
Purpureâ ſe fronte liquat ſine labe voluptas,

Mix-

Mixta venuſtati, Smirnæo purior amne.
Oſſa vigor firmat: vis artubus inſita floret.
Luminibus flammæ, lepor, ira, & gratia ludunt.
Frons galeâ premit ardorem; tamen inde vaporat.
Dextra elementorum clypeo flammante figuras
Oſtentat, vitam arcano quæ fœdere ſeruant,
Diſſidijs eadem profligant: iuncta vigorem;
Diſſociata necem tacito ſub pectore condunt.
Horum pace Salus coaleſcit; ſoluitur armis.
Hinc elementa manent clypeo compoſta Salutis,
Quæ ligat illa, premitque iras in mutua iungens
Vincula, dum noſtri concertant cordis arenâ.

Salutis ſpecies, & habitus.

Salus ſiue Sanitas elementa deſcripta, gerit in ſcuto quia ex eorũ concordia videtur illa cõſtare.

Ergo vbi, ſidereis gemmis interlita veſtem,
Virgo in Alexandri flexit pia lumina vultum,
Languentis fixere toro qui ſigna, refigunt
Protinus & fugiunt Morbi. ſuffecta veneno
Pallida quæ liuet, Mors ipſa exterrita, lecto
Præſulis abſcedit; morborumque agmina, curas,
Inſomnes curas reuocat, rabidoſque dolores.
Ipſa ſuis flammis abſumitur ignea febris.
Igne ſuo ceu turbo volans, ſe credere cælo
Dum calamis audet flammantibus, igne peremptus
Decidit ipſe ſuo; vireſque effundit inanes
Nam malè miſcentur ſuperis ardoribus ignes,
Quos nutrit tellus, vel parturit. Æthera vidit
Vt febris auguſti vultus, euanuit: æſtum
Damnauit, rubuitque ſuo iam victa colore.
Tunc fouit matrona Salus amplexibus ægrum;
Roreque, ſtellarum qui ſudat floribus, artus
Perfundit: reparat vires; & nubila mortis
Protinus illuſtrans, oculos dat tollere cælo.
Tollit Alexander dum lumina, cernit in vmbris

Igneus turbo.

Facies B. Virginis cælum. Sanitas Alexandrum ſanat.

Vir-

Virginis è vultu multos erumpere Soles,
Miraturque diem mediâ ſe prodere nocte.
Dicere multa parat; ſed dicere multa parantem
Continuit ſtupor; & clauſit ſub pectore voces.
Vocis erant voces ſuſpiria, lacryma, riſus:
Attonitum donec lætumque Virago benigno
Solatur ſermone. Tuos, ait, hoſpita muros
Dum ſubeo Regina, iaces, ſomnumque fugacem
Indulges captare diù? Si mollibus alis
Iam feſſis tibi luminibus ſubreperet vltrò,
Eſſet luce meâ ſopor ablegandus ocellis.
Aſpice me, ſomnumque oculis, & funera pelle:
Aſpice me, vigilemque oculis & corde quietem
Ebibe. Quis, noſtro libato lumine, ſomnum
Quærat in obſcuris noctis qui naſcitur vmbris?
Erige te: proles mecum ſtellantis Olympi,
Venit amica Salus, donis opulenta beatis.
Huius ab aſpectu virides in corpore ſenſus,
Et virides annos, & duras indue vires.
Sed maiora paro. donis melioribus imple
Pectora, Alexander: tua nunc ſupereffluo vota.
Vrbe tuâ Domus illa ſedet, quæ preſſit Idumes
Mole ſua colles; & nunc peregrina per Orbem
Euolat Aligerûm pennis, terriſque maritat
Æthera, Cælitibuſque homines immiſcet, & omnes
Vecta vehit Superos. Hæc illa Tonantis alumna;
Spectatrixque Domus; ſtatio fidiſſima Pacis;
Labilis è cælo cæleſtis vena Pudoris;
Fons ab amore fluens, gurges ſalit vnde ſalutis;
Lætitiæ ſacrum caput; & pluuialibus aſtris
Roris aquæductus, qui Magni è pectore Patris
In me felici pauitantem depluit imbre.

B. Virgo Alexandrum alloquitur docet hoſpitæ Cellæ myſteria. pennuſq; a morbo, mortiq; reliquijs liberat. Turſ. l.1.c.3. hiſt. Laur.

Spiritus.S. ſupervenit in te.

Hæc

Hæc Paupertatis fuit vna ſuperbia Sedes,
Parua ſitu, ſed prodigijs altiſſima. Fumo
Squalet; at hoc fumo flammæ celantur Amoris.
Surge, age: languor iners, ſparſus dolor artubus: ater
Qui non reſpondet venis cruor igne maligno,
Aſpera lingua, vapor, luctataque verba palato,
Excubiæ inſomnes, plorati tædia morbi,
Velle mori, gemitus, mœror, faſtidia vitæ,
Morbida vis, tabes, & quidquid triſte timetur,
Ne perimant, pereunt. Lateri quę proxima noſtro eſt
Corde Salus generata meo, germanaque Vitæ,
Te nunc è mediâ deducit nube dolorum:
Elidit Mortis vires: dat pectoris ignes
Ponere, quæq; fremunt ſub corde elementa, coërcet.
Accipe nunc mea iuſſa. Dies albeſcere cælo
Incipit, & noctis iam rareſcentibus vmbris,
Exponit mea dona: Meos venerare Penates.
Munera ſeruantur grato cæleſtia cultu.
Ad cæli Caulas, mea Tecta, & prata Pudoris,
Te præire decet populis properantibus vltrò.
Quæ poſuit Paſtor, populi veſtigia luſtrant.
Vita, meo carpis quam munere, nuncia veri
Edoceat ciues: aluiſſe Cubilia Vitam,
Quæ Patrijs ſubitò ripis ambita videbunt.
Hæc vbi dicta dedit; ſepteno flumine lucis
Abdidit auguſtam diuina Puerpera frontem. *Virgo diſcedit.*

Qua mouet illa gradus, oriuntur ſidera: nubes,
Et caligo fugit noctis. Prece ſuda ſecantem
Vrget Alexander, ſequiturque: ò Virgo, ſalutis *Alexandri preces ad Virginem.*
Aurea vena meæ, vultum ne ſubtrahe. tantùm
Illa tuo iucunda ſalus, quæ ſtagnat ab ore.
Me Mors obſideat morbis; me vita relinquat:

Mor-

Mortis in amplexu viuam, vireſque reſumam;
Si ſpectanda dabis tua lumina. Surgo: volantem
Proſequor in cælum. Si remige in aſtra volatu
Tollere me, nequeo; votis currentibus, Ædes
Inuado, teneoque tuas. ibi, Diua, moraris:
Præparat hoc Cælum tibi Terra; tuoque volentem
Detinet Hoſpitio. Geminum præſentia Mundum
Sic tua nobilitat: teris aſtra: amplecteris Orbem.
Aligeros ibi fronte beas: dulcique gementes
Hic homines ſub corde foues? ibi gaudia lactas;
Hic lacrymas: lacrymæ tamen immortalia luctu
Gaudia parturient. ibi ſtellas Luna minores
Flumine lucis alis: maris hic Cynoſura, timentes
Ducis fida rates in ſidera. vbique triumphas
Pectore, corde, animo, & qui cætera vincit, Amore,
Fixa Deo, terris præſens, immota, viatrix,
Mater, alumna virûm, famula, & Regina, corona,
Et chlamys, & ſolium, lux, vita, atque omnia, Virgo.

B. Virgo Calitibus, & hominibus ſemper præſens, & munifica.

Præſulis hos inter lacrymarum roſcida nimbos
Læta reluctantem bigis Aurora citatis
Irruit in noctem. Dum quærit, quas fuget, vmbras,
Noctem in nocte vllam non inuenit: exulat omnis
Nox è nocte: dies tenebrarum in ſede quieſcit;
Bellaque nulla calent radijs: nec Cynthia cornu
Bella vocat. Geminos exceperat aula Tyrannos
Tunc primùm pacata. Domus nam, Regia Pacis,
Lucis & vmbrarum, gemini & commercia Mundi
Iunxerat. Obſtupuit campis Aurora ſerenis
Ire rotas, natumque ſuo ſine lumine Solem.

Nox ægrè diſcedit diutius fruendi auida S. Domûs aſpectu. Oborta tandè aurora miratur, dum reperit in nocte diem.

Aſt vbi, vecta ſuper ſacra Tecta, natantia vidit
Limina fulgorum pelago; cognouit Olympum
E ſcopulo pendere maris; Soliſque Penates,

Aurora Domum Virginis ſalutat.

Stel-

Stellarum artificis, cui Sol eſt vmbra. Quadrigis
Prona reclinatis, fletit illico: roſcida fletu,
Lætitiâque rubens,& puro candida vultu,
Virginis Auroræ Sedes Aurora ſalutat;
Atque ait. Antiquum Tithoni linquo cubile;
Ex hac albeſcam poſthac nam purior Æde;
Candor vbi argento mentes, niuibuſque dealbat.
Hinc vellam rubicunda roſas; vbi ſanguis, amoris
Floruit in venis: hinc roris florida nimbos
Excutiam; rorauit vbi flos Pupulus agri. *Flos campi. Cant.2.*
Auroræ calathus Domus es: dabo lilia plenis
Hinc, Superi, calathis. dabitis proferre ſerenos
Hac ſi Sede dies, teneraſque accendere flammas
Virginis è vultu; fueram quæ nuncia Solis,
Sol ero, nobilior genitorem filia vincam.
Horæ ancillantes, Auroræ frangite currus;
Hæc mihi currus erit Sedes peregrina: perennes *S. Domus æternitatis auroræ currus. Aurora S.Domum adorãte, ſol oritur.*
Deferet illa dies; breuiores ipſa per Orbem,
Diſſimili ſed luce feram. Quis terga flagello
Verberat aurato? Sol eſt. diſcedo; ſed Ædes
Ingredior moritura. Diem ſi promere tecum,
Cara Domus, nequeo, & cunabula ducere lucis;
In te felici moriar compoſta ſepulchro.
Sic melior rediuiua tuis enaſcar ab vlnis.
Vtere ſorte tua, genitor; natâque cadente,
Surge meo viuax tumulo. Sit gloria patris, *Aurora moritur in S. Domo.*
Hac obijſſe Domo pretioſo funere natam.
Hac in Sede Deus ſi paruit; ecce parentis
Iuſſa ſequor Solis, meque vmbris abdo volentem.
Sol, qui velato ſociarat lumine pompam,
Nox vbi regnarat; ne ſceptra ſororis haberet,
Iniuſtâ ditione potens; vbi tempus in ortus

Aduenit proferre diem; ſedet alite curru:
Os aperit, flagroque monet radiante iugales.
Inſolito ſplendore viam dimenſus, inundat
Luminis amne agros; nec tellus vritur æſtu;
Concipit at fecunda nouos ſine ſemine partus.
Auratas diffuſa comas, cum Sole per auras.
Fama per Dalmatiam ſpargit S. Domus aduentū. Famæ deſcriptio. Veri Fama tenax vrgebat concita pennas.
Ingenuus micat ore nitor: criſpatur amictus,
Colligiturque auro: flagrant veracia gemmis
Pectora: fucato non murice pingitur; oſtro
Aſt imbuta ſuo facies; ceu bulla pyropis.
Eius inſignia, tuba, cuius ſonitu Ioſue Ierico diruit, & oliuæ ramus à columba de latus poſt diluuium. Et margaritis bellè ſata, candet & ardet.
Floret oliua manu, ſuperis ſeruata viretis
Orbis ab exitio; quam candida ſuſtulit ales;
Nuncia pacati poſt Mundi funera cæli.
Buccina; quæ flammas bellorum, accenderat aurâ,
Terribilique ſono Ierichuntis diruit arces,
Impleuitque timore animos, & cladibus vrbem,
Hæc Famæ tonat ore iterum; dum Virginis Ædem
Feſtiuo clangore replet, quo Tartara nutant,
Lætaque reſpirat tellus; & plaudit Olympus.
Concinuit vix Fama tubâ; cum Dalmata ſomnum
Sol erat in ortu velut in meridie. Abſcidit, & dulci defertur in arua tumultu;
Maior vbi latè calor increpat; vnde nitores
Exuperant, teneramque ſimul, ſimul edit adultam
Dalmatæ famæ tuba excitati vident in monte S. Domum. Phœbus in axe diem. Noua Tecta in rupe repentè
Nata vident, ſterilisque ſoli caua ſaxa, ſubortis
Illico prodigijs pubeſcere. Terror, & Ardor
Imperat: attonitos hic euocat: ille retardat.
Hærent ancipiti mentis, prope marmora, fluctu.
Quidquid id eſt, properemus, ait: mōtiq; propinquat
Turba virûm. Medio ſteterat vix monte; nitorum
Cum

Cum videt ex alto delabi culmine fontes,
E Laris auguſti pelago rutilante refuſos;
Armatos circum Aligeros volitare; minaces
Intentare manu gladios: vt prima Parentum
Rura tuebantur quondam, dextrâque rotabant
Triſte coruſcantem flammis vltricibus enſem.

Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim &c. Gen. c. 3.

Aſpiciunt tacito ſuper ignea Mœnia vultu
Stare Virum, fumique oculis effundere nimbos.
Frons rubet igne: ſupercilio latet ira furorque:
Cæſaries incompta iacet per colla: fauillas
Eiaculatur apex galeæ: cælata Furoris
Cuſpide, præcipites oſtentant ſcuta phalanges;
Atque immota putes, nulloque ſequente moueri
Agmina; quaſſari pauidas ſine molibus vrbes,
Et ruere. inſomnis fugere, aut fugiſſe videtur
In clypeo ſomnus: fugientem mille ſequuntur
Vmbrarum celeres acies, Pallorque, Dolorque.

Timorem videns S. Domus cuſtodē. Eius arma. Clypei cælatura.

Scilicet excubias agitans ad Mœnia Ductor,
Terror, eras, maieſtatis fidiſſime miles,
Diuini cuſtos lateris, genituſque parenti
Filius Aſtrææ; meditata relinquere terras,
Dum fera conciperet curarum nubila mente.
Illa fugit; reliquuſque puer ſine matre, parentem
Nubilus ore refert. Cunis hic ſcuta relictis
Armiger arripuit: belli in vexilla plicatas
Faſciolas dux explicuit; ſubitòque Gigantis
Induit ingentes animos; Domibuſque Tonantis
Noctes atque dies vigil excubat, armaque iactat.
Nam dum mente ſedet ſceleris dominantis ab aſtu
Exilio damnata parens, expulſaque Regnó
In, ſceleris ſobolem, ſceleratos digerit iram,
Et vultu, & iaculis Templorum è limine pellit.

Timor Iuſtitiæ filius, quē reliquit in terra, dum terras Aſtræa reliquit.

Habitat in Dei Templis.

Dum tertiti Dalmatæ fugam meditãtur, Amorem vident, alterũ S. Cellæ custodem.

Terrificante, viri, monſtro, tremuere; fugamque
Dum pauidi capiunt, muris ſublimibus aſtat
Immortalis Amor; patulaque è nube coruſcat,
Qua clauſus, radijs peregrina Cubilia vallat
Virginis, & ſequitur. Bellacem gratia vultum

Eius forma.

Pingit, & inflãmat: placet horridus horror amatur
Ipſe in Amore lepor fit bellica flamma: voluptas
Ira fit; & roris, pro ſanguine, paſcitur imbre.
Tædas dextra rotat: tremulæ ſunt ſidera tædæ;
Inſinuantque faces, & munera: vulnera vibrat,

Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Cant. 5.

Quæ pretioſa facit, fuluo tornatilis auro;
Dextera bellantis: fert aurea tela pharetris,
Quæ pariunt impreſſa roſas, ſtelliſque maritant
Fixa cicatrices: obtutibus arma pudicis
Suggerit in bellum: telorum turbo quietem

Qui ſanat cõtritos corde, & alligat cõtritiones eorũ qui numerat multitudinẽ ſtellarum. pſ. 146.

Parturit; & ludit medio pax inclyta bello.
Alligat ille hoſtes, ſed pectore: nexus Amantes
Hic facit: amplexu quoſque opprimit, erigit: ictu
Vulnerat, atque animat: fit pondus, & ala ruenti.
Exprimit, inſculptum iaculo, in thorace puellum

Thorax Amoris.

Bethlea ſub rupe Deum, glacieque rigentem,
Frigore ſed pueri ſuccendit pectore flammas.
Ille ſuas ardor fit, Numinis algor, Amoris.

Galea.

In galea cælata, Crucem, vexilla Tonantis,
Exhibet. hæc æſtus in mentem ſpargit amicos.
Nazarea in clypeo Domus emicat, hinc viget omnis
Vis in Amore, Domum dum cuſtos vallat; eãdem

Clypeus.

Pro clypeo vallatur Amor, quam protegit alis:
Protegitur ſimul ille, Domo defenſus amanti.
Ergo Ducem Mariæ luſtrare volatibus Ædes
Terror vbi aſpexit; ſibi terror, & vmbra timoris,
Palluit; arrectæque comæ: & caligine cæcâ

Pro-

Proſpectum eripiens, ſeſe occulit. Igne per vmbras
Fumiferoſque globos Amor irruit, omniaque arma
Expedit; atque gradus glomerantem, voce moratur.
Vulnera ſume, Timor: ſola eſt Fortuna Timoris,
Hac perijſſe manu. patulo me vulnere conde.
Sic nam victori victoque ſimillimus, igne
Mutabis noſtro mores, & nomina. Terror,
Impauidus dicêris Amor. Stetit ille: pauentem
Vulnere transfixit rutilo. Pro ſanguine venis
Caligo tenebræque fluunt; ſucceſſit & vnda
Luminis, & venas radijs cumulauit inanes.
Quem tollebat Amor, clypeum iam tollit & arma:
Iam Terror blanditur: amat. Timor ipſe timorem
Proijcit: inuitat timidos ſuccedere Tecto;
Atque ait: O ciues, ictum iam fœdus; adeſte:
Quos feci, cohibete metus: ſociatus Amori
Nam tantùm ius Terror habet ſub Templa Tonãtis
Cogere Chriſtiadas. Dum corde timetis; amate.
Hac in Sede Deum. latet hac in Sede viator,
Qui ſuperos orbes, qui littora marmoris ambit,
Cunctaque complexu qui ſolus continet vno.
Ille tenebrarum cælo tentoria ponit;
Clauſus & illuſtri velamine, fulgura vultus
Ciuibus obiectat ſuperis, ſeſeque theatrum
Lucis inacceſſæ pandit, dum conditur vmbris.
Cælo Maieſtas; ego terris explico nubem
Numinis ad ſolium, ſed amabilis vmbra Timoris
Cæli prodit opes, & Amoris fulgurat igne.
Seruit Amor flammis, nebulâ Timor: ipſe receſſu;
Acceſſu famulatur Amor: tamen ipſe recedens,
Accedo, teneoque Deum. fuga ſiſtit Amanti
Hæc me ſola. recedentem circumplicat vlnis:

Timor Amoris præſentia turbatur. Dulcis pugna Amoris, & Timoris S. Domus in limine.

Amoris ad Timorem vox cum vulnere. Perfecta caritas foras mittit Timorem, imò Timor ipſe fit Amor.

Timoris in Amorem conuerſi ad Dilectas vox.

Poſuit tenebras latibulum ſuum. Pſ. 17.

Fuga Deo ſeruit Timor, ſed Amor acceſſu.

Me rapit, & totum ſibi vindicat; inde timendus,
Me quòd amat Genitor, nec noſtras deſpicit vmbras.
Interea duce me tutæ celerate cohortes,
Et pauido mecum Limen contingite greſſu.
Interiora Domus, quæ lumine Numen opacat,
Seruat Amor. vos ipſe volens faciliſque videre,
Et colere arcanos aditus dabit. Ite; ſed ante,
Si quæ præteritæ remanent contagia culpæ,
Mergite felici lacrymarum flumine. Ad ignes
Itur aquis. patefacta Dei ſpectacula Sede
Cernetis pretio lacrymarum: lacryma viſum
Nata oculis acuit. ſolium immortale Tonantis
Quærite: ſed ſcelerum priùs horrida ſternite mõſtra:
Ite ſuper colubros, baſiliſcos, atque Dracones.
Numinis ad ſolium ſic itur: monſtra nefandi
Sunt animi calcanda priùs, iugulanda dolore:
Dixerat. Ecce toro properè digreſſus, & alis
Raptus Amoris Alexander, media agmina curſu
Ruperat. Attoniti, viſo Paſtore, recedunt
In partes, gaudentque viri metuuntque. ſed ipſo
Exultante pauore, oculo vigilante, ſoporem
Pars haurire putat: ſimulacra carentia luce
Pars errare iugis. videant an lumina viſu,
Addubitant; pariterque ſibi præſtantque, negantque
Fida, infida fidem. Quis fata propinqua Parentis
E metâ, memorant, retraxit? viuit? an artus
Deſeruit quæ vita, volat? quem ſola manebant
Funera, nos inter curſu contendere certat!
Subdit amor vires, dum frigida membra reliquit
Spiritus: auelli dilecto Paſtor ouili
Abnegat: euulſus membris, licet Ætheris arua
Illuſtri premat inceſſu; iuga noſtra reuiſit,

Amor Deo vicinior in Templi Adytis, timor verò in veſtibulo.

Ex Aug. ſenſu de vitijs noſtris ſcalam facimus, cum illa deteſtamur.

Sanatus Alexander adeſt in media turba impos ſui præ gaudio. Turſ. l.1.c.3.

Eo viſo, quem vita functum putabant, populi ſtupent, & illius ſe videre animã opinantur.

Atque

Atque ſuas peregrinus Oues; pennataque, greſſus
Explicat huic Pietas, & vitæ ſuppetit auram.
Tantane te patrij, exclamant, vis vrget amoris,
O pater, vt figas iterum veſtigia terris,
Corpore dum liber, colis aſtra in luce beatus,
Numinis è vultu ſuperos partita per omnes,
Omnes quæ mergit pretioſo gurgite curas?
Attamen in terris cæli tibi panditur Aula.
Virginis Hoſpitium dum nobilis exul habebis;
In cælo dabitur Regnum. Sermone ferentes
Talia, Alexander compellat vocibus vltrò,
Et cor in lacrymas verba inter ſingula promit.
O Ciues, animique mei pars optima, nati;
Viuo equidem, viuo; nec dum lux alma receſſit,
Virginis è vultu quam duco. Virgo dolentem
Luctantemque animam, dum libera ſolueret artus,
Continuit, nexuque iterum deuinxit amico;
Vt veſtra incolumi cumularem gaudia vultu.
Pergite felices: noſtris Ratis appulit oris,
Velificat qua vecta Salus. Quid montibus aurum
Eruere, & terras ferro penetrare repoſtas?
Hoc è monte aurum, ſimul aurea naſcitur ætas.
O Fortuna meæ, Virgo, ſed ſanctior, vrbis,
Quam grandi me ſorte beas, quantiſque reſeruas
E media me morte bonis! tua Limina viſam!
Limina, vbi ſuperas acies Regina recenſes,
Limina, quæ fuerant diuini haud neſcia partus,
Vt videam, viuo? Mea lumina, frangite nubem,
Si quis forte aciem vapor occupat; aſtraque viſu
Vincite, cæleſtes oculos. ſpectabitur Ædes,
Qua viſâ, æternas vobis obducite nubes.
O ego ſi totus centena in lumina vertar.

Populi voces ad Epiſc Alexandrum.

Alexandri ad populum vox.

Vel geminos impendam oculos,perdamque;Penates
Numinis vt videam. Mecum contendite: ciues,
Vrget Amor; propero: maieſtas Numinis arcet;
Virgo vocat:ſatis eſt. mortales Virgo Tonanti
Siſtere ſola poteſt; immenſaque fulgura frontis
Qua poſſis ratione pati docet illa; ſerenâ
Dum te nube tegit Pietatis. Pergite, ciues:
Ducit Amor: properate.Deus,Deus ecce própinquis
Nos vocat è Laribus latebriſque. Abſcedite curæ.
Hoc in monte Deus pauidi non iura Timoris
Iſacidis aperit nigra inter nubila: Amoris
Publicat hic dulces in amico lumine leges.
Eſt pro nube Domus; Domus eſt ſed Regia lucis.
Hac latet, & patet Omnipotens,qui fœdera firmat.
Sunt legum tabulæ populorum corda: character
Lux eſt: cælator legis, latorque ſed idem.
Talia fundebat lacrymans, greſſuſque citabat
In iuga ſumma. Leuem per ſaxa rigentia portant
Vota, nec impediunt rupes. Amor omnia vincit.
Ipſæ quin etiam rupes, & ſaxa moueri
Viſa, viamque ſeni facilem ſubſternere: cautes
Subſultant: æquatur iter, tumulique recedunt:
Mons è monte cadit:ſcopulorum obſtacula deſunt.
Sic Moſes montana, Deo comitante, viator
Preſſit, & inuexit ſcopulis fugientibus Arcam.
Saxa exultabant, agnos imitata fugaces;
Læuiaque in tumido referabant æquora dorſo.

Dalmatiæ mons Sinai monte beatior in quo lex timoris olim data eſt.

Mõtes exultauerũt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium pſ. 113

Ventum erat ad facilis faſtigia montis: ad aures
Cum ſonus alarum vocumque allabitur. Ædes
Ecce Dei. Pronæ genibus procumbite, gentes.
Numen ab his Foribus,perque oſtia paruula Magnũ
Prodijt; occluſit poſtquam ſe carcere Amoris,

S. Domui turba propinquat.

Vox miſſa è S. Domo.

Vir-

Virgineoque ſinu Libertas aurea Mundi.
In paruos inferte Lares ingentia corda.
Primus Alexander, complexus Limen, adorat,
Corripit atque aditum. Mox longâ ambage viarum
Circumfuſa coit per montem turba: patenti,
Concurſu feruet ſtudijſque, in limine plauſus
Exoritur, fremituſque: terit teriturque viro vir.
Vnda repercutitur, rurſuſque propinquat: & vnde
Miſſa fluit, refluit, manibuſque obnixa recurrit;
Vrget, & irrumpit; pectuſque carinat, & vlnas.
Pars calcanda ruit, moriturque attrita: ſed ipſo
Vix excepta ſolo Vitę, rediuiua reſurgit.
Ægrè vitales pars corde reciprocat auras;
Et fugitiua labris quæ pendet vita, relictum
In cor pulſa redit, dum figunt oſcula muris
Pallida labra. auram reſpirat pectus amoris!
Sed rediſſe dolent è funere. dulciùs aurâ,
Dulciùs & vitâ ſuper hoſpita ſaxa morari,
Atque mori. Cupidi, lateres contingere gaudent:
Diuinum mirantur opus; Crucis arbore pendens
Numen, & è cedro ſimulacrum Virginis; aram,
Quam manibus carpunt, fixis cui cordibus hærent.
Exiguum ſpectare focum, cineriſque repentis
Lambere relliquias gaudent, accendere flammas,
Cordaque pro lignis præbere in pabula flammis.
Hoccine Pupe, foco, memorant, cum Matre ſedebas?
Belle Puer, mea flamma Puer, quid ludis Amantes?
An frigere potes, ſtringat licet atua pruina?
Qui glomerate venis incendia, frigora lenis
Ante focum, ſpargiſque faces, dum frigora lenis?
Ante focum Deus ignis erat. Torpeſcite cæli
Aſtra gelu: gelat ardor Amor. Cor ille Parentis,
Flam-

Alexander primus adorat, mox alij.

Populi concurſus.

Plerique à turba calcati moriuntur, et S. Domus contactu reuiuiſcunt. Poet.

Cuncta piè perluſtrant.

Caminum adorāt, & quæ ibi geſta commemorant.

Flamma focuſque, focis hìc amplior omnibus, æſtus
Pectore iactabat, lacrymis quos mater alebat,
Vrere ſola Deum potuit quæ roſcida fletu.

Mox feneſtram per quã ingreſſus Gabriel Virginẽ ſalutauit.

Hoc aditu Gabriel Laribus ſeſe intulit. hæc eſt
Fortunata genu tellus, calefactaque votis
Virginis orantis. Quoties hæc ſparſa beatis
Immaduit lacrymis! hinc lilia nata Pudoris,

Puer Ieſus in S Domo Matrem docebat ipſe magiſter, & liber ſcriptus intus, et foris.

Atque verecundis roſa concolor orta fauillis.
Hìc matris præceptor eras, Sapientia Patris,
Magne puer. Cæli qui lata volumina vertis,
Dextrâ voluebas paruâ non grande volumen.
Ipſe volumen eras matris, ſed grandius Orbe,

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, &c.

Atque voluminibus cæli. Te Virgo legebat
Pectore, corde, oculis. impreſſerat illa volumen
Corpore, mente, ſinu. monumentum cordis amabat
Atque animi ſtudioſa ſui. Impalleſcere chartis
Ah quoties viſa eſt; capitum dum littera maior

Deus meus volui, & legẽ tuam, alij legunt Crucem tuam, in medio cordis mei pſ. 39.

Crux erat, aurato miniata cruore; character
Liuor erat, calamo clauorum ductus, & haſtâ.
Hunc Ioſeph ſudore locum rorabat: at oris
In ſudore, faber quo veſcebatur amando,
Pupule, panis eras: te oculis, & corde vorabat;

In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Gen. c. 3.

Luminibuſque tuis flammas & pabula, robur,
Solamenque laboris, opes, animamque trahebat.

Plauſor in hoc fremitu medias vix occupat oras
Antiſtes, procerum immiſtus populique cateruis;

Alexandri ad Virginem preces.

Cum, lacrymis demerſa diù, vox excidit ore.
Viximus: hæc noſtræ ſit meta nouiſſima vitæ,
Quam teneo manibus votiſque calentibus, ara.
Hoc oro, Genitrix; donis hoc omnibus vnum
Adde. quid hac supereſt periturâ in luce videndum,
Te viſâ, Laribuſque tuis? pax vltima noſtros

An-

Anne alibi melior cineres, atque oſſa fouebit,
Quam quæ Pacis adeſt in Limine? Rumpite curſus
Fata; peregrinus peregrinâ in Sedę quieſcam.
Vita iter abſoluit: manibus iam carpimus aſtra.
Hęc Superûm, Domus vna, Domo cõtermina ſurgit.
O cordis pupilla mei, mihi lumina, Virgo,
Claude: Dei vultum, quæ claudet dextra, recludet.
An mortis tua dextra nigris me condat in vmbris,
Diuini quæ littus erat ſplendoris & agger,
Quem Deus è pelago voluit radiantis Olympi?
Claude meos mea lux oculos ò Virgo: tenebo
Vel clauſis oculis ſecuro tramite cælum.
Ex hac Æde, opibus quam condidit Ætheris, auro
Tellurįſque bonis Paupertas nuda, ſupernis
Non labor eſt inferre Plagis veſtigia, magno
Quas Paupertatis Germana Opulentia cenſu
Molibus æternis extruxit. Pergite, ciues,
Obſequi;s celebrare Domum: vos munera læti
Aurea ferte: aras cumulate: ego munus in vnum
Omnia profundo moriturus munera, vitam.
Elicit has inter, pia dum ſuſpiria voces;
Labentem aſpiciunt ſocij, lacrymiſque natantem.
Ille ſuper ſacra ſaxa ruit, dulcemque ſoporem
Mente capit vigili. Vigilat mage Fama, tubâque
Clangit, & excitas feſtiuo murmure gentes
Maturare iubet curſum. Freta Seruius intrat;
Et ſecat Ionium remis Epidaurius æquor;
Taurini Boſnos comitantur, Iapyges Iſtros;
Illyrici venere omnes. haud vna tot vrbes
Cella capit: capit vna ſinu ſed Virgo. grauatur
Ara frequens donis: exhauſtus quilibet auro,
Plenior in Patriam, donis redit inde relictis.

Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino. 2. Corinth. 5.

Manus Virginis lucis è cælo pluuiæ littus.

Alexander mori optat.

Somno corripitur.

Exciuit ea fama non Illyricos ſolum remotiores, ſed Iſtros, Croatas, Boſnios, Seruios, Epidaurios, &c. Turſ. l. 1. c. 4.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XVIII.

ARGVMENTVM.

Dalmatæ ante S. Domum ludis indulgent. Ludi prodigÿs abrumpuntur,& nocte. Pacifer hanc fallit, digna Chriſtianis bella laudando, indigna deteſtando, quæ, vt comprimat, maturandum ait iter in Italiam. Sub noctis exitum S. Domus è Dalmatia diſcedit. Dalmatæ priùs attoniti monſtris, hanc tandem abiiſſe luctu vident implacabili. Ab Amore placantur, qui ad ſuæ ſonitum citharæ, Domum illis Nazarenæ ſimilem fabricat. Hinc Meſſanam petit;& ſub ſpecie columbæ, Deiparæ Templum deſignat Naz. Templi, tunc in Italiam aduolantis, ideam.

Volucris eſt vita, & cum ea cuncta volant.

NVlla diù fixere domum rapidiſſima terris
Gaudia: præcipitant ſtimulis agitata malorũ.
Effluit, & rapitur quia vita volucrior aurâ,
Cuncta volant; vix orta, cadunt. Vt ferrea tempus
Vincula nulla tenent; ſic omnia temporis alis
Dilabuntur. habent ſtabilem mortalia motum,
Inſtabilemque agitant, nunquam reditura, quietem.
Sol fugit; vmbra redit: fugit vmbra; reditque ſepultus
Æquore Sol. peregrina oculis occumbere noſtris,
Atque globis infixa ſuis, fugere aſtra videntur.
Sidera ſi fugiunt, ardent quæ luce perenni;
Cum populis Reges, maneant cum Regibus Ædes?
Cuncta volant. Peregina Domus, te noſtra volatum
Vita docet rurſus; ſaxiſque imitantibus aſtra,
Currere; ſed certo lapidum per inania curſu,

Saxa Nazarenæ Domus ab aſtris errare diſcere certo motu.

Et

Et radios iactare ſinu, terraſque beare.
Dalmata, complexu quid Limina ſtringis Amoris?
Ales Amor, facilíſque fugæ. ſimul ipſe fugacem
Flamine ſollicitas, vano quod pectore perflas,
Ad tua dum cernis fluitantem littora Mundum.
Hęc mouet aura fugā,& lapides docet eſſe volucres.
Viſcera telluris ventus quatit: intima cordis,
Regnaque cum populis occulta ſuperbia quaſſat,
Saxa domoſque rapit;raperetque in Tartara cælum,
Hic ſuperas Aquilo ſi flabro ſtringeret Arces.
Sic errare Auſtri tacitis impulſibus ædes
Vidimus, atque altas deſcendere montibus vrbes.
Hæc de Dalmatico ſacra Limina littore transfert
Nata animo leuis aura. Notos qua parte malignos
Accipiunt volucres, nidos mutare laborant.
His Laribus ſi nidificas, Amor aliger, alas
Flecte aliò nidumque: cadunt vbi noxia flabra
Et Lauri tranquilla viret quà ſilua, quieſce.

Cauſa cur S. Domus diſceſſerit è Dalmatia populi fortè ſuperbia fuit ſe de domo iactantis.

Luna quaterdeni metas confecerat orbis,
Ex quo Cella volans, Terſacti, & Fluminis oras
Hoſpita prodigijs impleuerat. Orta quadrigis
Fortè dies aderat roſeis. hanc Dalmata ludis
Deſtinat; at Regni lacrymis, & luctibus Æther.
Ludicra bella parant, ficti ſimulacra furoris,
Virginis ante Domum. Pacem vel ficta fugabunt
Prælia. Pax vmbras odij, & certaminis odit.
Ergo bellatrix ſe turba oſtentat in armis,
Exuperatque iugum, quà decumet æquore collis,
Æquora deſpectans. Armorum fulgure campus
Lucet, equus phaleris. diſcurrunt agmine longo
Frenatis equites in equis. conuertere curſus,
Ire, redire; ciere fugam, rurſuſque referre

Ante S. Domum prælia ludicra à Dalmatis agitantur.

Qua-

Quadrupedes in bella iuuat; tunc ire ſolutis
Montis ad ima choris, rurſuſque vocare flagello
Pernices ad ſumma feros, atque agmina campo
Iungere, vibratiſque retexere prælia telis.
Heu miſeri ſimulare fugam deſiſtite ciues.
Veſtra coloratis ficto mala ſeria ludo.
Numinis Aula fugam meditatur, præuia cælum
Dum portenta parit, vicina pericula ſignat.
Scilicet, è clarâ rutilat rima ignea nube,
Et Phœbo ſpectante ruit per inania fulgur,
Terque Domum flammis luſtrat: ter Limina lambit.
Mox fugit in nubes: nubes glomerantur, & atro
Eripiunt ſqualore diem. Nox protinus aruis
Incubat, & ludos timor, & caligo diremit.
Fulmina diſcurrunt, rapidis equitantia nimbis;
Veraque bella ferunt: fugitiuo abrumpitur Æther
Lumine; & effundunt terrorum nubila nimbos.
Aſtra atratâ dies vidit: mox crine timendo
Præcipitem ſignare fugam; ſtellaſque minores,
Vt lapides, formare domum, quæ tramite lucis
Ducta ferebatur: nebulâ mox condita, viſus
Fugit: & aſtrorum diſſoluitur ignis in imbres.
Imbribus arua madent: flores ſiccantur ab imbre;
Quæque alit vnda, necat. Montis quæ deſuper vrget
Silua latus, varijs quæ cinxerat aëra ramis;
Intexens oleas ornis, & vitibus vlmos,
Aſpicit in triſtes ſua germina abire cupreſſus.
Seque, ſuoſque pauet partus. fugêre volucres:
Antra feræ liquêre: feros in corda furores
Miratur lupus illabi, mirantur & apri.
Quos Pacis vicina Domus manſueſcere quondam
Iuſſerat, & tacitis furias componere lucis.

Succedunt ludis prodigia, vicinã S Domus fugam deſignantia.

Ignea domus apparet in aëre, mox euaneſcit.

Arborum metamorphoſis.

Feræ vicinæ Siluæ à S Domo manſuefactæ rurſus efferantur.

Quod

Quod placidum ventis ſtabat mare,ſtrataq; fluctu
Littora radebat; non impellentibus Euris,
Non Borea tollente,tumet: vorat æſtus arenas;
Et qua parte Lares impendent Virginis, inde
Spumiferum caput attollit, ſeſeque per auras
Turbinat in montem; donec cæleſtia fuſis
Limina tangit aquis. Tunc protinus vnda quieuit,
Et liquidum ſuſpendit iter. Delphines in orbem
Implicuere choros: Laribus dare terga mouendis
Aſſimulant: dulci labor eſt non poſſe labori
Suppoſitis ſeruire humeris. Hinc omnibus æquor
Fluctibus exciuit murmur, quo diſſita longè
Littora, & elatis immugijt vnda procellis,
Et ſcopuli tremuere. Gradu labente,relegit
Mox mare deſertas montano è culmine ripas,
Deſeruitque ſuper libatæ limina Sedis
Nobile vectigal gemmarum. Murmura, Nereu,
Et lacrymas compeſce. iterum ſe proferet vndas
Hæc Domus in medias, fortunabitque Profundum.

Mare creſcit & S.Domus ſurgit ad limen.

Mare relictis in ſacro limine theſauris ad alueum redit.

Poſt mare,ſigna tubis dederat clāgentibus æther;
Auditique pedum ſonitus, velut inde mouentis
Caſtra Ducis. Sic, ſtagna petit dum nota Caiſtri,
Obſtrepit implicitus coruorum exercitus alis.
Hac pupuli ſcena concuſſi, lumina tollunt:
Cũ gemitu exclamãt:Quid mõſtra inimica minãtur!
Num ſoboles tua, Virgo,peribimus? ibimus, echo
Reddidit, innumeris montis geminata cauernis.
Ibimus in mortem: perituros reſpice, Virgo:
Crimina ſi parcis, pereamus: Eamus,ab antris
Miſſa iterum vox eſt. Populis timor additus ingens:
Inde domum taciti repetunt. Nox atra ruebat.
Corripuere metu dubium quem pectora ſomnum,

Tubæ in aëre clangunt.

Aëris

Dalmatæ terræmotibus expergeſiunt

Aëris horribili fremitu fregere: recluſo
Viſcera viſa ſinu diuelli; cor ſine corde
Abſciſſis trepidare fibris. nox ipſa timorem
Ingeminat, ſomnuſque perit, vigilantque dolores:
Cauſa latet, lacrymæque fluunt. Simulacra malorum
Apparent manifeſta vmbris, & prodita luctu.
Namque per inuiſæ tenebroſa ſilentia noctis
Tecta, torique, vrbes cum ciuibus ire per auras,
Virginis atque ſequi viſa, in caligine, Sedem,
Dum patrio de monte fugit. Sic vera colorat,
Et miſeros fallit turbatæ mentis imago.
Hæc, præſaga mali, dum ſomnia fingit in vmbris,
Sæpius haud fictas delineat vmbra ruinas.

Paciferi ad Angelos concio.

Ad pacanda bella ire deſtinat in Italiã. Hinc occaſionem ſumit bellorum libidinem in hominibus deteſtandi.

In cœtum interea ſua Pacifer agmina cogit,
Atque ait: O Superi, quartus iam voluitur annus
Ex quo Dalmatiæ faciles conſedimus aruis.
At noua bella vocant. Diro Bellona flagello
Quæ ſtrepit Italiæ campis, iam vulnerat aures,
Paciferique agitat, furijs armata, furores.
Ibimus, hac oleâ, manibus quam præfero, Bellum
Bellonamque flagellabo. Mare rurſus adire
Eſt opus Adriacum: terris pelagoque fugabo,
Subdola ſi quæ fortè latent contagia belli.

Digreſſio in bellorum deteſtationem.

Mors vbique.

Cauſa mortis in nobis ab elementorum diſcordia.

O cæcas mentes, capita ò venalia mortis!
Fata ruunt: celeres letho quid iungitis alas?
Quid mortem fugitis, ſi quæritis? illa ſub vndis
Si manet & thalamis; ſi menſis condita, condit
Inſidioſa veneno epulas; ſi viſcera morſu
Aëris, ignis, aquæ, terræque occulta fatigat:
Pectoris è latebris in aperta immittere mortem
Prælia quid prodeſt, armorumque addere calcar;
Vt properet nocitura? Horrendam funeris vmbram,

Dum

Dum nocet, vt placeat, ferri fulgoribus abdis:
Falleris, vt fallas; & vitæ perderis hoſtis
Ipſe tuæ, vt perdas odijs furialibus hoſtes.
Arua cruore natant: albeſcunt oſſibus arua; *Ira hominum ſemper inextincta.*
Iraque fumat adhuc, fuligine tincta nigranti:
Iraque feruet adhuc, in flumine merſa cruoris,
Naufragijs rediuiua ſuis, erecta ruinis,
Secta, reſecta; colubrorum ſed more nocentum,
Ipſa ſibi, capitique ſuo, membriſque ſuperſtes,
Et diſperſa ſimul, collectaque; ſanguine mixto,
Non animo. Soluenda graui ſic grandine,nubes
Iungit in exitium telluris cæca vapores.
O malè concordes in veſtra pericula gentes! *Fruſtra bellis omnia quaſſantur, quæ ſponte ruunt.*
Quid iuuat immiſcere acies, terramque mouere,
Quam Deus immoto pendentem cardine fixit?
Per ſe Regna cadunt: quid ſponte impellitis armis?
Quidue odijs trahitis, quæ per ſe mota ſequuntur
Occaſum, peritura, ſuum? Sat tempora Mundum
Annorumque rapina vorant: quid Regna voratis
Spe, rabie, ferroque iterum reuomenda ſed hoſti?
Iura datis ſceleri: pro ſceptro Regna furori
Traditis, ò miſeri! quibus vnica pectore Virtus
Sceptra dedit Regina, vni famulata Tonanti, *Deo ſeruire, regnare eſt.*
Cui ſeruire creat Regnum, Regnoque potentes
Alligat innumeros. patitur nam Numinis Aula
Non modò ſola duos, Regum ſed millia centum,
Nobile ſeruitium Domino quos nectit amore. *Regnum Virtutis.*
Hoc Regnum non turbo quatit; non diripit æuum;
Non Fortuna rotat: ſubiectum deſpicit Orbem,
Fortunamque humilem calcat, molemque malorũ.
Credite. Chriſtiadum, tellus haud tota, cruoris, *Nobilitas Chriſtiani ſanguinis.*
Oceanuſque omnis pretium eſt: maiora lucrari

Lacryma cælum emit, quanto magis ſanguis, & vna.

Vnica ſtilla poteſt : Emeret ſi lacryma cælum ;
Gutta cruoris emet terram, cælumque Deumque.
Hæc bellatores Chriſti, Fideique momordit
Sanguinis ambitio ; pulchrâque cupidine mortis

Quæ fuere, quæque ſunt digna Chriſtiano milite bella.

Arma petunt , bellumque vocant ; ſed Pacis in ara,
Et campo Pietatis . Alunt ſub cordibus ignes ,
Non quos ira agitat ; ſed quas enutrit Amoris
Caſta Fides oleo : clypeo non ſpicula frangunt ,

Martyrum fortitudo.

Pectore ſed nudo.Stant membra carentia membris;
Vulnera vulneribus miſcentur , ſertaque ſertis ;
Artubus ebullit cum ſanguine feruor Amoris.

Amant diù viuere,vt diù pro Chriſto moriantur.

Deficiente animâ , votis animantur auaris;
Vt pereant iterum pereuntes ; vt noua ponant
Artubus in laceris , vitâ redeunte , trophæa .

Tyrannorum rabies,dum Martyres nequeant vincere .

Laſſatur furor ipſe : gemit, quòd vulnere nunquam
Inconcuſſa gemat Virtus : fit pœna furenti
Ipſe ſibi in pœnas : torquetur tortor ; & ictu
Se ferit impatiens , quo grandia corda cruentat .
Expedit iratus virgas: ſtimulatur ad auſus

Supplicia Martyrum.

Aſt Athleta nouos virgis : in ſanguine florent ;
Virgaque fit ſertum , roſeo dum purpurat oſtro.
Suſcitat exardens flammas : ſed flamma triumphi
Vertitur in currum . generoſâ molaribus ora
Saxeus obtundit : cæleſtes elicit ignes
Dura ſilex . dentes euellit : at ille furorem
Fortior edentat . fauces elidit : Ieſu ,
Faucibus eliſis erumpit , nominis aura .
Proijcit in pelagum : ſed gemmea ſidera cæli
Imo piſcatur pelago . Sunt ſemita lucis
Æquora Martyribus . baculis exoſſat: at hæret
Altiùs effuſis robur cæleſte medullis .
Erigit in montem , artifici Feritate cataſtas :

Pulpita ſunt; vbi agunt Virtus, & Gloria partes.
Euibrat in vulnus, ferro ſtridente, ſecures:
Protinus in falcem curuantur, & Ætheris arua,
Æternoſque metunt, vibrato vulnere, flores.
Vnus at excruciat fortes dolor, vnaque vincit
Pœna quòd in pœnis corpus non ſufficit vnum,
Vnaque vita ſatis non eſt. hæc ſola cupido
Oſores vitæ, viuendi prouocat. artus,
Lumina, ceruices, centenaque pectora vellent;
Vt valeant ſine morte mori, vitæque perennis
Mortibus innumeris moriendo capeſſere iura.
Chriſtiadas hæc bella decent. Si deficit hoſtis,
In te verte manus. Stant pectoris arce rebelles,
Tuti fraude loci, motantes omnia motus.
Hìc ciuile gerunt in amico ſanguine bellum:
Hìc alternatim ſe in prælia pace laceſſunt;
Ipſaque conturbat mentem concordia diſcors.
Torporem mouet ira, iram in certamina torpor,
Rurſus, & ira odium: furor hinc accenditur. hoſtes

Vincuntur Martyres à ſolo deſiderio plura habendi corpora, vt plura pro Chriſto tormenta patiantur, & mortes.

Si deſunt Tyranni, digna eſt Chriſtiano milite pugna ſe vincere; & ſe victo, rurſus in fidei hoſtes arma transferre.

Vince tuos: hæc ſola hominem Victoria Regnis
Deſtinat, innocuo quæ ſanguine pingitur. in ſe
Eſt pietas ſæuire: decora tyrannis amorem
Parturit hæc, eademque fouet, proprijque cruoris
Vberibus nutrit, quem flagris exprimit vltrò.

Quod ſi tantus amor, ſi tanta in cæde voluptas;
Stringe vltor gladium: cupidas accende cohortes
In ſacra bella; animæque tuæ bene prodigus, arma,
Arma Palæſtinis infer victricia Regnis.
Pectore quem Chriſti traxere, repoſce cruorem:
Inuiſum Superis dele genus. Occidat, vmbris
Gens deuota necis, quæ vitæ Lumen ademit
Funeris occaſu. Populorum ſanguine fœdo

Dextera Chriſtiadum decorabitur: imbre profano
Miles pro fide pugnans, ſacerdos eſt victimas offerens, dum hoſtes occidit.
Hæc eadem ſacrata Deo, de milite Myſtam,
De Duce Pontificem efficiet; gladioque cruento
Qui cadet, hoſtis erit; ſimul hoſtis, & hoſtia cæli.
Perge: Paratonias ferri nitor impleat oras;
Sanguinis & Nilus violento gurgite creſcat.
Hinc aliò conuerte minas: i cæde nocentis
Dignum Chriſtiano milite bellum eſt hæreticos exterminare.
Hæreſis in iugulum: Romano hæc victima ferro
Venit, & Imperio. venas diſcinde: decoros
Nam Fidei nexus, ſcelerato perfida ritu,
Diuidit. hac nunquam tibi defuit hoſtis arenâ.
Pax futuros Hæreſiarchas prædicit.
Hei mihi fatidicâ ſurgunt quæ triſtia mente
Venturi ſimulacra mali! quod Gallica virus
Caluinus.
Regna vomũt! Ecce Orcus hiat. Caluinus ab Orco
Orbis in exitium, Furijs comitantibus, exit.
Inficit ore diem: rictuque oblatrat aperto:
Colla leuat diſtenta canis, Superoſque laceſſit
Vocibus, atque Deum. rupto Titanas Auerno
Euocat innumeros: pro montibus omnia fraudum
In cælum vibrare parant molimina, tollit
Præcipitanda ſuo quæ dira ſuperbia faſtu.
Dis Acheronta mouet rurſus; rurſuſque fatiſcit
Machina telluris. Pariris quod Tartara monſtrum?
Auſtriaci, Galli, Liuones, Teutones, Angli,
Lutherus.
Ah fugite: immugit Barathrum: fractoque profundit
Lutherum ex vtero, finxit cui fœda paludis
Membra lutum Stygiæ: tædis animauit Enyo:
Perfrictam explicuit ſine fronte audacia frontem:
Cæca libido oculos, Erebi quæ ſurgit ab igne,
Atque ipſas nigrâ tenebras caligine vincit,
Luce colorauit: crines fecere ceraſtæ;
Triſte ſupercilium rabies; inſania mentem;

De-

Dedecus ingenium ; vitalemque ira calorem ;
Cerberus ora ; furor dentes ; linguaſque triſulcas
Magnus qui cælo cecidit Draco : ſanguine venas
Impleuere angues, quotquot Stygis eſca ſaginat.
Lutheri Cocytus aquis in corda refuſis,
Torpuit : egeſtis in pectora ſordibus, alueo
Miratur piceo puras decurrere lymphas.
Compactum toto monſtrum furiale Barathro
Euomitur, lucemque videt. non verba, ſed anguis
In ſegetem dentes, Fidei proſeminat aruis.
Hinc liuor, bellique parens Diſcordia regnis
Creſcet,& armorum, nunquam extirpanda nocentũ
Dira ſeges. calamo tranſmittet in omnia peſtem
Secula Præceptor ſcelerum : nocitura miniſtrat
Atramenta dolus ; colubri membrana papyrum ;
Harpyiæ dextram,& calamum. Si terra dehiſcit,
Vt fundat noua monſtra ſinu, torpeſcitis aſtra ?
Et toleratis adhuc corrumpi ſecla ? Secundis
Annuit auſpicijs cælum. excluſura ſalutem
Nubila panduntur : melior iam naſcitur ætas.
Ferdinandus adeſt; vectuſque curulibus aſtris,
Hæreſis in ſtragem deſcendit. Cedite campo,
Edita monſtra Erebo prægnante. potentior Orbi
Imperat, & Superis : Superos dum vincit amore;
Vos odijs ferroque domat: vos ille Secundus
Nomine, & auſpicijs, in bella cruenta laceſſit.
Ite; micate armis. Superant ſi nubila Solem
(Auguror) ipſa etiam vobis Victoria ridet.
Illa diù riſit : tandem ſed rumpitur æther ;
Emicat & fractis Sol nubibus. Agmine Cæſar
Virtutum dum bella geret, vos, agmina, fundet,
Quæ ſcelus inſtruxit,quæque ordinat ipſe tumultus.

Poſt Lutherũ Stygia palus purior, quia eius in cor magnam ſordium partem exonerauit. Eius aſſeclæ.

Lutherus malè vixit, malè dixit, malè ſcripſit. Eius ſcripta.

Ferdinandus II. hæreticorum euerſor.

Ferdinandus II. eodem tẽpore in Hæret. prælio pugnabat, & ante Crucem orabat.

Digitized by Google

Stringite tela. Crucem dum ſtringit Cæſar, eadem
Ille Crucem, gladiumque manu, palmamque, Deūq;
Erigit in bellum. Imperij ſic fulminat ales,
Alituum Regina potens, ſternitque Gigantes.

Ferdin. III.

Hoſtes qua exarmat genitor fortiſſimus, armat
Te Cruce, Ferdinande, tui genitoris imago.
Hoc ſigno bellare docet, Lignoque timendo
Bufones lutei Lutheri, hydraſque feraces
Tundere Caluini, ſuperis & adurere flammis.

Sic eſt. addidicit Cæſar; tacitoque cubili
Proijcit arma, Crucemque tenet: pugnantia nectit.

Ferdinandi III. ipſiſſima verba ſunt metro tamen vincta, quæ ſexta ſanctioris hebdomadę feria cecinit ante Crucem, & ab alijs impreſſa typis ſunt ſub titulo. Elogium Antitheticum.

Auditis? Deus, inquit, homo: caligine lumen
Protinus vmbratur: contriſtat gaudia mœror.
Pondere feſſa quies curarum, ſanguine ſudat.
Traderis, Agne lupis: caperis, quem Regia cæli
Non capit: arceris vinclis qui vincula ſoluis:
Libertas traheris non libera: criminis inſons
Argueris: magnus ſtat coram Iudice Iudex.
Petra tenens fragiles Chriſtus compage penates,
A Petro, vili quatitur dum voce, negatur.
Velatur facies, Superum qua paſcitur ardor;
Nec ſatura expletur, dum pendet ab ore, voluptas.
Omnipotens Patris, quod condidit omnia, Verbum
Verba negat: nudatur Amor, qui ſidera luce,
Et volucres pennis, & veſtit floribus arua.
Quo coram pauitant Reges, & palpitat Orcus,
Contremit, & flagris Dominus laceratur Olympi.
Spinea ſerta gerit regum Rex: pallet, & horret:
Iudice ſtultitiā, ſtulta eſt Sapientia: damnat
Iuſtitiā improbitas. premitur Crucis arbore Mundi
Labentis columen, digitis dum ponderat Orbem:
Vt latro Numen ſuſpenditur. Hei mihi cordis
Vita

Vita mei moritur. Morere & tu, perfide, noxis,
Vt Chriſto viuas, felici funere vitam
Perde: perennabit ſuperis rediuiua theatris.
Hęc Crucis ad citharam cantas dũ, maxime Reguũ,
Atque pio iungis nexu tam diſſita; nexus
Hæreſis infames, & dira volumina ſoluit,
Excantata tuis, & perdita cantibus. Enſem
Sic citharamque manu Dauid agitabat in hoſtes,
Conſilio, vultu, dextrâ, ferroque, ſed æquè
Cantibus armipotens, lacrymis & carmine fortis.
Tangere perge fides: Virtutum exercitus audit
Non lituos, reſonaſque tubas, non claſſica Martis;
Sed Crucis ad citharam victricia murmura cordis.
His fidibus defende Fidem. mihi magnus Apollo
Sic eris, ô Cæſar. ſi ſpicula dextra rotabit;
Læua lyram, digitis & corde mouebit, Amoris.
Adde armis, Genitor docuit quas ponere, turres.
Hæc, quibus alta feror, cæleſtia Limina magnis
Ille tulit votis & corde. Ita machina Regni,
Hac leuior cum mole, ſuo impendebat Atlanti.
Sæpiùs optauit mea viſere Tecta; capaci
Hæc eadem portare ſinu, ceu pegmata; vt hoſtes
Illius obrueret vis & præſentia Sedis,
Quam coluit Virgo, quæ cunctas ſola peremit
Hæreſis indomitas acies, & Sole cremauit,
Quo pectus generoſa amicit. rapere Atria Diuûm
Sed quia non potuit, ſimiles pro turribus ædes
Vrbibus Auſtriacis, Barathro trepidante, locauit.
Vmbra vel ipſa Domus & imago colla repreſſit
Hæreſis, & ſcelerum funeſtas expulit vmbras.
Magni magna tui ſoboles genitoris, in auras
Perge meæ ſimulacra Domus extollere. Templa,

Paren. ad Ferd. III. vt parentem æmuletur. fuit enim Ferdinandi II. ſingularis in Lauretanã Domum obſeruantia, cui plurima ſuis vrbibus, velut arces Imperij, templa dicauit, & domunculas in Templis extruxit Lauretanæ quam ſimillimas.

Ad Leopoldum paraneſis, vt parentẽ imitetur S. Domus in cultu.

Aquila in petris manet: inde ſpeculatur eſcam, &c. Iob. c 39.

Patres è Societate Ieſu pœnitentiarij, viri omnium nationum, in omnium nationum ſcelera, & Hæreſes Laureti bella mouent, & quotquot armant pœnitẽtiæ ſacramento, tot redituros in patriã inſtruunt bellatores contra Hæreſes, & hæreticos.

Templa mihi, ſolia ampla tibi moliris, & vrbes.
Vna Domus parit Imperium;parit vnica Mundum.
Huic tu ſubde caput: toti dominaberis Orbi.
Tolle aquilam Imperij ſuper hęc mea Tecta: latentis
Hinc illa Hæreſeos ſpeculabitur alta colubros,
Ad prædam ruitura. Nouas ad bella phalanges
Aſpicio tecum conſurgere. Nomen Ieſus
Nomine, vexillis referunt, & corde. Salutis
Hæc eſt communis bona teſſera. Tollite frontem
Hæreſis inſidijs obnoxia Regna: cohortes
Auxiliatrices properant in bella: ſed vnde?
Scilicet excurſurę omnes fauſto agmine terras
In ſcelerum exitium, Laureti grandia figunt
Caſtra, Domumque meam fidâ ſtatione tuentur.
Hîc diſcunt bellare viri, & præludere bellis
In ſcelus incipiunt; aperit Metanœaque campum.
Stãt populi circum innumeri,quos mittit Araxes,
Quos rigat Euphrates, quos vndis arcet Iberus,
Sexaginta lauat latè quos amnibus Iſter,
Et Tagus,& Rheaus,Rhodanuſq;& Sequana,Belgas
A Celtis qui fronte ſecat, Niloque Canopi
Aduerſus Tanaïs, Scythiæ de montibus ortus;
Quos Arnus lambit; viridi quos Bætis oliuâ
Præcinctus, Tyberiſque, Italis gratiſſimus amnis.
Hinc populi ad Templum Laureti,vt flumina,currũt;
Criminaq;exponunt,ceu monſtra,in littore Templi,
Mœnibus atque tholo,quod Sedem Virginis ambit.

Confeſſariorũ ſedes circa Cubile Deiparæ, veluti diluui maris in littore.

Omnibus ex oris terrarum, bella ſalutis
Vos ſcelerum monſtris, Ieſu pia caſtra, mouetis.
Dalmata Dalmatiæ populos,Hiſpanus Iberos,
Excipit Auſtriacos Germanus, Belgaque Belgas,
Et Gallus Gallos, & Sarmata in arma Polonos
Euo-

Euocat, expugnatque ſuos bellator amoris.
Extrahit è vultu pro ſanguine culpa ruborem,
Quam Metanœa ferit: dant,cuſpide victa doloris,
Corda oculique imbres lacrymarum: vulnere multo
Crimina fixa gemunt, pereuntque; & funere vitam
Progenerant animis, pariunt quæ viuida funus.
Haud aliter qua parte Sion complexus Idumem
Sidera mons Templi lambebat mole ſuperbus,
Stabat flammato venerabilis Hoſpite ſedes.
Scilicet hæc Fidei dum ſemina prima fouebat,
Præconeſque Dei; tonitru prælusit amico.
Aggere mox rupto, ſuperis torrentibus Ignis
Depluit in dulces fluctus, fauſtaſque procellas.
Linguarum bona flamma opifex, partitaque, frontes
Ambit, & ad magnos animat fulgoribus auſus.
In pulchro natat amne domus: demergitur; Orbem
Eruat vt merſum nigris Phlegethontis in vndis.
Gentibus innumeris vallata, obſeſſaque Mundo,
Exiguam numero pubem flammantibus haſtis
Armat ad Imperium Mundi, miracula flammis
Seminat in cæli meſſem, velut hortus Amoris.
Nimirum calet igne intus; fluit imbribus extra
Lugentis populi ſua crimina: fluctuat intus
Ignea tempeſtas per ſacra ſilentia; feruet, (bras
Et fremit in lacrymis extra humida: proijcit vm-
Dum dolor ore foris; radios Amor euibrat intus,
Monſtra foris ſcelerum, Daniel quæ littore vidit
Terrificare oculis, ventoſque laceſſere cornu;
Intus Virtutes habitant, penetralia plauſu;
At ſuſpirantum reſonant pomœria luctu.
Hæc etiam portenta parit Domus ignea, ſacris
Quæ flammis ardens, ſcopulo è frigente recedit.

Comparatio S. Domus cum Cœnaculo, in quod Spiritus S. igneis linguis illapſus eſt.

Extra Cœnaculum peccātium turba Petro concionante plorabat.

In-

Pœnitentium lacrymæ extra cubile V. Lauretanæ.

Ad Patres è Societate Ieſu parænesis, vt ex eo ſpiritus hauriant ad omnium Hęreſum victoriã.

Intus habet flammas, lacrymis ſed fluctuat extra:
Viſcera perflantur Zephyris, ſed turbine fines.
Per lacrymas ruit in flammas, captiua doloris
Turba, mouetque leues magnis aquilonibus auras.
Caſtra mouete, Patres: incendia ferte per Orbem,
In Lauretanâ quæ bello accenditis arâ:
Dalmata in Illyricos; in Belgas irrue Belga;
Gallus & in Gallos; in Iberos erige Iberus
Signa Dei, ſcelerumque acies, atque Hæreſis hydram
Virgineis iugula telis; extingue fauillis.

Sol contra Gabaon ne mouearis, &c. Ioſue 10.

Gens dilecta tuis adero præſentior armis,
Quàm Sol in medio ſteterit ſpectator Olympo
Ioſue ad imperium bellantis. Nomen Ieſu
Currus erit; vigil vnde manens, tua prælia cernam.
Ne dubita: in cunctas tibi ſpicula Pacifer oras
Suggero cum facibus. Romæ dum proxima figo
Limina; vbi ſolium Pax & Victoria figet;
Hinc vinces Orbem: nam Roma amplectitur Orbẽ,
Et, face certantes Stygiâ, dare terga phalanges
Palantum latè ſcelerum cum Dite iubebis.
Caſtellum hoc Superûm, tuto impenetrabile vallo,
Quo cum Pace feror, dum ſæpè tonabit in hoſtes,
Prælia, ceu tumulus, toto morientia Mundo,
Cunctaque, bellorum ſobolem, in ſe crimina condet,
Principe Alexandro. Sic hoſtibus Ælia turris
Iras effundit: ſpirat tormenta per ignes;
Magnaque Romani cineres tegit vrna Tyranni.

Sepulchr. eſt Adriani.

Interea, dum fata leui ventura volatu
Approperant, properate citi, molemque ſequacem
Ducite compoſitis, Superi, ſub pondere pennis.
Roma vocat; vocat Italiæ fidiſſima ſedes,
Fecundum bellis Picenum, atque vbere glebâ.

Pa-

B. Virgo iubet Amorem in Dalmatiæ manere, & Nazarenæ cellæ ſimilem cellam extruere ad ſolatiũ Dalmaturum

Pacifer hæc. ſed Virgo parens miſerata dolores
Dalmatiæ, adiectum lateri ſic vrget Amorem.
O Amor, ò Nati vitalibus edite pœnis,
Et Pacis germane, mei lux vmbraque partus,
Nunc age. dum lento pompam ſuper aëra greſſu
Aligeri ducunt; pereat ne Dalmata luctu,
Illyricis conſiſte parum bonus aduena regnis.
Iacturam ſolare Domus; aliamque gemellam
Conde domum: nam diuinæ tu conſcius artis.
Munere perfecto, nimbos præuerte, humeriſque
Aſſequere alatis equitantem in nubibus Ædem.
Riſit Amor nutu, ſtrepitumque volubilis alæ
Virginis ad votum preſſit. ſed, Amore morante,
Haud mora, conueniunt Superi. Pars expedit alas,
Supponitque oneri: pars colla iugalia ſubdit:
Pars rutilante iugum rapit ambitioſa lacerto:
Pars manibus; pars fronte gerit, pariterque laborant;
Obſequioque omnes Concordia nectit eodem,
Diſſociat quos cura impar. Qui ponderis expers
Suda vorat greſſu, doctis erroribus auras
Frangit, & in faciles ſe turbinat arte choreas.
Accedit, refugitque; fugam ſequiturque, fugitque
Ipſe ſuam; cadit, exurgit, ſibi pondus, & ala:
Stat pedibus, nutatque ſimul; ſibi callis, & error,
Et labyrinthus adeſt: ſeſe implicat; explicat idem:
Se vibrat in ſaltus: ſe librat in aëre: præceps
Inde ruit, reſilitque: aperit ſibi mille viarum
Difficiles, facileſque aditus. mox colligit alas,
Et tardum metitur iter: mox protinus artus
In ſublime iacit: tremulis modò greſſibus inſtat,
Ipſe ſibi calcar: ſe circũflectit in orbem;
Atque refert ſuperos modulatis motibus orbes.

Pax diſcedit cum S. Domo.

Pars Angelorum oneri ſubit, pars ab onere vacua choreis indulget, & cantibus.

Aſt

Aſt alij ſtimulant, cithara plaudente, choreas,
Cantibus atque regunt. ſonitus voceſque duello
Confligunt; pariterque pedes pennæque canorò
Murmure dum fluitant, Pax conſidet, arbitra belli.
Illa choros immota mouet, choraliſtria Mundi.
Stant circum Aligeri. Digito ferit ille volucri,
Vellicat aut reſono trepidantia barbita plectro:
Elicit ille tubis, ſed non imitabile murmur:
Protrahit in longum: mox frangit protinus auram:
Suſpendit, reuocatque: pari iamque vna tenore
Miſſa ruit; rurſus conciſa reſultat; & auras
Aura minutatim carpit: modò pleniùs implet
Terribili clangore tonans; bellique tumultus
Et pelagi furias, cælique tonitrua fingit.
Aſt alij lituos inflant; vel cymbala doctis
Percutiunt digitis, & cantibus aëra mulcent.
Ceſſerat Illyricis iam Cella volatilis oris,
Vicinique dies aderat iam nuncia luctus,
Primâ luce rubens, quæ tempeſtatibus index
Emicat, atque facem præfert rubicunda dolori.
Proſiluere omnes: alas timor addit, & aufert:
Genua labãt, trepidãtq; gradus, volitãtque per vrbẽ.
Iam deſiderijs præcurrunt; & iuga montis,
Quærere quę pauitant, quærunt. tenet, vrget, & arcet
Mens pauidos præſaga pedes. Faſtigia tandem
Curſibus exuperant pigris. Iam lumina torquent,
Omniaque explorant oculis. ſed Virginis Ædes
Apparet nuſquam. Vt ſimulacra carentia luce
Protinus obriguere: ſilent: non lacryma vultu;
Non vox ore fluit. Sic febris operta medullis
Atque fibris dum cæca latet, ſe celat, & igne
Creſcit ab occulto; donec præcordia peſtis

Matutinus rubor triſte omen.

Dalmatæ viſis attoniti.

Promiſcua virorum mulierumque multitudo orbitatis dolore icta mæſtum pauliſper ſilentiũ tenuit. Turſ. l.1.c.5.

Cor-

Corripit, & tacito molitur funera morſu.
Pars vultu tremit attonito : pars lumina figit:
Pars greſſu titubante ruit . dolor oſſibus hæret ;
Lacryma luminibus ; labris vox ; ſpiritus ori.
Denique , vt antiquâ torrens prorumpit ab aluo
Collectis tumefactus aquis : vt tabe ſolutâ
Incrementa ferens, occultas prouocat vndas,
Tollit & occulti fontis capita inuia Nilus
Altor Niliaci ſpes & formido Canopi:
Nubila vt agglomerat Sol nigra,vaporibus hauſtis,
Atque atro concepta vtero mox fulmina promit,
Et parit in turres , tonitru comitante coruſco ;
Obluctata diù tacito ſic pectore cura
Depopulatori laxat ſua frena dolori.
Vt, ſurgente Noto, primùm freta ſalſa tumeſcunt,
Mitis & auditur ; mox increbreſcit in vndis ,
Et fragor ingentes monet impendere tumultus;
Sic gemitu reſonante , viam ſuſpiria rumpunt:
Soluuntur lacrymæ ;lacrymas & verba ſequuntur.

Timore contabeſcunt.

Viuimus, ò ciues, cæcis an voluimur vmbris,
Atque inter Manes volitamus ſpectra doloris?
Carpimus ore diem,tenebroſam pectore noctem.
Immò nec ore dies pauido ſedet: vndique nubes;
Vndique nox horret: lux ipſa eſt vmbra dolentum.
Regia Solis vbi eſt?Domus,ò Domus alma Tonãtis,
Præſidiumque decuſque vrbis,noſtri hoſpita cordis,
Illyricis quæ te rapuit manus inuida regnis?
Ah potiùs raperet cor , & præcordia ; vitam ,
Inuiſamque animam latebris euelleret imis .
An Superi prædantur opes? anne vritur Æther
Inuidiâ ? ò ſi fatali mage percitus irâ
In nos miſiſſet ſua fulmina ! fulmina & enſes

Tum verò emerſo à ſtupore animo, effuſi ſimul omnes in lacrymas querelaſque ingens ſuę gentis vulnus prodere infinita lamẽtatione cœperunt. Turſ. l.1.c.5.

Dul-

Dulciùs ah fuerat vitalem abrumpere nexum,
Quàm, ſacrâ viduata Domo, hæc montana videre.

Cælum telluris amicum, etiam eum videtur iraſci.

Non Superi inuidiâ, ſed amoris ab igne flagratis.
In bona telluris pluuijs & roribus æther
Soluitur: in flammas, vos aſtra, ardetis amantes:
Sol ab amore calet: furor ipſe furentis Olympi
Eſt amor; & terram quam verberat imbre, coronat
Frugibus; & florum pariunt fera nubila riſum.
Si quis amor ſupereſt, prædator Olympe, Penates
Aut redde, aut placidis rape nos in ſidera ventis.
Cella Tonantis, vbi es? qua te regione viarum

Inde S. Dom° deſiderio ſtimulante lymphati diſcurrere. Turſ. l. 1. c. 5.

Proſequimur? terras tecum luſtrabimus omnes.
Liminis, Aligeri, cuſtodes dicite: gemmis
An latet in pelago fundata? feremur in vndas.
Aut ab amore leues ferat vnda, vel obruat; omnes
Deferet in portum: vitam ſortemque beatam,
Lumine vel caſſi, medio expiſcabimur æſtu.
Conditur an terrâ? terram penetrabimus: vmbris
Fax amor in medijs rutilabit. fugit in auras?
Præbet amor pennas; ſuperas ſurgemus in auras.
Ludimur heu miſeri: miſeros ſpes ludit inanis.
Cara Domus, dilecta Domus! committere tantum

Dalmatarum querula.

Quid ciues potuere tui, vt de fonte fluentis
Lætitiæ, fieres æterni vena doloris?
Hoc retro ſublapſa dies afflata maligno
Lumine, telluriſque pauor, motuſque parabant.
Luctibus indoluit noſtris, & præfica pectus
Cōtudit hęc lapidum ſonitu, tremuitque. ſequamur:
Præfica præceſſit tellus. Vos culmina montis,

Loca, in quibus fuerat S. Domus, ad luctum inuitāt.

Hæſit vbi fugitiua Domus, nunc ferte Tragœdis
Pulpita: vos triſti malè marmora ſubdita monti
Accipite has lacrymas, & noſtro creſcite fletu,

Mon-

Montano riſiſtis adhuc quæ germina dorſo,
Vicinâque beata Domo, non vbera roris,
Non patrios Phœbi vultus, non lumen amaſtis,
Incuruate comas: roſeam deflectite frontem:
Exarete imis radicibus: aſpera ſaxa,
Indomitas cautes, & littora veſtiat horror.
Cura dolorque ſuper ſedeant hæc ſaxa: perenni
Illa cauent gemitu; donec diſiecta, profundis
Æquentur foſſis; &, ſubſidentibus vndis,
Mons vbi nunc turget, ſit vallis, & alta vorago
Æquoris, Auſtrorũque obmurmuret aucta querelis.
Ad iuga veſtra redite, feræ, quæ fregerat iras,
Et vos Cella fugam vicina capeſſere iuſſit;
Heu fugit! Reuocate iras; diſcerpite ciues;
Dilaniate. feris crudelior omnibus inſtat,
Dilaniatque dolor mentem, cura improba, mœror.
Parcetis feritate, feræ: per vulnera vulnus
Miteſcet; latitantque feræ quæ pectore, veſtris
Morſibus effugient per vulneris oſtia mille.
O Domus, ò Patria. ò Patriæ ſpes vnica noſtræ,
Quos fugis? & quò pulſa fugis? num deſeris hoſtes?
Cedimus, & victi cor tendimus. Agmina cæli,
Aligeri, vincite manus & corda catenis,
Dilectæque ad ſaxa Domus religate volentes.
Ipſa nec exoluet mors vincula: fortiùs ipſis
Hæremus ſaxis ad ſaxa. tributa feremus
Gemmatas lacrymis animas. Pax, vendita noxis,
Si rurſus lacrymis emitur, lacrymamur. Amicos
An fugis? hoſpitij leges ſed neſcit Amoris
Hæc violare Domus. Fugite, ah fugite impia caſtra,
Crimina, Tænareis in nos immiſſa cauernis.
Vos inimica Deo: vos caſtra fugaſtis Amoris.

Vt vicinæ ſilua feræ redeant ad feritatem hortantur, poſitam iam S. Domus ad præſentiã. Dolor, & mœror feris efferatiores.

Suis criminibus cauſa vertunt Domus Nazarenæ fugam.

Odi-

Lacryma Deũ cogit S. Hier.

Odimus & fugimus commiſſa piacula : corde
Cedite, quò redeat pignus cæleſte. Tonantem
Lacryma ſi reuocat ; fletu captiua rapaci,
Ad noſtras fugitiua Domus reuocabitur oras.

O lacrymarũ vis quouſque pertingis, quæ nullis impedita retinaculis ipſum penetras cælum. S. Ephrem.

Ite oculis lacrymæ, cauſamque abolete malorum ;
Quæ latet, emerget, ſi crimina mergimus, Ædes.
Ite oculis lacrymæ. Si cælum lacryma vincis,
Viuque aſtris generoſa facis ; cæleſtia quære
Limina, & inuentos inuicta morare Penates.
Ludimur heu miſeri : ſpes lacryma paſcit inanes,
Vtaque cum lacrymis, lacrymæ cũ cordibus arent.

Alexandri Epiſc. dolor, et querelæ.

Tu quoque Alexander, frenatas pectore curas
Egeris in gemitus, & in hos ſeruate dolores
Heu populi lamenta tui ſic queſtibus auges.
Ergo viuendo per te mea funera vici,
O Virgo : vt iuſto ciues mœrore ſepultos,
Muneribuſque carere tuis tua Regna viderem?
Heu vitam moror inuiſam. tabeſcite rurſus
Membra : recrudeſcunt agitata in viſcera febres;

Lethali febre laborans fuerat a Virg. ſanatus.

Durior in noſtras graſſatur cura medullas,
Corripuitque animam. fugit ſi cauſa ſalutis,
Nulla manet ſperanda ſalus. Mors lumina claude;
Luminibus ſi rapta meis Domus illa receſſit,
Quæ vitam dabat, & vitæ ſpirabile lumen.
Cella redi ; dilecta redi : vel te mihi redde;
Vel tibi me : me conde ſinu ; vel condere noſtro
Corde redux. Miſero ſaltem iuueneſcite ſenſus:
Tarda ſenecta animum nõ tardet: iam vagus omnes
Luſtro plagas, Sedemque Dei, mea pignora, quęrã:
Implebo ſudore vias : mollitaque fletu,
Dicet humus, qua parte latet Domus illa, laboris
Cauſa mei. Semel hæc oculis obiecta leuabit

Pro-

Protinus è toto collectos Orbe labores.
Sic fatur, ſtridetque ingens in pectore cura,
Areaque exundat lacrymis; vbi Virginis Ædes
Conſtiterat peregrina. Solo dant oſcula: lambunt,
Amplexuque fouent. amplexus, oſcula, vultus,
Et lamentantum ſunt ipſa ſilentia voces.
Dum lacrymę rorāt, reſonat dum queſtibus æther;
Ad ſuſpirantum ſtrepitus, lacrymæque cadentis
Flebile murmur, Amor citharæ per fila volucri
Percurrit dextrâ. Concentu animata, cauernis
Exiliunt, montiſque ſuper faſtigia repunt
Saxa: ſimul coëunt, nexuque ligantur Amoris.
In ſacra paulatim concreſcere Templa videntur;
Stare ſolo; ſuperimponi; componere muros.
Plurima cum ſaxis properant excita, ſagittis
Ligna dolata tuis, & plectro mota rapaci,
Muſicus Omnipotens. Muris innixa ſuperſtant,
Effinguntque trabes, & tecta ſimillima tectis,
Quæ vacuo diuulſa iugo peregrina migrarant.
Artificum deeſſe manus; tamen ordine duci
Mœnia mirantur: minuerunt monſtra dolores.
PoſtTemplum;regitur citharæ dum cantus ad ictus,
Argutâ trepidante manu cum voce;propinquâ
Cedrus adeſt ſiluâ, communi fumida luctu,
Harmonicique fabri dextræ, iaculiſque ſubacta.
Ad ſonitum folijs nudata, & vulnere multo
Pulchrior, auguſtæ mutatur in ora Parentis,
Et ſalit ad cantus; grauibuſque elata choreis
Protinus inſcendit niueam ſine molibus aram.
Non ſecus Amphion lapides;atque arbuta ſiluis
Orpheus euulſit citharâ: ſed iungit vtrumque
Arte vnâ ſonituque vno cæleſtis Apollo,

Ad lugentiũ lacrymas, & tumultus Nazarenæ Cellæ par Cella mirè conſtruitur.

Barbita qui tractat dextrâ; læuâque ſagittas;
Expolit & iaculis lapides, quos barbita ducunt.
Ille etiam, albenti velatus nube, coëgit
In gemmas lacrymas, quas Dalmata fundit: amictũ
Virginis,& pectus gemmatis torquibus ornat.
Sic radijs Titan dum terræ permeat artus;
Humida conſtipat, fecundat & intima gemmis
Viſcera, & ad partus ardore laceſſit amico.
Non tamen artificem populi videre rotantem
Saxa ſono; non ad gemitum audiuere canentem.

Dalmatarum lacrymæ in gemmas vertuntur, quibus admirandum Virginis ſimulacrum ornatur.

Alexander videt in ſomnis Amorem diuinum Templũ è lacrymis fabricantem.

Carmina Alexander bibit aure,& ſolus Amorem
Aſpicit inſolito fabricantem Templa labore.
Namque diù poſtquam lacrymis indulſit; opacâ
Lumina nocte dolor condit, ſomnuſque dolentem
Occupat, & placidâ feſſum dulcedine mergit.
Aſt animi patuere oculi, dum lumina clauſit.
Cælo miſſa quies vigil eſt: dum roſcida dormit,
Pupillas aperit; tenebris & operta, theatrum
Ipſa ſibi pandit, ſomnoque inſomnis, & vmbrâ
Clarior in media, pro lumine, corde tuetur.

Euigilat ſuoſque ciues conſolatur.

Vt tandem excuſſit ſerpentem in membra ſoporem;
O ciues, ſiccate genas, mea viſcera, dixit.
Nitimur in caſſum diuinam flectere mentem.
Fata immota ſequi fas eſt, inuertere crimen.
Quod vitare nequis, facilè vt toleretur, ametur.
Eſt amor immiti lenis medicina dolori.
Virginis alma Domus noſtris fuit aduena Regnis;
Piceni ſed ciuis erit. ſic mente repoſtum
Numinis. ire nefas in iuſſa æterna Tonantis.
Quod iubet, haud lacrymis, ſed corde volẽte ſequa-
Hoſpitij merces, magnæ tutela Parentis (mur.
Redditur, his excepta iugis, nos excipit vlnis.

Ex-

Excipit atque ſinu, nunquam poſitura; beatos
Ni priùs ante Deum ſolio componat, & aſtris
Inſerat. æternas æternis montibus Ædes
Præparat, atque vnâ pro ſede rependet Olympum.
Raptæ ſaxa Domus, quæ cerno, vicaria, magnum
Addunt hæc fidei pondus, promiſſaque firmant.
Dum me blanda quies ducentem pectore queſtus
Detinet, ò qualem montano in vertice Amorem
Aſpexi! Noſtras volitabat deſuper vndas:
Ridebat lacrymis: pangebat dulcia luctu
Carmina Dalmatico: citharam carpebat ad ictus,
Fœdatoſque ſinus, pugniſque vltoribus artus.
Vidi ego repentes, citharâ ſtimulante, molares;
E lacrymis ortos, diuini Amphionis arte,
In gemmas verti; mira compage penates
Surgere, virgineæque Domus imitamine necti.
Vidi ego luce vmbras, noctemque fugare doloris,
Et blandâ mulcere animos aſpergine roris.

In ipſis S. Sacelli veſtigijs conſimilis Aedes B. Virgini excitatur, quę ſimul poſteris tantæ rei monumentum foret, ſimul ipſis tam grauis damni ſolatiū. Turſ. l. 1. c. 5.

Hæc dicente, poli læuum tonuere; nouæque
Culmina flamma domus viſa eſt allambere; laurus
Orta repentè lares feſtis abſcondere ramis,
Et iuga Laureti ſignare virentibus vmbris.
His dictis placati animi, veſtigia primæ
Sedis adorarunt. Aſt auris ocyor, auras
Sulcat Amor pennis, ſequiturque fugacia Tecta;
Munereque expleto, ſocios, niueamque Parentem,
Candidulâ rurſus velatus nube reuiſit.
Quem virgo vt vidit properis accedere pennis:
Anne, ait, vlla quies te ſiſtere poſſit? an ignis
Torpeat, & ventus? ſi diceris ignis, & aura,
Vade iterum, faber omnipotens: pete clauſtra Pelori;
Atque Laris ſpeciem, qui diuidit aëra, motu
Meſſanæ molire iugo: nam paruula ſemper

Laurus nata noui Templi ante fores. poet.

Redit Amor ad Virginem, pompaque Domus peregrinæ ſe reddit.

Amor à B. Virgine rurſus Meſſanā mittitur ad fabricam Templi, quæ Nazarenæ Domus idea eſſet, & forma.

 Ar-

Hoc templum B Virg. in mõte Caperrano indicio columbæ conditum eſt ea circa tẽpora, quibus Nazarena Domus ferebatur in Italiã Melch. Inch. c. vlt. de Epiſt. B. Mariæ ad Meſſan. ex Ioſepho Bomfilio Meſſanæ ſeruatur epiſtola à B. Virgine conſcripta, in qua ſuam ciuitati tutelam promittit. de hac Inchoſ. &c.

Amor Meſſanam petit.

Inde lucum D. Gabrieli ſacrum.

Hunc habitabat Nicolaus moribus angelicis heremita B. V. Eremitã alloquitur.

Artis opus magnum præcedit forma. Tonantis
Condita prodigijs Domus eſt: imitare; nouiſque
Prodigijs noua Templa loca. Volat illa: volatu
Hæc deſcribe. Subit Regna Itala: Templa propinquũ
Italiæ caput obijciant. candore columba
Me, mea ſignat auis: ſub imagine Templa columbæ
Vrbe meâ ſignabis Amor, quæ dulciùs vndat
Noſtris vberibus, tumidis exuberet vndis
Quàm medijs impoſta fretis. Huic pignus amoris
Et patrocinium, Mundi tutela, niuali
Codice deſcribo, rutilis quem lactea cæli,
Obſignata aſtris, miratur ſemita, & ardet
Inuidiâ mage, quàm ſtellis. Hæc illa. iubenti
Paret Amor, Siculumque alas obliquat in æquor,
Et Mamertinis aduertitur ales arenis.

Lucus erat, lucoque iugum coniunxerat vmbras,
Vertice ſublimi quas in ſubiecta ſerebat
Arbuta. Sed Pietas obſcuro clara theatro
Inſtar Solis erat: Gabrieli collis, & arbor
Nam ſacra vernabat. Michaëlis nomine ſilua
Haud aliter Gargana viget, tenebraſque ſerenat.
Lux opulenta loci, ſoboles & candida lucis,
Nicoleos vmbras nemoris fulgore colebas
Virtutum, ſine mole animas, ſine corpore mentes,
Atque ipſum referens Gabrielis robur in arma.
Militiam Ditis, ieiuno pallidus ore,
Fortior aſt animo ſuperas; atque imbre cruoris,
Eliciunt quem flagra tibi, demergis & vris.

Dulces hic ſomno curas dum fortè rigabat
Optatæ gremio telluris; Virginis audit
Per frondes hunc ire ſonum, vocemque: Penates,
Ipſa meos dum læta ſequor, diuerto viarum

E re-

E regione, meamque Vrbem breuis incola viſo.
Conde mihi Hoſpitium. Diuina Domuncula, cāpos
Quæ mecum ſecat aëreos, fuit hoſpita quondam
Aligeri, cui ſacra viret tua ſiluula: reddat
Aliger hoſpitium. Cælo quæ lapſa, ſalutem,
Quæque Deum vexit, pennâ aurigante, Columba,
Illius ad voces, in Templum Numinis, aluum
Vertit ibi noſtram: mihi nunc eademque volatu
Templa locat. dixit, radijſque abſcondita ceſſit.
Nicoleos, lux prima diem mortalibus ægris
Vt retulit populi turbas, Patrumque Senatum
Iuſſa docet. Quæ fortè aderat ſed fœmina, pœnæ
Non præſaga ſuæ, putat hæc inſomnia vatis,
Illuditque viro. Tunc robore caſſa dederunt
Brachia Vaticino robur: nam torpida membris
Protinus areſcunt. Gemuit miſeranda, nemuſque
Queſtubus impleuit; donec cum torque nitorum
Venit ab Æthereis argentea turribus Ales.
Vincebat candore niues, & lumine lucem;
Portabatque diem roſtro, penniſque ſalutem.
Artubus è niueis ſplendorum depluit imber;
Et Solem obſcurat tempeſtas flammea: ſæuos
Ala fugat ventos, rutilas agitata per auras;
Motibus & Zephyros diuini ſuſcitat horti.
Gaudia, delicias, vnguentaque rorat odora.
Turribus, allectæ, Siculis venere columbæ,
Et lætæ dominam gemitu plaudente ſalutant.
Aſt vpupæ, quotquot luco, cuculique latebant,
Bubones, vlulæque, ſtriges, inimicaque lucis
Noctua. diffugiunt. Milui volitare columbas
Vt videre procul, montemque obnubere pennis,
Approperant, fraudeſq; parant. Timuere columbæ.

In Cellam Nazar. columba S. Spiritus lapſa eſt, vt in Templum aluum Virginis deſignaret.
Nicolaus B. Virginis mādata refert.
A matrona deridetur, cui brachia ſtatim ſiccantur in pœnam. Inchof. vbi ſ.
Coram populo apparet colūba radijs coronata. Id.
Sanitas in pennis eius.
Columbæ odoratis vnguentis ſolent alliei.
Plurimæ veniunt allectæ.
Rapaces aues fugantur, & vlulantur diuinæ Colūbæ luce.

Sed Regina Columba, faces iaculata, latrones
Expoliat plumis, torretque, fugatque, ruitque
Aere præcipites. Populi ſed dulciùs igne

Amor ſub ſpecie Columbæ bellator, & architectus.

Corda rapit ſpectantis Amor; dum fingitur ales,
Subdolus arte, ſuas pro pennis ille ſagittas
Aptarat Volucri: cum pennis tela volabant.

Iris in collo Columbæ.

Illius ala arcus, dum ſuda monebat, agebat

Columba deſignat volatu Templum.

Ignea tela: adductus erat per cornua neruus
Pacis amica iris, Volucris pellucida collo.
Hac ſe dum pompâ librauit ab Æthere Templum

Arida fœminæ brachia ſanat. Inchof.

Definire parat diuina Magiſtra volatu.
Ac priùs, artificem veluti meditata laborem,

Interiectis in volatu morulis aras deſignat, & maiori luce conueſtit deſtinata fabricandis aris loca.

Se tenet immotam pennis: mox deuolat. Alas
Iamque agit in gyrum; ſignatur & area motu.
Dum volat in partem, quà fœmina brachia tollit
Arida cum gemitu; Volucris ros depluit alis:
Illico & attactu viruerunt brachia roris.
Hæret Auis venerata ſolum, quà deſtinat aras
Surgere, & ingenti radiorum hoc alluit imbre;

Aræ maioris ſolum luce obruit.

Ruſsus & vrget iter. Sed vbi ſimulacra Parentis
Virginis in medio iubet eſſe extantia Templo,

Cecidit ignis, aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. Reg. 3. c.28.

Flumina flammarum prorumpit ab ore, ſolumque
Obruit; altariſque locum maioris adumbrat
Luminis eluuione. Ruens ſic æthere flamma
Torrentes abſumit aquas, fitque ipſa per aram
Flammiuomus torrēs, calidis quàm fluctibus ambit,

Amor, deſcripto Templo, & numiſmatis in medium proiectis ad fundamenta, redit ad Pacē.

Eliâ paſcente ſuis incendia votis.
Omnia ſed poſtquam deſcripſit luce Columba,
Proijcit in medium cum Virginis icone bullas,
Et Lauretano ſignata nomiſmata Templo.
Mox abit, & nebulâ tegitur: ſocia agmina quærit;
Virginis & ſequitur profugos cum Pace Penates.

His

His monſtris edocta, noui, fundamina Templi
Tota fluens Meſſana locat. Iam dente redemptor
Percutit ærato glebas. Conſtantia primum
Deuibrat in foſſas lapidem Regina profundas.
Dux & apex alijs ſacri fit fœmina cultus,
Præit & exemplo; fundamentumque perenne,
Quod Lauretanæ ſtatuet conſtantia Sedi,
Nomine portendit. Patres in Tartara nummos
Virgine cælatos iaciunt. Sic ponere Templi
Fundamenta ſolet Pietas. non erigit aurum;
Sed premit obſequio Superûm, Superûmq; Parentis.
Nazarei vt ſenſit Phlegeton vicina Cubilis
Signa inſculpta, pauet: leuis Icon preſſit Auernum:
Ditem foſſa fodit: tellus diducta cauernis
Immortale aperit buſtum, Barathrumque recludit,
Vulnerat, & lacerat, Maneſque euiſcerat omnes;
Dum iacet, vt ſurgat diuinæ Matris in arces.
Tale rudimentum Templi: hoc fundamine creuit;
Et pede tellurem pulſauit, vertice nubes.
Iam Domus Adriacis incumbens fluctibus ibat,
Bis pelagi dimenſa ſinus, propiuſque flagrantem
Italiam bellis, mediâ ſpectabat ab vnda.
Nunc age quæ rabies tantos accenderit æſtus;
Ciuiliſque furor, ſæuique licentia ferri,
Fœderibus ruptis, totum cur polluit Orbem,
Expediam. Pax alma faue, quæ prælia ſolo
Aſpectu dirimis, multos accenſa per annos.

Conſtantia Imperatrix primum loean do templo lapidem iecit. Incof. vbi ſ. Reginæ nomē omen eſt conſtantiæ, quæ ſtabit in Piceno S. Domus.

Calefie hoc donum miræ opportunitate tranſmiſſum Italiæ eſt anno 1294. qua tempeſtate Guelphorum Ghibellinorūque factionib' diuiſa, bellis pluſquam ciuilibus tota flagrabat. Turſ. l. 1. c. 6. H l. a.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XIX.

ARGVMENTVM.

Ad factiones Guelphorum, & Ghibellinorum comprimendas Italiam S.Domus ingreditur. Huius cauſa belli Diſcordia. Hæc à Chriſto reſurgente in Tartarum pulſa: à Tyrannis ſubinde reuocata, tandem Henrici IV. (vel vt alij numerant III.) ſedem fixit in Regno. Per hunc eiuſq; filios tam graue bellum accendit, primùm in Germanos; mox in Pontifices; denique in omnes. Belli ſemen colubri ſanies, qui Euam ad pomum diſcordiarum allexit.

Belli cauſæ.

E vulnere Luciferi à Michaële vulnerati Bellum natum, & Diſcordia.

Diſcordia domus, mores, & vultus.

Eius ſatellitium.

POſtquam Luciferi ruit irreparabile vulgus,
Vulnera acerba gerens, haſtâ Michaëlis inuſta;
Vno vulneribus Bellum, & Diſcordia partu
Erupere; lues nutriuit & vna gemellos,
Vna domus fouit. Concretis grandine ſaxis,
Atque ruinoſis malè fulta palatia nimbis,
Aëre ſurgebant vacuo, ſoliumque tegebant
Reginæ fœdæ nubes, nebulæque minaces.
Tempeſtas lateris cuſtos haſtata triſulcis
Fulminibus; pauor excubitor, vigileſque procellæ
Circumaderant. Dominam famulata tonitrua triſti
Voce ſalutabant: ferali luce cometæ
Eius erant oculi; vultus ferrugo venuſtas;
Sanguis erant flammæ; nulloque plicabile nexu
Corpus erat: malas caligine pinxerat horror:
Nubila bina ſupercilium; coma ſpicula & enſes;
Frons rugis inarata; coagula labra cruoris;

Vi-

Digitized by Google

Viperei dentes; dirum & variabile ſemper
Pectus, & in vario tria pectore corda latebant;
Auraque vitalis, Boreas, & turbo; calorque
Ira erat; & multas ſpirabat in aëre cædes.
Sçpiùs hinc terras, rumpens ſerpentibus auras,
Cum fratre inuaſit ſcelerum fax, arbitra mortis.
Aligerûm è caſu generata, memorque cadentum,
Indultura ſibi, communes mente ruinas
Sæua, ferox meditatur: agit per crimina mentem:
Aduocat huc omnes conatus; aduocat artes.
Hæc aggreſſa priùs generis mala Germina noſtri,
Fraudibus eripuit tranquillæ pacis ab hortis;
Ereptoſque, atris immiſcuit impia curis.
Nec viciſſe ſemel ſatis eſt: ſua caſtra Caini
Corde locat: fratris ſpumantem ſanguine fratrem
Armat in exemplum populorum. Hinc orta libido
Regnandi, & venas fraternaque membra cucurrit.
Publica priuatis intexuit arma: nec armis
Oppida, ſed totum pulſauit & eruit Orbem.
Ingenium lethale acuit; docuitque Tubalcam
Condere tela neceſque manu, Belumque, Ninumque
Cum populis totum trahere in certamina Mundum.
Medos, Aſſyrios, Perſas in bella, Latinos
Impulit. In gelidum rabies effunditur æquor:
Vnitaſque mari terras Diſcordia ferro
Diuidit. Abruptis pugnantum in vulnera venis,
Oſſa minutatim Mundi, fortiſſima Regna
Diſſiliunt: & membra vrbes, & pectora Reges
Diſſidijs lacerantur. agit Bellona flagellum,
Et lacerat: multâ laxantur mole ruentum
Tartara, tellurisque tumultibus inuidet Orcus.
Sic miſeris dominata diù Diſcordia terris,

De-

Ex inferis erumpens, ſæpè terras aggreditur, & perturbat.

Adultæ diſcordiæ gradus, & proceſſus.

Primus faber armorum.

Primi bellorũ auctores, & turbines.

Diſcordiæ mala.

Maris nexus abruptus.

Conuulſa Mũdi membra.

Diſcordia cruce victa.

Denique victa loco ceſſit; dum in funere Victor
Geſſit, non ferro, ſed ligno prælia Numen.

Ab aëre pulſa ſub terram, quando Chriſtus in Cruce in aërem manus extendit.

Cauſa terræmotus in Chriſti morte Diſcordiæ caſus ex aëre præcipitatæ.

Aëris errones Bellum & Diſcordia flammas
Inter fulmineas aderant, ſtipantibus Euris,
Imbrifero vallante latus cum turbine nimbo,
Extulit ecce Deus fixas Crucis arbore palmas
Aëris in regnum. rubuerunt fulmina ab imbre
Sanguineo: baliſta fuit validiſſima clauus:
Brachia quaſſarunt auras: matremque Furoris
Præcipitem in terras reſupinauere; grauique
Intremuit motu tellus. Diſcordia caſu
Fregit humũ, lapideſque; & montis hiantibus antris,
Delituit cum fratre ſoror; rurſuſque parare
Sub tumulo cœpit per cæca ſilentia fraudes.

Anima Chriſti deſcendens ad inferos Diſcordiam latẽtem, ac timentem reperit in cauerna.

At quibus Omnipotẽs duo mõſtra fugauerat vlnis
E cæli ditione, Orbem complexus amore,
Huic ſtabilem peperit reſerato è pectore Pacem.
Mox inclinatâ, qua ſubleuat omnia, fronte,
In mortem clauſit pia lumina, telaque iecit
In Mortem clauſis oculis, quibus illa perempta eſt.
Nec ſatis: in terræ latebras ſe ſpiritus infert,
Antraque operta ſubit rutilans fulgoribus. irâ
Feruidus vltrici, diductis vndique ſaxis,
Limina pertentat Mortis. Diſcordia, bello
Iuncta, ſub occulto latitabat pumice, & antrum
Obice munierat lapidum. Tremit illa, labantque
Impoſitæ rupes; rimiſque patentibus, omnis
Cernitur emiſſis Caluaria feruere flammis.

Chriſtus Diſcordiam, & Bellum peccati filios luce ferit, & voce.

Ecce Deus flammis aderat melioribus: hoſtes
Lumine rimatur vultus. patuere per vmbras.
Iam deprenſa fugit Diſcordia: iam ſibi Bellum,
Germanæque timet. media in caligine anhelant:

In-

Inſtat at igne Deus: fugientes vulnerat ore,
Atque ait:In Stygias deſcendite,monſtra,cauernas.
Vicimus; & terris peperit Victoria pacem.
Tartareas agitate domos, & Regna tumultu:
Inſerite his aruis bellorum ſemina: auaris
Agricolæ votis reſpondent frugibus arua.
Hic odia in fratres; in natos matribus iræ;
In matres natis creſcunt; populiſque ſimultas
In Reges; Regum in populos, in Numen, in ipſa
Viſcera, quæ morſu vellunt diuulſa perenni.

Migrare iubet in Tartara hac lege, vt non diſcedã: niſi ab hominibus vltrò vocentur.

Iungite vos veſtræ, ſoboles inuiſa, parenti.
Veſtra parens, ò monſtra, Erebi vos vbere paſcat:
Veſtra parens ſi culpa fuit: ne linquite Matrem.
Hæc Stygis inceſtat ſedes, gentemque nocentem
Nutrit inutilibus lacrymis, rabidoque veneno.
Parcite iam terris, Pacis quas vbera lactant.
Quod ſi mens hominum, pacis pertæſa, vocabit
Vos iterum in terras, Mundumque agitare iubebit;
Diſſimulo. in pœnam parere vocantibus. ite:
Iuſtitiæ ſeruite meæ, quæ crimina punit
Criminibus,cogitque ſequi ſua ſigna vel hoſtes.

Si vocentur; vocantium malo redire permittit in terrã, rurſuſq; diſcedere, ſi ab ijs rurſus pacem poſcentibus expellantur.

Sæpiùs at fugiunt bellum,qui bella vocarunt;
Et mage commendat Martis præſentia pacem.
Si ſcelus admiſſum & belli execrentur amorem;
Ad Stygias cum fratre redi, Diſcordia, rupes.
In terris vaga ſemper eris, fugitiua, fugata.
Figere non poteris Regnum, ſed caſtra mouere;
Atque videre diem, ſemper damnanda tenebris.
Cæca ſequebatur ſic funeris vmbra Cainum,
Obijciens pauidæ ſcelus exitiabile menti.
Incertus fugit ille ſui, ſeſeque fugacem
Et fugit & reperit, vitamque in morte requirit;

Pœna Caini omnia timentis.

Rur-

Rurſus & in vita mortem ; rurſuſque reſurgit,
Quem damnauit, amor cædis . ſe cædere ferro
Apparat : at refugit fera pectora rumpere ferrum.
Se face circumſtat : ſe torquet : ab oſſibus vltor
Emicat ipſe ſuis, tormentaque vitat & haurit,
Fax ſibi, pœna, enſis: lucem veſtigat & odit:
Fata gerit, fatumque pauet ſecurus ab hoſte,
Hoſtis & ipſe ſui. ceu vipera tortilis errat,
Implicat atque ſuis ſua lubrica pectora vinclis.
Tartara dum quærit deſperans, Tartara deſert.
Torretur, patriâ extorris: ſeruatur in iras;
Vt pereat ſemper. Sontes tormenta ſequuntur;
Et mea dum parcit, ſæpè indulgentia plectit.
Hæc te pœna manet, Diſcordia. ſubrue Mundum:
Sparge metus, metus ipſa tibi. Molimina fraudum
In caput ipſa tuum recident. Quare cuncta tumultu:
Vt mage ringaris, ſtrepitu, Diſcordia, belli
Impatiens noſtræ compones otia pacis.
Pax, quam transfixo genui de pectore, in armis
Semper erit, toto quò te diſpellat ab Orbe;
Donec quæ terras obeunt Sol Lunaque gyris

Diſcordia detruſa in Tartarum dolet, ac fremit. Eadem à multis vocata, ſæpè reiecta, denique ab Henrico, diù futura in terris Regina, vocatur ab Inferis

Anxia perpetuis, triſti fuligine, Mundi
Interitum ſignent. Tunc, agmine cincta frequenti
Virtutum, noſtrum repetet virguncula pectus,
Et belli procul à turbis Pax gaudia ducet
Vulneris in roſei prato, quod ſanguine floret.
His Chriſti fremuere minis fraterque ſororque,
Vanaque per terras incendia gutture iactant.
At poſtquam Stygio concoxit in igne furores
Illa diù, & flammas flammis cumulauit Auerni
Cocyti dum fortè iacet prope littus, & vngue
Ora ferit, rabiemque vomit; dum queſtibus implet
Vi-

Vicinumque nemus Maneſque, quòd otia tellus
Pacis amet, nulluſque imploret bella Tyrannus,
Improuiſus adeſt ex aëre nuncius Ales
E grege Luciferi. Magnis clamoribus, inquit,
Henricus te in bella vocat, Diſcordia: perge.
Nunc opus ingenio, nunc viribus. Ille minatur
Pontifici, Latio, Romæ, Mundoque ruinam.
Verbera torquebas quondam: nunc vulnus adactum
In cor erit gladio, non flagro. hinc ſemita in Orbē
Ampla tuis patet inſidijs. Non Hæreſis hydra
Sibilat in Latium, non ſaxea turba Deorum:
Filius in matrem furit; exemplumque ſequetur
Poſteritas. Patris Maieſtas ſacra Latini
Intentata diū, bello tentatur iniquo.
Hoc Duce cūcta licent iā crimina. nam quid inauſū
Martis erit ſceleri, ſi Pacificator ad arma,
Arbiter & Fidei, pacantis cuncta, vocatur!
Nuncius his dictis ſuperas remeauit ad oras,
Fumiferam ſpargens noctem per inania pennis.
His monitis Regina oculos erexit & iras;
Lætitiâque odijſque tumens, proiecta reſumit
Arma faceſque manu; ſeſeque laceſſit; & atro
Littore ſerpentes, ſcelerata recolligit angues.
Clauſtra ſubit, ſocijs habitata furoribus. Intus
Sænit Amor cædis: maculis rubet ore cruentis;
Nudatumque rotat gladium: pro caſſide tigris
Horret in horribili caluaria fronte: lacertos
Pantheræ veſtit ſpolium: per colla ceraſta
Balteus excurrit: repetito verbere terram
Inſtabilis pulſat: ſpumas agit ore cruentas;
Laſſatuſque ſiti, rabido ſe vulnerat ore;
Exprimit & ſaniem ſiccis pro ſanguine membris.

Malus Dæmō ad Diſcordiā nuncius.

Diſcordia lætitia Cocyti ſedentis ad littus.

Surgit, & ingreditur monſtrorum ſibi famulantium in aulam.

Libido Belli.

Sæ-

Sæpiùs exertat linguam, pulmone meatus
Anguſtante: riget; ſuſpirat; pallet; anhelat.
Dolus eiuſque deſcriptio. Vicinâ ſtat ſede Dolus, ſeſeque timere,
Et ſua tela putes: circumſpicit: omnia viſu
Rimatur dubio: turbatur; & igne tenebras
Euomit immixtas, proſpectumque eripit omnem.
Pallidus apparet: mox euaneſcit, & atrâ
Conditur in nebula, nunc induit ora luporum:
Nunc hominum ſimulat vultus; non vnus, & vnus:
Nunc rutilum oſtentat gladium, nunc germina florũ,
Quos in faſciculum facili ligat horrida nexu
Vipera; &, vt viuant, corrupto ſanguine rorat.
Tyrannis, & eius deſcriptio Regnantum ſedet hic etiam Regina Tyrannis,
Harpyiæque alas humeris regalibus aptat.
Pro ſceptro chalybis virgam ſuſtollit: aceruo
Stat capitum ſubnixa, fero quæ meſſuit enſe;
Vt ſolium extrueret ruiturum. purpurat oſtro
Sanguinis: immotos oculos, immotaque frontis
Nubila non vnquam flectit; ſed mente nocenti
Multa mouet, dum multa timet, ſibi lictor, & hoſtis
Alia monſtra: Atque laniſta. Rapina, procax Audacia, Luxus,
Ambitio, Metus, Anxietas, Inſania, Liuor,
Ira, Libido, parens Luctus, Iniuria, Curæ,
Conuenere omnes; fumantque ſedilia monſtris.
Diſcordia, eiuſque concio ad ſocia monſtra. Irruit in medium Diſcordia. nulla furentem
Sella regit, retinetque: gradu lymphata ſuperbo
Dum fertur, ſocias aſpectu territat vmbras:
Denique vox rabiem prodit. Torpetis ad ignem,
Agmina alumna, meum? veſtros Concordia mores
Siccine tranquillat, duce me? dediſcite matrem:
Pellite me Regno; generis ſi opprobria veſtri,
Otia ructatis, vino fumante furoris.

Sci-

Scilicet elapſa eſt animis iniuria noſtris,
Qua Deus aëreâ nos exturbauit ab aula;
Et ſolio Vitam noſtro, Pacemque locauit!
Tempore ab hoc terras, Parthorum more, reuiſi;
Et vidi & fugi: bellorum ſemina ieci;
Sed lolium infelix, & primas meſſuit herbas
Pax inimica; eademque manus quæ meſſuit herbas,
Me, ſegetis ſpe fruſtratam, demerſit Auerno.
Tunc primùm erupi; cum limina rupit Olympi
Ad ſua Regna redux Deus. Acceſſita Tyrannis
Protinus innumeris, & fracto carcere terras
Occupo, conceptumque meo Styga pectore porto.
Vix mihi ſufficio: ſum ſola vocantibus impar;
Totaque per cunctas Diſcordia diuidor oras.
Dilaceror, me quiſque rapit: laniena ſed iſta
Noſtras vnit opes, componit et artubus artus.

Huius in terras vocata ab Inferis excurſiones.

Surda Dei voces quæ non audiuit, Idumem.
Audio. Sollicitas Chriſti poſt funera gentes
Hìc primùm aggredior, furijſque ferocibus armo.
Dentibus in Stephanũ frendunt: lapidumq; procellâ
Dum feriunt, iam ſaxa mouent ex amne furoris.
Exuperat ripas, roſeiſque euoluitur vndis
Tempeſtas, totum mox eruptura per Orbem.
Concrepuere ictus humeris: dat colla ſecuri
Iacobus: ſacro ſaturati ſanguine Diuûm,
In ſua iam vertunt Solymæi viſcera dextras.
Iam certant odijs & ferro; totaque fundo
Terra mihi commiſſa ruit; ſepelitque ſepulchrum
Ipſa ſuum. non ſaxa manent, non ſigna ruinæ.
Aſt ignominiam vili dum puluere celat,
Æternis cælata notis, mea nomina ſeruat.
Nam lapis haud lapidi dum nectitur vllus; in omni,

Et primùm ab Hebrais ad Stephani, Iacobi, aliorumque necem vocatur.

Denique in ciuile bellum, & in ſuam, ſuique regni ruinam.

Non

Diuulſi lapides Diſcordiæ monumenta. Non delenda vnquam, Diſcordia marmore viuo.
Eubocor ecce iterum: compellat Roma: tepentem
Vocatur à Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino, Seuero, Maximino, Decio, Valerio, Aureliano, Diocletiano, & Maximiano ab anno Chriſti 66. vſque ad an. 312. Sanguine linquo Palæſtinam; colubroque recenti,
Ictibus attritum multis, circumligo flagrum.
Vix me Roma capit: noſtrique capacia cordis
Corda, Nero, tantùm præbes, Phlegetontis alumne,
Et Regum Furia, & Furiarum maxime Rector,
E ſerpente ſatus Rex Regulo; amorque Furoris,
Deliciæque Odij, Plutonis imago: nocentum
Filius, & genitor ſcelerum; quique omnia vincis
Crimina criminibus. Mihi tu regalia laxas
Pectora: me matrem poſt funera matris adoptas;
Excipis & ſolio, quod ſanguinis induat oſtrum.
Pax tandem reddita ſub Conſtantino. Induit. Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Nero. Chriſtiadum perit vngue latus: furit ignis in artus:
Nero matrem occidit. Suet. c.35. in vita. Obruit vnda: ſecat gladius: penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix, ignea lampas, & olla.
Martyrum carnificina. Crux cruciat: fuſtes contundunt: guttura funes
Elidunt: vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt: fibræ tractantur; & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. Inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium Feritatis; & ipſa furores
Diſcordia dū vincit, ſe victam profitetur Se pœnis ſuperaſſe ſuos miratur & aſtus.
Sed mihi dū plaudo; dolor ò, dolor improbe, mentē
Frangis adhuc, rabiemque nouas. Pax, corde latebat
Vulnera martyrum pacis latibula. Quæ bellatorum, per vulnera prodijt in nos,
Qua data porta, ruens, & fuſo ſanguine victrix.
Vulneribus ferit illa meis me perfida: ferrum

Fla-

Digitized by Google

Flagra,faces, gladios conuertit in arma triumphi, *Supplicia triumphi.*
Et vexilla; cruces in currus; telaque in alas.
Membra ſinu ſociat; mentes componit in aſtris;
Atque Fide iunctos & morte, innectit amore,
Æthereiſque plagis. gladio me deinde cruento
Verberat, atque fugat. Belli poſt nubila Phœbus,
Conſtantinus adeſt: & dum luſtralibus vndis
Mergitur; in flamma Stygis obruor. Ille flagellum
Ille meum ſceptro frangit; ſolioque Latino
Se firmat, Pacemque ſimul. Quot Templa, tot arces *Conſtantini liberalitas.*
In mea molitur diſcrimina: fluctuat auro,
Tota olim fuſo quæ ſanguine Roma natabat.
Gaudia riſerunt pluuio mea rurſus in aûro; *Auri damna.*
Huius & è flaui tempeſtas luce metalli
In Pacem nigra prorumpit. Generata reuulſis
Montibus hæc terræ ſoboles; ferroque, parentis
Eruta viſceribus, curas & ferrea portat
Secula. lux auri lux fulguris: omnia turbat:
Omnia quæ vincit Pax aurea, perditur auro.
Multa quidem Conſtantini mihi prodiga Virtus
Dāna parit, dum Templa locat, dum ſeminat aurum
In ſata Chriſtiadum, Namq; hinc Regina per Orbem
Maieſtas Fidei, Regum populata rapinis, *Conſtantini M. in Eccleſiam beneficia.*
Pullulat: in viduos ſacris cultoribus agros
Pontifices redeunt: fractâ iam nube Sacerdos,
Crine rotans triplici magnum è diademate fulgur,
Sole ſedet medio: Reges ad ſceptra Quirinæ *Aurum in malis è malo vſu malum, veluti bonum ſemen in vitiato ſolo degenerat.*
Iam caput inclinant Fidei. Tamen ardet eodem
Ex auro lis & bellum: nam prona parandis
Mens humana opibus, quærit dum multa voratque;
Morbida vis ſaturo creſcit, febriſque furoris.
Hinc variæ erumpunt peſtes. Vtque arbuta ſæpè,

Quæ fuerant ſecunda, ſolo vitiantur iniquo:
Vt frumenta ſeris, ſteriles naſcuntur auenæ;
Degenerauit agris Romæ, ſic Principis aurum,
Et ſcintillarunt auri cum fulgure bella
E ruptâ fornace Erebi, calidiſque caminis.
Accepi belli ſonitum: vox reddita: prodi:
Euocat Arrius: caueis Diſcordia prodi.
Prodeo: rurſus agor furijs: ago Regna furore.
Vincor ab Arrio: mê ſæuior ille tumultus

Arrius, & eius ſcelera,

Excitat. hoc ductore, mea eſt Victoria, vinci.
Nulla mihi proles illuſtrior: hac face prægnans,
Inſultare Deo tædis, Superiſque videbar;
Grandia per cunctas incendia ſpargere terras;
Mille ſinu vectare angues, atque agmina mille,
Peſtes, bella, neces, & Tartara mille, Dracones,
Cerbereoſque canes; cum ſcylla ferre Charybdim;
Cum Veſeuo Ætnam; Furias cum Dite; procellas
Cum pelago, monſtriſq; maris; cum grandine ventos.

Arrius diſcordiæ filius. Ab eunucho ſterili propagatus Arrianiſmus, ideò negat fecunditatem in Deo Patre, æqualem ſibi filium generante.

Nate, parentis honor, matrique ſimillime Nate,
Cordis, nate, calor, turbo quem temperat iræ,
Nulla tuos auſus æquabit gloria. terras
An non abſcindes, ſi Numen diuidit, oris
Vis inuicta tui? Naturam Numinis vnam
Eſſe negas; laceraſque Deum. Te, nate, volentem
Proſequor: arma fero, mediâ quæ figere in aula,
Eunucho dominante, potes; qui corporis igne
Sedibus exhauſto geminis, patriſque peroſus
Nomina, Tartareis ſuffecit ab ignibus ignem,
Quem rapuit Natura. fouet, quo ferueat, Orcum
Incluſum ſectis in torpida frigora neruis.
Dum ſterili calet igne; caret dum prole, Parentis
Pignora diuini, ſemper fecunda calore,

Am-

Amplexuque vno ſpirantia Numen Amoris ,
Maſcula temnit anus , feralique inuida viſu
Faſcinat ; & ſterilis ſterilem ſibi fingit Amorem.
Concubitu fecunde meo at non prole carebas ,
Semiuir Imperio digne, & me coniuge coniux.
Crimina naſcuntur , bellorum è ſemine ; cædes,
Inſidiæ , fuga Virtutum . Sine morte ſepultus
Viuit, & eloquij viuas Athanaſius vndas
Colligit in puteo , flammas extinguere noſtras
Auſus inerrantes, quà ſerpit fluctibus æquor.
Exul ad ignotas Chryſoſtomus errat arenas ;
Quærit vt aurato Pactolus gurgite littus .
Hinc iterum Donatiſtas enitor : ab aluo
Parturio grauidâ Manichæos : Africa monſtris
Fertilis eſt noſtris , & pullulat hydra colubris.
Huſſitas , Albigenſes , ſacræ iconis hoſtes,
Felices , Elipandos , & mille profundo
Monſtra ſinu , natiſque meis diſcerpitur Orbis.
At quid in hac ſcelerum ſceleratum Neſtora turbâ
Præterij ? dignus qui viuere Neſtoris annos ,
Sub Phlegetonte annos ſuperabit Neſtoris. Ignis
Victima hic æterni veſtalem Ditis ad aram
Myſta erit & cuſtos virguncula ; Virginis hoſtis,
Numinis afflatu genitum de Virgine Numen
Dum negat,immixtumq;homini ſine matre fatetur.
Dum pæana cano ; fractis Regina catenis ,
Dum Superis inſulto minax ; mihi noxia, Patres ,
Sidera Chriſtiadum,docto coiere ſenatu .
Membra reuulſa loco redeunt : bis quattuor aſtat
Concilijs Romana Fides : ſedet arbitra cœtus
Pax & Relligio : dicit Sapientia leges :
Abſcidit Hæreſeos linguas , atque obſtruit ora .

Eloquentiſs. Athanaſius diu latuit in puteo. Miratus eſt Orbis ſe Arrianum eſſe. Aureus Chriſoſtom. exul.

Neſtorius negabat Deũ & hominem in vtero Virginis Spiritu Sancto fuiſſe conceptum,ſed poſtea Deum homini fuiſſe permixtum. S Aug.de hæreſib.

8.concilia.

Quiſquis vera petit, repetitque oracula veri:
Quæ dubios ſtringunt animos, Sapientia ſoluit:
Detegit inſidias: Patrum iubet ante tribunal
Stare duces ſcelerum. Iam vaticana coruſcant
Fulmina; iam feriunt. Ferior cum prole: trophæis
Heu tumulata meis, Cocyto inuoluor, & iras
In fœdos deſpumo lacus, cumuloque procellas.
Ac velut in Stygijs mors eſt non mortua regnis.
Viua ſed emoritur ſemper, ſed mortua viuit;
Sic ego lethæâ lethum, vitamque palude
Haurio: inextinctas extincta renaſcor ad iras.
 Euocor. Henricus, tranquillæ turbo quietis,
Euocat. Hic laſſat bellorum pondere Martem.
Sexaginta manu bellator prælia geſſit;
Et nunquam victo ceſſit victoria retro.
Principis inuictâ modò terras vertere dextrâ
Eſt animus, pacemque fibris euellere ab imis,
Omniaque æterno conſumere ſecula bello.
Antra valete Erebi; terris Diſcordia regnat,
Non reditura; traham doneo mecum omnia, terras,
Aligeros, homines, ipſo cum Numine, cælum.
Magnum opus aggredior. Qua ſit ratione mouendũ,
Conſulite in medium, Stygis agmina: me rapit ardor,
Diſturbatque ſuâ mentem de ſede: furentem
Ducite conſilijs. Quæ maturare laboras
Robore, maturanda diù ſunt mente: nec errat
Ille ſemel, qui bella ſemel malè cœpta, malignis
Promouet auſpicijs. ſemper peccatur in vno
Crimine, quo iacitur non mobilis alea belli.
 Seditione potens tunc regni dira Libido
Surgit; & indocili quaſſans ceruice coronam:
Non, inquit, Dea, conſilijs, ſed pectore, & aſtu.

Diſcordia vocatur ab Henrico 4. dicto à nonnul. 3.

Sub hoc orta Guelph. & Ghibell. factiones. Tarcag. p. 2. l. 12.

Ab hoc exiliũ matris. ſchiſmata in Eccl. Pont. calamitas nata...

In hunc anathemata, exilia, egeſtas, filiorum bella, iactura vitæ, Imperij & ſepulchri conſpirarunt. Obijt an. 1106 Imp. 50. poſt 62. prælia feliciter geſta. Sigon. de regno Ital. l. 9.

Monſtra de bello Guelph. Ghibellinoque mouendo deliberant.

Ambitionis Sententia.

Eſt

Eſt opus. ad fraudes ſi tempore poſſumus vti,
Protinus vtamur. fugit irreuocabile tempus.
Non vno Henricus Regno contentus, in aula
Se Mundi iactare cupit: liuetque, quòd armis
Ætheris infractos nequeat perrumpere poſtes.
Fœtum ſæuitie, plenumque cupidine lucri
Non Tagus, aut Hermus, non exaturaret Erythra,
Ingenium, geniumque viri ſequor ipſa: calenti
Addo faces, furiaſque meas: hoc igne flagrabunt
Cætera Regna. Dolus tunc longa ſilentia ſoluit. *Doli Sententia.*
Non ſatis eſt latè Reges committere bello:
Sed pulſare iuuat populos hoc turbine. Flamma,
Quæ furit in cedros ſiluaſque, extinguitur; at quæ *Reges ambitio, populum cupido belli mouet ad bellum.*
Mittitur in ſegetes, calami leuitate, Notoque
Se premit, & premitur, ſe ventilat, vrget, & auget;
Donec victa, ſedet cinerum irrequieta ſepulchro.
Regi ſola placet bellorum cauſa; ſed ipſum
Eſt populo bellum bellandi cauſa: cruentam
Hic amat in pugna pugnam: fuſique voluptas *Quæ ſi reſtinguitur facilè recaleſcit ſpe lucri & libertatis.*
Sanguinis expletur nunquam; ſed ſanguine creſcit.
Magna mouent Reges: animos prudentia Regum
Tardat, & exterret: vani ſed murmuris aura
Sollicitat vulgus; vulgo nam prælia proſunt.
Quem pax lege ligat, pœnæque timore coërcet,
Soluit obæratum veſana licentia Martis.
Ergo, ne ſiccos vnquam vagina cruore
Nuda enſes renuat, populum cum Rege laceſſam,
Et face corripiam noſtrâ: qua fraude? docebo.
Septimus impoſito Mundi ſub pondere ſudat *Gregorius VII. eccleſ. libertatis cõtra Henricum aſſertor, qui ſanctè obijt an. 1085.*
Gregorius; clauesque gerit, clauamque, ſuperbi
Qua Ditis caput obtundit. Mortale veretur
Ille nihil, dominuſque ſui dominatur Olympo:

Immotus ſua Regna mouet; Regeſque lupatis
Frenat amicitiæ; iuſtâ vel fulminat irâ.
Non Vaticanis hic ſeminat otia campis;
Non gemmas, aurique metit flauentis ariſtas;
Sed gemitus. mediâ curarum in mole vacantem
Nulla dies vidit; Petri qui miſſus in aulam,
Hanc ſubitò Aſtrææ reducis mutauit in arcem.
Ille animo Reges, non ferro vincit: honores
Dum contemnit, habet: Reges, non Regna requirit.
Pauper opum, recludit opes: ſine milite cælum
Armat; nec gladio, ſed clauibus arma miniſtrat.
Sanctior eſt Proteus; Pater eſt, atque arbiter; hoſtis;
Defenſor, cuſtos, amor, & formido Potentum.
Aſt odium ſit hic Henrici; ſit origo malorum.
Huius in exitium iungat Germania vires.
Cum Duce conſpiret populi pars. altera mores,
Et ſcelus indignata Ducis, meliore ſequatur
Pontificem causâ. Pelagum ceu permeat Iſthmus,
Et ſecat in partes, hinc inde furentibus vndis;
Et fluctu refluente, negat confundere lymphas;
Sic poſita in medio, Diſcordia, diuide Mundum:
Nec conferre animos, aſt arma, neceſque labora.
Alba ſuperuolitans Latij ſuper ora Parentis
Non me terret Auis; quæ lumine vecta ſereno
Gregorium Imperio deſignat; & iride lucis
Clarat, quem tremulis vmbrat perterrita pennis.
Dux Erebi ſperare iubet; meque omine firmat.
Henrico Regina grauis, dum pondere menſes
Ægra ſui traheret monſtri; ſopita recluſis
Fundere viſceribus tetrum ſibi viſa draconem.
Agnes augurium turbata ter expuit: aluum
Horruit ipſa ſuam; ſeque horruit. Hæccine, dixit,
Mon-

Corpus repertum fermè incorruptum an. 1575 Ciac. Obÿt in hæc verba. Dilexi iuſtitiam, & odiui iniquitatem, ideo morior in exilio. Id.

Pontificatum constantiſſimè recuſauit Ciaccon. Bar. & alÿ.

Sacrificanti Gregorio aſtitit ſuper arã cum aureo gutture Columba. mox ad Pont. aduolauit, & expanſis alis vtrumque humerum protexit. Sic perſtitit vſque ad commixtionem corporis & ſang. in Calice. Hinc ad altare deſcendit, & caput blandè ſuper hoſtiam flexit. Leo Oſtien. l. 3. c. 53.

Monſtra nefaſta gero ! felix, enixa Nerones
Agrippina: ferens vterum Poppæa , Neronis
Vulnere aborta,ſimulque animā cū prole profundēs,
Sorte tua felix ! Te mater abominor , Anguis,
Sanguine paſte meo : me mater abominor , angue,
Sed non prole meâ , fecunda . Intorqueat æther
Fulmina : vel prolem, vel me ſine prole nocentem
Dilaceret, parcunt ſi fulmina ; nate , parentem
Tu diſcerpe . ſolent colubri diſcerpere matres,
Quærere cæde diem , vitæque rependere lethum.
Viue,Agnes,moritura diù:Draco viuit,& hauſtas
Ex Acheronte vndas in terras egeret omnes.
Infelix fuge mater : hiant tria guttura monſtri :
Te ſequitur,mortemque parat. fuge mater ad Orcū:
Mitior Orcus erit . debent tibi Tartara , prolem
Principe quæ dignam tenebrarum,lucis in auras
Promis , vt Auſonium maculet caligine Solem .
Vrbem quid Colubro quæris terrente Quirinam ?
Candida Pontificis ſedit quæ fronte Columba ,
Proteget haud pennis, dum te tuus alligat hydrus .
Ex vtero in memorem verte omina triſtia mentem.
Pennigeram ſequitur Draco penniger ore columbā,
Fata luemque vomens: fugientem euiſcerat anguis:
Tabificoque vtero mergit . nil ergo timendum :
Gregorij , à colubro malè tuta vorabitur ales :
Vxor,& infelix Genitrix erit eſca Draconis .
Quid fugis,Adelais,non digna hoc coniuge coniux?
Sollicitas fruſtra curſum Methildis ad vlnas ,
En plicat amplexus in noxia vincula ſerpens :
En tenet errantem . Quid votis aſtra fatigas ?
Tartara quid frangis ? curis te Tartara frangent ,
Submittentque vno Furias in coniuge centum .

Agnes eum filium ad obedientiam Gregorij Pontificis conaretur inflectere, repulſa à filio eſt, & Romæ obijt præ dolore Baron. & alij.

Henricus coniugem Adelaidem ſtuprādam Corrado filio proſtituit. E carcere illa fugit in Italiam ad Mathildem.

Hic te proſtituet pulſam, natoque iugandam ;
Texet & inuicto diſcrimina mille pudori.
Auerſare ſcelus : monſtrum fuge : denique lethum
Inuenies inter miſeræ faſtidia vitæ.
Pergite ſerpentis mala pignora ; pergite, Nati
Viperei, rabidos Genitori infigere morſus.
Henricum ſcelerum regem, Corrade, parentem

Corradus regnum aduerſus patrem ſuſcepit in Lombardia.

Regno pelle procul. iungat diſcordia fratres
In patris exitium. ſic fœderat ira moloſſos
In proprium genus horrificos. hic improbus hæret
Morſibus ; ille ferox patulo ciet ore latratus ;

Hic an. 1099. regnum Germaniæ iratus Henrico minori filio deſtinauit.

Immiſcent furias, atque oribus ora cruentant.
Corradum minor Henricus, ſed crimine maior,
Par patri ſoboles vitijs, & nomine, vincet.
Herculis haud tædas hæc hydra timebit, at Orbem
Perfida funereis tædis accendet Auerni.

Henricus ad amnē Regin. partē prælio victū ſpoliauit inſignib. Imp. Sig. l. 16 Eccleſiæ iura & Romam inuaſit. Paſqualem & Card. in D. Petri templo nudatos ornam. detruſit in carcerē. incendit partem Vrbis. Sigon.

Medeâ lactante, nouus Nero creſcit, vt ignem
Iactet ſeptenas Romæ regnantis in arces.
Me duce, & Henrici ferro, quæ ſanguine Diuûm
Vrbs inimica mihi fumabat, ſanguine fumet,
Eumenidum rable qui ferueat. Ignis anhelat
Non fornacis adhuc noſtræ? torpetis in antro
Artifices Furiæ? flammâ ſtridente, catenas,
Ite citæ, fabricate : alios auferte labores :
Henrico ſeruite, Petri qui victor ad arcem
Vinciet Auſoniæ Patrem, qui vincula ſoluit.
Ille Sacerdotum poſcet ſibi iura profanus.
Paſtoreſque creare lupus, dum deuorat agnos,
In decus audebit noſtrum; baculumque tenebit,
Et ſceptrum, populi Princeps, & Myſta: ſub haſta
Chriſti vendet opes, ſcelerum licitator, & auctor.
Hinc rerum nutabit apex : hinc bella parente

Fi-

Filius orta ſuo, terrâ trepidante, ſequetur.
Quæ ſemel incaluit, nullo deferbuit æuo
Ambitio, ſi Regna voret; ſi glutiat Orbem,
Eſurit, atque ſitit; nec fletu extinguitur vllo.
Ergo Dolus verſabo dolos. Noua bella ferentur,
Quæ calidis creſcant odijs, atque horrea rumpant.
Teutones atque Itali, ſementi ſternite campos,
Non raſtro domitos, ſed ferro. Age dira Megæra,
Cordis alumna mei; furiales excipe partus,
Quos ego parturio. Strident vbi limina Ditis,
Excubat, & cæco recubans dormitat in antro,
Prima virûm, tabo qui germina polluit, Anguis;
Felix, heu nimiùm felix, niſi Numen ouantem
Stringeret æternis, deuictâ morte, catenis.
Irrequieta quies colubro eſt; animataque membris
Vincula contorquet, dum ferrea vincla recuſat.
Fuſus humi, ſpumas è gutture iactat hianti,
Exudatque atrum, caueâ ſtagnante, venenum.
Accelera; geminaſque vrnas hoc ſemine mortis,
Et ſucco ſcelerum reple. draco bella Draconis
Seminet Henrici. Bello tentare Tonantem
Si nequit ille; Dei qui ſceptra Vicaria geſtat,
Ah pereat: Charitum ſi pratis vicit Adamum,
Inuiſi patrem generis; Draco peſte Parentem
Gregorium exuperet, qui Romam, Numinis hortū,
Mente colit, ſudore rigat, ſplendoribus ornat.
Inde iræ, fratrumque neces: hinc rurſus Erynnis
Sæuiat in fratres, Mundumque vaporet Auerno.
At nunc diſce modum, creſcat quo ſtragis aceruis
Pinguior, & ſcelerum cumulet Stygis horrea meſſis.

Turbida ſæpè odijs Henrico bina ſub armis
Sunt caſtella; vocant ciues cognomine Guelfum,

ped. 60.m. equit. 20. m. Italiam inundauit. Baronius & alij.

Ambitio ſcaturigo bellorum inexhauſta.

Dolus iubet Megaram phialam implere lue ſerpentis illius, qui Adamum & Aeuam allexit ad ſcelus, & qui nunc Stygio cubat in antro à Chriſto victore ligatus.

Henricus Draco.

Roma mundi hortus

Geminum in Germania Caſtellum Guelphum & Ghibellinū in Io. Villan. lib. 5. c. 32.

Ad illa ſe conferunt ſub nube monſtra

Atque Ghibellinum. Nos fraudibus apta ſerendis,
Hæc primùm excipiant:hìc germina fundo malorũ.
Pontifici pars vna fauet: pars altera Regi:
Hæc odit Ducis ingenium: Patris illa Latini
Eſt inimica poteſtati. ſtimulemus vtramque,
Sopitumque focis cinerem cieamus in ignem.
Cædis amor, Fidei pugnet laruatus amore;
Induat & iuris non iuſta potentia vultum.
Iam res ipſa vocat: Furiarum caſtra nocentum
Dira moue in campum, Diſcordia: bella, ſorores,
Bella vocate flagris, ſerpentibus, ignibus, ore.
Hæc vbi dicta, Ghibellinam petit improbus arcem
Nube Dolus. Natalitijs exercita ludis,
Ibat fortè dies Henrico prima minori,
Atque anno redeunte redux. prænomina Princeps
Traxerat inde Ghibellinus, ſedemque locarat
Arcis præſidio tutus, ſed gentis amore
Tutior. Arma vrbes, at Reges corda tuentur.
Ille ſuo ſeptus populo, conuiuia luxu
Splendida regali celebrat. Per pocula dirum
Sæpè odium, bellumque natat; Liberque falerno
Liberat os, mentemque ligat: rationis habenas
Aurigæ credit, prodenti clauſa, furori.

Henrici min. Natalis dies recurrebat, qui à Caſtello Ghibellino vbi degebat, Ghibellinus dicebatur. Libertas in vino.

Proximus Henrico Acriſius, qui fortè vorabat,
Non flammis concocta vllis, odia aſpera Regis,
Largus conſilijs, & linguâ: Maxime Princeps,
Pocula propino: ſed ſceptra libentiùs, inquit,
Porrigerem Germana, tuo direpta parenti.
Non ætas Reges, Virtus accommoda Regnis
Efficit. imberbi motores ætheris ore
Pingimus Aligeros. Superat vel Neſtoris annos
Gratior auguſto veniens in pectore Virtus.

Aulicus Henrico ſuadet, vt Patris regnũ inuadat.

Sol

Sol maturat agros radijs, Sapientia mentes.
Qui ſapit, ille regat populos; dominetur & aſtris.
Henrico maior genitore, Henrice, quid vltra
Frena viri pateris; ſcelerum cui frena monile;
Et ſolium regale, iugum; ſceptrumque, flagellum eſt?
Te poſcunt hæc Regna diù; cui pectus honeſtat
Iuſtitiæ ſociatus amor: dediſce parentis
Obſequium, nomenque tui. furit ille: furentes
Eſt pietas vincire: patri dum vincula nectis;
Implicitas longâ terras formidine ſoluis.
Ille Dei non iura timet: non ergo timendus.
Ille Dei non arma pauet: perdatur ab armis.
Non pater eſt, patris qui Numinis odit amorem.
Arma paro: ſequor armatum: do vina volenti:
Cor, laticemque tibi ſacrato fœdere iungo.
At Dolus, occultâ qui nube latebat, ab vrna
In cyathum, è Stygio quod preſſerat angue, venenũ,
Protinus infudit. Libant vbi pocula ciues
Cum Duce coniuiuæ; furiali pectora motu
Lubrica torquentur: tumidos illapſa per artus,
Oſſaque peruadens peſtis veſana Draconis
Non defecturi certaminis implicat ignes.
Diripiunt epulas: menſas & fercula vertunt:
Arripiunt cultros: pateras, vt ſcuta, capeſſunt;
In voces acuunt iras, & talia fundunt.
Arma Ghibellini, ferte arma; vocamur ad arma.
Fama Ghibellinum, volitans ſuper æthera, nomen;
Vel ferat Alecto totum lymphata per Orbem.
Bella iuuant: placet ipſe furor: ſint præmia Martis
Libertas auro maior, Mundique ruina.
Hinc Dolus, æterno bellorum ſemine iacto,
Omnibus in Guelfam contendit viribus arcem;

Specie boni filium armat in patrem. Regi propinat vinum & ambitionem. Vino Dolus hauſtum ab angue Stygio venenum immiſcet. Hoc hauſto conuiuæ agũtur in furias. Furentium voces.

Dolus in Caſtellum Guelphum, quod cognomen Corrado dedit, ad nouas fraudes volat.

Vipeream que animam, dum peruolat, afflat in auras.

Tunc feras Corradus cum patre venabatur iu proximis Caſtello campis.

Vtque diem ludis, venatu falleret apros
Corradus, Guelfos luſtrabat curſibus agros.
Circum equites volitant: vis geſtit odora latrantum:
Quadrupedes freno aſſultant: lucem arma laceſſunt
Luce; feraſque petunt lato venabula ferro.
Corrado currente iugis, Dolus æquore fraudes

Dolus ſerit virus in parte cāpi remota, vbi cum ingenti dracone colubri naſcuntur innumeri.

Præparat in viridi. campi nam parte remota,
Fundit humi ex vrna fecundum crimine virus,
Et colubros, peſteſque ſerit. Tellure nouercâ
Emerſit furiale malum. ſubtecta nocentis
Colla micant ſobolis: protendunt terga ceraſtæ:
Sibila multiplici vibrant ſtridentia linguâ.
Viuida mortali ſe frigore complicat aſpis:
Cherſydros, natrix, enhydris, dipſaſque, chelydrus,
Innumerique tument hydri, ſquamiſque coruſcant.
At Draco, ſerpentes inter, de rore draconis,
Sanguineos oculos, tumidâ ceruice, leuauit.
Sanguine, & igne rubet; pollutaq; ſpuma per armos
In terram dum ſponte fluit, cum palmite fœtus,
Aruaque cum ſpicis, rami cum frondibus arent.
Viderat herboſis deſcendere montibus aprum

Inſequitur aprum Corradus.

Cum patre Corradus. Comitum ſtipante coronâ,
Fertur equo, ſpargitque canes: tremit excita tellus
Venantum in curſu; fidenſque ferocibus armis
Infelix tenet arua cohors. Corrade, ſuperbum
Quadrupedem conuerte procul: fuge mōſtra, parēte
Digne puer meliore: tuo iam pectore creſcent
Gorgones, Eumenidū, & populorum sāguine paſtæ.

In lacum ſerpentibus ſæuum equo fertur.

Neſcius ille doli, ſe fraudibus induit: hydri
Cum Domino proceres circumſtant: claſſica belli
Sibila contorquent, ſinuantque volumina: linguas,

Vt

Vt fera tela, mouent: iaculantur faucibus ignes. *Venatores à ſerpentibus circumdantur, & vulnerantur.*
In ſpiram tractu ſe colligit anguis, & ardet:
Mox & in aduerſos, reſoluto corpore, fertur.
Viribus incumbit, pariterque in prælia tendit,
Attollitque iras aſpis, pugnatque veneno:
Vulnerat; atque iterum pertentat morſibus artus.
Inter tela virûm iam vipera labitur: auras
Polluit afflatu; complexibus occupat hoſtes.
Terga ceraſta trahit: fugitiuos ore moratur;
Alligat & guttur, membriſque trementibus errat.
Amphiſibæna caput geminat, geminatque venenum:
Inficit aſpectu baſiliſcus: & omnibus iras
Dux Draco diſpenſat, ſcelerataque ſuggerit arma. *Dux Draco ſerpentum.*
Tunc equites improuiſo certamine fracti,
Irrita cum triſti iactant formidine tela.
Vincula ſerpentum, ſed non ſua frena, timentes,
Præcipites rapiuntur equi, laqueoſque recuſant.
Non fuga, non bellum miſeros, non arma tuentur:
Obuius incurrit colubrorum exercitus: horrent,
Atque iterum luctantur equi, funduntque, ruuntque.
Flacidum deprenſa viâ, calcataque dipſas *Num. c. 21.*
Sic medijs ardebat aquis; atque arida, morſu
Ducebat roſeas venis ſitientibus vndas.

At colubri non fata ferunt; non vulnera letho. *Serpentes nō mortem inferunt, ſed bellicum furorem.*
Cæca viam reſerant: ſerpentibus icta, furores
Concipiunt fera corda: rigent non frigore mortis,
Sed Martis feruore calent. bella, impia bella
Cum duce conclamant equites. Age: prælia Guelphi *Furentium voces.*
Non moritura vnquam, depoſcimus: omnia morti
Conceptâ dabimus ſanie: ſtillamus Erynnes:
Frons tabo ſudat: pro neruis membra ceraſtæ
Implicuere: implet rabies inſana medullas:

In-

Inſinuat virus calido pro ſanguine vires.
Arma viri, ferte arma: quies procul exulet omnis.
Quæ Guelphus capit arma, dies abſumet; at iras
Nunquam tempus edax, quod deuorat omnia, rodet.
Guelfici belli diuturnitas in colubris, incentoribus belli, deſignata. Armamur colubris: colubri de vulnere viuunt.
Anguis ſinde artus: truncata repullulat anguis.
Guelphorum reſecas ſi bella; reſecta reſurgent.
Plena cruore, ſitit dipſas: vos plena cruore,
Ite, Ghibellinis exugite, caſtra, cruorem.
Spargite Vulcanum tectis; & ad intima fratrum
Subdite corda faces; venabula linquite, ciues:
Nos, noua monſtra feræque, armis venabimur Orbẽ.
Pro clypeo ſquamas ſerpentum tollite: dorſo
Pendeat in bellum, Guelphorum balteus, anguis.
Ecce autẽ (horreſco referens) Henricus in hydros
E vicina cauerna Draco in Henricum IV. irrumpit. Dum deſcendit equo, comites miſeratus; ab antro
Dux Draco ſerpentum, lambens ingentia linguis
Sibila, prorumpit. membris ſe curuat in arcum,
Excutit & pennas: pennis fit miſſile telum.
Cæruleis horret ſquamis, & dentibus atras,
Henricus cum Dracone conſertat. Ceu ſcopulis, perfringit aquas, quas guttur anhelum
Euomit immiſtas furijs. Stetit obuius hoſti
Henricus; licet arma pauor non æqua recuſet,
Attonitoſque artus tremor occupet, oſſaque tardet.
Se, ſimulans formido premit, pugnamque laceſſit,
Infractus ſenio, fretus virtute, molarem
Erigit in vulnus, cunctantemque occupat ictu:
Sed cute defenſus clypeatâ, reppulit ictus,
Eluſitque virum ſquamis Draco. vulnera rurſus
Ingeminat telo: telum fatale coruſcat,
Et volat. at vano crepitarunt verbere malæ.
Conſtitit in gladium: ſcrutatur membra. retundunt
Mem-

Membra feræ gladium. Manet illa interrita,& hoſtē
Territat audacem ſolis obtutibus. Æſtu
Fluctuat hic; teloque carens, gladioque, fugâque,
Inſidijſque ſubactus, agit pro cuſpide voces
In Superos, Numenque truces: Proh ſidera, dixit,

Perfida Henrici vox.

Perfida? ſic Regi poſt prælia mille, Draconis
Obijcitis pugnam! ſatis eſt armaſſe Tyrannos
In mea damna,Deumque: feras quid ducitis antris?
O dolor! ò fatum! Non caſtra inimica ſequuntur:

Vox draconis prodigioſa.

Non vi, non numero, non hoſtibus obruor: enſis
Non fixus lateri ſtridet: Draco verberat aurâ,
Et ferit aſpectu: ſine bello bellua vincit

Alludit ad Matris Henrici de viſo dracone ſomnium.

Henricum: noſtro ſaturabitur vna cruore,
Sanguine qui populos bellando exhauſimus omnes.
Aſtra negatis opem? defendite Tartara:veſtrum eſt

Draco ſacer Heroibus, qui Cleomenis corpus Cruci affixum ſeruauit Plut. in v. Cl.

Cerbereos frenare canes, & monſtra domare.
Mens meminiſſe fugit. Dum talia iactat; & omnem
Luſtrat agrum,rapiturque fugâ;vox mira Draconis
Faucibus egreditur. Maiori haſtilia niſu,
Si ſuperant, Henrice, vibra: iace ſaxa; feroces
Sume animos: cape tela: feri; ferieris amore.

Mater Scipionis Afr. in cubiculo augurium fortunæ filij anguē frequenter videt ex Plut. in v Scip.

Mene fugis? puerum calido te pectore foui;
Vberaque admoui labris, atque ore bilingui
Promere verba dedi. ludebas, Hercule maior,
Non elidebas colubrum: puerile tenello
Pendebam collo ſine cæde monile. quid horres?
Heroum Draco virtuti ſacratur: & Heros
Me fugis? Heroum quem reddidit Africa mōſtrum,

Triptolemus à ſerpente vectus, fruges in Orbem inuexit. Ex Seruio.

Scipiadem fortunaui: vigil aurea quondam
Munera ſeruabam.Heſperidum mihi credita ruris,
Et florum tutela fuit: me ſidera ſignis
Aſcripſere ſuis. Duce mê perfregit inertes

Tri-

Triptolemus telluris agros, frumentaque ſulcis
Credidit, vſuram multâ quò fruge referret.
Ergo quem Tellus veneratur, Tartara, Cælum,
Tu, ſoboles dilecta, fugis? Me Tartara pellant,
Terra Poluſque; tuo dum pectore condar. Auerni
Eumenides, bellum, impietas, ſcelus, ira, ceraſtæ
Bubones, milui, bufones, cerberus, angues,
Huc agite: Henrici pectus, me principe dignum,
Triſte ſatellitium, mecum penetrate: ſub vno
Corde latens, terras omnes bellator obibo;
Fratribus, & fratres committam, ſidera terris.
Bella Ghibellini iam ducite; ducite Guelfi.

Draco in Henrici pectus ingreditur, nec amplius apparet.

Hæc ait; Henricum complexu corripit: arcet
Membra voluminibus: linguis fert mille triſulcis
Oſcula: peſtiferi malas aſpergine roris
Tingit & infuſcat: ſerpunt per colla chelydri:
Incubat ammodytes oculis: fit lacryma tabes,
Spumaque natricis. Draco pectora rumpit: & imo
Monſtra recepta ſinu vaneſcunt, ſola furoris
Signa manent. furit Henricus: Corradus anhelat;

Dum furit Henricus pater vna cum Corrado, adeſt ſuo è Caſtello Henricus minor, iiſdem furijs correptus, quas cum tabifico vino potauerat.

Et ſe ferre nequit rabies, hoſtemque requirit.
En minor Henricus, menſis epuliſque relictis,
Cum ſocijs volat in campum, fratremque, patremq;
Deſtinat exitio. Conuertit triſtia circum
Lumina; & exclamat: Duce mê, mê milite, quære,
Guelphe, Ghibellino Latias in ſanguine terras.
Ne fratri, ne parce patri: nos crimine ſoluunt
Crimina polluti genitoris, & inuida fratris
Ambitio. Patrij leges ignorat amoris
Regni dirus amor. ſi Regna petuntur; ab ipſo

Henrici bacchantis cum Guelphis vox

Quærere Regna potes iugulo, vel corde parentis.
Viciſtis, Guelphi, viciſtis: cerno natantes

In-

Digitized by Google

Innumeras in cæde animas : torrente cruoris
Orbis ad Imperium iam ducimur : Itala tellus,
Romanique gemunt colles, rapit omnia bellum :
Non minor ira Ghibellinis exuberat intus :
Mox manat : Date Signa, tubæ, conuexaque cæli
Rumpantur fremitu, & Guelphorum pectora ferro.
Filius in patrem pugnat: ſcelus omne licebit.
Huius ad exemplum, vis atque iniuria ius eſt.
Si Pax iura docet; Naturæ iura Deique
Euertit bellum. Regni væſana libido
Ipſa ſibi Deus eſt, lex, & Natura. Probantur
Crimina, miteſcunt, quæ Regum conſecrat ira.
Sit ſtabile Imperium; labantur cuncta: quid inde?
Relligio calcanda; nocet ſi denique Regno.
Si iuuat, extollenda: tuis hæc ſeruiat auſis.
Rex Deus eſt: cælum, cum libertate voluptas.

Italia ex horum Principũ diſcordijs his diuiſa factionibus eſt. Tarcagn. par. 2. l. 10.

Ghibellinorũ impia vox.

Google

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XX.

ARGVMENTVM.

Guelphorum & Ghibellinorum lues primo conflictu ebullit in Germania. Hinc propagatur in Italiam per Henrici bella contra Pontifices. Pſeudopontifice Guiberto Romam obſidet Imperator. Oranti Gregorio VII. Roma dolens apparet. Pontifex illam ſolatur vaticinio Nazarenæ Domus, eius in præſidium ventura: cuius ſimulacrum & machina ſolemni ſupplicatione ab Emin. C. Io: Baptiſta Pallotto per Vrbem ducta ab hoſtium machinis Romam proteget, erigetque.

Primus Guelphorum, & Ghibellinorũ conflictus.

HÆc inter cecinere tubæ: geminæque cohortes
Tela diù librata tenent; vbi cara ſuorum
Agmina proſpectant concurrere. Perculit horror
Cognatos violare ſinus: dum bella retentant;
Languidus è dextra dilabitur enſis, & ardor.
Huc cita ſe Stygijs Diſcordia concitat alis:
Irruit in medium, nigro circumdata nimbo:
Fulmineamque facem, qua vincula adurit amoris,
Euibrat. Immiſsâ pietas face languit: ira
Protinus exarſit. decernunt vndique telis:
Clara ſagittarum tempeſtas æthera pulſat:
Enſis & haſta micant: maiora, minora ſonoro
Ære faces pariunt tormenta, globique fragore
Fata vocant: ſequiturque virûm fuga lata per agros.
Mox redeunt; reparant acies, ſeq; agmina miſcent,
Proturbantque loco, coguntque recedere, rurſus
Emi-

Eminus obſcurant telorum turbine cælum.
Iam ſerpentifero bellantum ſanguine tellus
Indignata calet; parituraque monſtra, laborat,
Mutua quæ pereant per vulnera. Perfida nunquam
Ambitio deerit Medea potentior Orbi,
Quæ ferat armatas colubri de ſemine peſtes.

Æquo Marte diù, multo ſed ſanguine Reges
Exaturant, acuuntque iras. Victoria, nulli
Debita, ad Henrici tandem vexilla volauit,
Cæca tamen, nec pacis amans. Dolus vrget ouãtem
In Latium, Fideique Ducem. nam ſæpè Tyrannum
Fulmine Gregorius Romæ percuſſit ab arce,
Et reſupinatum Chriſti de corde, ſalutis
Caſtello, Cælique iugis, affixerat Orco. (bat

Victor Henricus Imp. vt Greg. VII. perderet, exercitum ad Vrbem miſit. Quater à Gregorio anathemate percuſſus fuerat, ideoque Pontificis hoſtis erat. Baron.

Caſtra nefanda mouet, Duce te, Guiberte: moue-
Sed te Luciferi ſtimulata ſuperbia cornu.
Hoc ſtimulo qui ſumma petit, trahit inde ruinam;
Tellurisque ſedet centro, ſtipantibus vmbris.
Hæc te bella decent, laſſatum crimine. Ditis
Magna venis pelago quæ Beſtia, cornua fronte
Tolle decem, capitumque nemus: tibi cornua mille
Gregorij Diadema triplex perfringet, & vna,
Vnâ in Sede Fides. Non hæc Aquilone, ſed Auſtro
Vecta ſedet: non ambitio, ſed amabilis ardor
Numinis extollit: non hæc ſibi vindicat armis
Imperium; ſed amore tumet; ſed lumine plena,
Plena Deo, meritiſque grauis, non turgida faſtu.

Guibertus belli dux Pontificatum affectat, & ſchiſma orditur, et cum Henrico bellum contra Pontifices. Sic deſcribitur magna beſtia Apoc. c. 12.

Hinc Dolus, è ſpecula, bellorum tempora nactus,
In nubem cogit Stygis agmina: Pergite monſtra,
Lætus ait: cœptis ridet Fortuna: ſequamur.
Guelphorum iam clauſtra lues perrumpit, & vndat
Miſta Ghibellino cum ſanguine. Theſſala miſcet

Dolus pro læto iterum ſucceſſu ſibi plaudit.

Digitized by Google

Sic Maga lethiferas herbas, ſaniemque colubri,
Sanguinis humani rorem, defoſſaque buſtis
Oſſa, cicutarumque fibris aconita maritat.
Exonerabit aquas in Tybrim Rhenus & Arnum,
Mundi peſte graues: Hetruſcos obruet vndis:
Nec Latij parcet campis, quos Gratia nimbis
Alluit: inuictam trahet atro gurgite Romam:
Heſperiam limo fœdabit. Obeſſe malorum
Sic ſcelerata ſolent commercia; pronaque ſemper
Mens humana malis, quà crimine ducitur, ibit.
Fauſta Ghibellinis, & Guelphis nomina primùm
Illicio nouitatis amat: ſibi denique gentis
Aſciſcit nomen, moreſque, atque impia facta.
Eſt via flagitijs nam lubrica. Sponte ruentem
Vos quatite Italiam, Furiæ: conuellite Mundum.
Hæc Dolus vt iecit verbis mala ſemina belli,
Addidit & furias furijs; ipſe horridus arma,
Arma rapit, ſociaſque acies in prælia cogit.
Eumenides Barathrum ſpumant, Acherōtis & vndas
Ignibus immixtas; Diſcordia, turba nocentum
Henrici anteuolant vexilla. Ille omnia Ditis
Agmina cum Barathro furiali pectore condit.
Iam feruet tellus inſtructo Marte: ſequuntur
Cum Furijs populi Henricum: terra inſonat armis.
In Latium tempeſtatem Dux nubilus irâ
Effundit: pede victor opes, & pectora calcat;
Seque irritat atrox, & ad Vrbis mœnia tendit,
Mœnia, quæ Mundum gyro breuiore coërcent.
Vicinum Natura nefas indixit, & omen
Triſte dedit cladis. Ratis ignea viſa per auras
Ducere flammantes mediâ in caligine ſulcos;
Et vectare neces, perque æquora nigra timores.

In his regionibus huius belli rabies magis graſſata eſt.

Qua-

Quattuor, ex omni Mundi regione, carinæ
Incubuere animæ ventorum. Turbinat Eurus:
Impellit Boreas: quaſſat Notus: Africus vrget:
Coniurant elementa. volat tamen illa, periclis
Tutior in medijs, æſtuſque illudit, & Auſtros:
Deſignatque Ratem ſulco victore, gubernat
Quam ſceptro Petrus clauoque timendus. Amoris
Hæc flammis compacta; Stygis ſupereminet vndis:
Eruitur nunquam, ſemper iactata: procellis
Altior exurgit: ſubſidit, vt æthera tangat:
Damna iuuant: animant ſtrages: agitatio firmat:
Et mage ventorum ſuccenditur ignea flabris.
Horum ſigna dedit, per inane procacibus Euris
Flammea quæ nabat turbato gurgite, nauis.
Aëris Imperio pollens, collegaque Ditis,
Hanc Petri diſcerpe Ratem, Guiberte, Notoſque
Omnibus ex oris terrarum coge: manebit
Molibus hæc immota tuis, tibi naufraga tantùm.
  Addidit & curas tellus; & præſcia belli,
Indoluit noſtro, pectus diuulſa, dolori.
Namque quaterdenis mugiuit hiulca diebus:
Impulit innumeras ædes; radicibus arces
Vertit, & infremuit: ſibi viſcera mœſta refodit:
Pro gemitu laxauit aquas, ventoſque cauernis.
Saxa, ſuis diuulſa locis, diuortia Mundi,
Et Vaticani ſignabant murmura montis,
Ambitio quem Guiberti, vehementior Euris,
Sæuior Encelado, motabat. Maxima luctus
Pars Mediolani turbauit funere campos.
  Turris erat complexa lares, vbi curia Patrum
Iura frequens tunc fortè dabat: vox inſonat: Ammon
(Ciuis erat cui nobilitas virtuſque fauebat)

Belli ſigna nauis ignea in aëre, terræmotus per 40 d. villa arcana vi aliò translata, turris ruina. Angelus ab hac S. virum liberans, Bennus poſt mortem oris flamine Othonem proſternens, à quo alapam viuus acceperat. Baronius ad an. 1117. & alij.
Eccleſiæ nauis inter mundi naufragia nõ naufraga.
Nauis ignea.
Terræmotus.
Turris ſubitò prolapſa.

Eripe te fato : Virtus quam voce tueris ,
Et quam corde foues ; à morte tuebitur : arcem
Heu fuge præcipitem. Dum reſtitat ille ; morantem
Aliger ecce manu procul abripit . ardua turris
Æquaturque ſolo , penituſque illiſa recumbit ;
Et centum caſu proceres inuoluit eodem .
Diſcite Iuſtitiam : Virtus, ſi concidat Orbis,
Stat , sê nixa, Deique manu . ſic altior Orbe ,
Vel ſi tecta ruant , vel cæli culmina , ſupra eſt .
Iræ etiam Superûm patuere , beataque Diuûm
Patria ſigna tulit ſcelerum, pœnaſque popoſcit .
Crimina dum vigilant , dormitat ſæpè,nec vnquam
Ira Dei humana vigil in ſcelera . Ira Dei dormit . ſomno quid fingitis alas ?
Diſſimulat ; clauditque inſomnis viuida ſemper
Lumina ; nec pennas laſſata recolligit vnquam ,
Quas humeris,quas mente geritnam ſola Tonantis,
Dum ſedet ira,volat: properat,dum pigra moratur.
Surge furor . Bennum palmari contudit ictu
Dirus Otho . Cælum palmâ violauit ; & ignes
Ceſſatis ſuperi ? torpetis fulmina cæli ?
Dum torpere putas , Diuorum accenditur ira .
Fax cæli grauior,quò tardior ardet in hoſtes .
Ciuibus aſcriptus ſuperis, fatoque ſuperſtes ,
Rurſus & è cælo Bennus delapſus , Othonem
Aggreditur dictis , & fulmine : Barbare , ſigna ,
I , ſequere Henrici , dixit : me percute palmâ :
Plaude tuis alapâ furijs : tibi plaudet Auernus
Otho percuſſus à Benno . Mox ſtridore catenarum : tibi vulnera mille
Vno reſtituet pro vulnere . perge: quid hæres ?
Dixit , & afflauit viuo de pectore mortem .
At correptus Otho cæleſti turbine , morſu
Frangit humũ, ſcelerumq;ruens cum pondere,Diris
Spi-

Spiritus antra tenet. Durâ ſic fronte ſecurim
Excuſſit poſtquam pinus, quæ ſecula vicit,
Denique procumbit, ventis impulſa: caduco
Incidit in vallem trunco, latè arbuta vaſtans.
Vos quoque bellorum motus portenditis arua,
Imperiumque fugax Henrici à ſtirpe nocenti.
Hortus erat Charitum ſtatio; cultiſſimus herbis,
Conſitus arboribus, dominantis Regia Floræ,
Aulaque Pomonæ. Vario circumſona lapſu
Rorabat lacrymis ridentes ruris ocellos,
Et labyrintheo ſerpebat lymphula flexu.
Textilibus nigra ſcena vmbris vernabat, aquarum
Murmure vocalis, folijſque auibuſque diſerta.
Pars villæ ſaxo pendebat nixa ſupino,
Vnde aqua terribili ſtrepitu bacchata fremebat,
Inque tubos ibat diſcreta, & fluminis ictu
Tentabat citharæ numeros, ſed pollice nullo:
Aonidum lituos ſimulabat, barbita Phœbi.
At grauis Autumno pars altera, cincta racemis,
Potabat Solis radios. camerata per arcus
Fingebant cedri, & virides topiaria lauri:
Attonſo myrtus fabricabat vertice muros,
Et latera vmbrabat ramis frondentibus ilex.
Tortilis in vultus animantum buxus, amœnâ
Pinxerat irâ apros; animauerat ora leonum;
Iucundoque furore lupos, aquilaſque volucres,
Non alâ ſed fronde. Fugit dum villa, volare
Omnia iam diſcent, canis, vrſa, leæna, leones.
Villa fugit, fugiente ſolo: per ſuda feruntur
Arbuta cum ramis: lauri radicibus hærent,
Et properant: portant ſolido cum robore fibras,
Cum pomis Pomona, ſuis cum floribus hortus

Spoliatus eſt à Greg. VII. regni titulo Sigon. de Regn Ital. l. 9.

Villa volans

Natalem permutat humum. Sic innuba laurus,
Fraxinus & platanus, corylique, hederæq; virentes,
Et buxus, ſalicesque leues, vitiſque marito
His portentis permotus non eſt caeus Henrici furor. Iuncta, ſequebantur mutatis Orphea ſiluis.
Auribus impietas, oculiſque orbata, nec audit,
Nec videt irati præſagia Numinis: aures
Diraque portentis Henricus lumina claudit.
Agmine fulmineo clauſam circumtonat Vrbem:
Se pinnis tegit & caſtris; ſed peruius igni,
E ſuperâ tangit qui miſſilis arce Gigantes.
Penſilibus paleis ſic ſternit in arbore nidum,
Obſtruit & limo volucer qua parte iacentem
Spectat humum: miſſos at deſuper excipit imbres;
Fornice dum nequit impoſito, ſe claudere cælo.
Ingentes molire arces, teque obſtrue caſtris,
Barbare: Vindictæ non te celabis Olympi,
Cui patet in vulnus ceruix, licet alta, Tyranni.
Sed quis flexilibus creſcentia flumina ripis
Bellum promouet: triennio Romam obſidet, arma cum ipſo regente Guiberto. S. Antoninus. Sigonius, & alij. Arceat? Henricus tumidis Aquilonibus iræ
Impulſus, Romæ muris ſe turbidus infert.
Illico vicinos circumdat milite campos,
Vaſtat equis, equitumque globis ſata culta: cruorem
Spargit vbique, metus & funera: dirus ad arma
Pontificem poſcit; Germanaque ſigna Latinis
Atque nefas inferre parat; Romamque natantem
Sanguine Diuorum, Colubrorum immergere tabo.
Sol micat has inter nubes Mundique procellas
Gregorius. ſpes ille Ratis, qua perfida roſtro
Monſtra Fides findit. Victrix premit illa Profundum
Sub Duce, cui regnat pax alta in corde; regitque
Pectoris Imperium placidæ rationis habenis.
Gregorij ſedet ira animo, ſed ſeruit amori:

Non

Non calet igne ſuo ; ſed amoris : purpurat oſtro,
Dum ſeruit, ſceptrumque tenet. ſe ſuſcitat vltro:
Se ponit; regit ; accendit . non extima flammis
Inficit ora, ſed exornat: non ira timetur,
Sed colitur. ſcelus hanc pauitat, ſceleratus adorat.
Fulgurat, atque tonat ; pluuias vt fundat amicas :
Fulminat ; aſt eadem quò flammis crimina perdat.
Non rapit hæc, rapitur ; dumque æſtuat, alluit æſtu,
Virtuteſque rigat. Quis in illius ore furores,
Quis maculas in Sole atras ; quis nubila vidit ?
Eſt æterna oris pellacia . ſcilicet aſtris
Pacatum inſeruit ſuper horrida nubila vultum,
Et ſupero domat igne iram . Velut aura fauillas,
Sic offenſa mouet maieſtas Principis iram.
Roma furit longo dum ſchiſmate, frenaque pacis
Gregorijque manum mordet, qua frena gubernat;
Dum iacit in Patrem conuicia ; diſſona corde
Et membris inimica ſuis Capitique; retundit
Non iram iratus : tacitâ Virtute tuetur
Legitimum Romæ Imperium. Sic arce ſuperbos
Ætherea Michaël per facta ſilentia vicit.
Ordinibus ſacris hic eſt certaminis ordo :
Multa pati, ſed pauca loqui; non fronte furores,
Sed Charites veluti pacis diſponere campo.
Aliger haud aliter viuendi ab origine miſſus ;
Et lateri affixus noſtro, non aſperat ora,
Dum foditur cælum dictis; ſed gratia cuſtos
Cuſtodem ſeruat ſimili placidiſſima vultu.
Non ſecus ex animo verborum tela repellit
Gregorius; pectus dum pacis protegit vmbo.
Quid reliquos, exarmauit quos pectore, motus,
Victoriſque animi pulſos in vincula, dicam ?

In hoſtes Eccleſiæ ſæpè armat iram, vt eos ad ſe trahat.

A ſchiſmaticis verbis malè acceptus, ad iram non irritatur. Factum eſt ſilentium in cælo.

Non calet ille odijs, Chriſti qui ſanguine feruet;
Quem matutinus potator & ebrius haurit,
Et roſeo ſeſe pelago demergit; libero
Æquore Sol quoties rubicundos explicat ortus.
Qui patriâ torpet glacie, calet illius æſtu:
Ipſe faces Scytha cognoſcit: ſe Caucaſus Ætnæ
Inclinat, ſoluitque niues. Nam vertit in Ætnam
Gregorius Vaticanum, & de vertice montis
Pro facibus vibrat ſtellas, atque Hæreſis arces
Funditus euertit, ſacri fax viua furoris:
Nulla timet terræ dum damna, timetque ſed vnum
Corde Deum; toto ſine cæde timetur ab Orbe.
Nil cupit, aut ſperat mortale; rotamque ſuperſtat,
Qua Reges Fortuna rotat. ſic publica Mundi
In ſe vota rapit; ſic ſpes alit Orbis & implet.
Motibus ergo vacans, quorum leuitate grauatur
Mens erecta virûm, volitat ſuper Æthera mente.
Scilicet eois dum candida ſurgit ab oris
Purpureis Aurora roſis, primoque colorat
Lumine nigrantes noctis caligine colles;
Ille diem Solemque Deum luſtrare profundo
Aſpectu mentis, totumque haurire laborat.
In ſê collectus, ſê maior, in intima cæli
Septa volat, pronoque genu ſe figit Olympo.
Illius ordinibus medius, propiùſque reuiſens
Regna ambita diù, mortalia temnere diſcit,
Quæ volucres atomi apparent, ſtipulæque volantes;
Imò nec apparent diuino in lumine. Leges
Inde trahit Regnique artes; euoluit amoris,
Pacis & inde caput. Per compita lucis oberrat.
Digreſſus videt vnde gerat; quò tendat; vt alto
Secula cuncta ſono tuba cogat; & inde caleſcat

Prima negotia S. Pontificis matutinū ſacrum & meditatio rerum cæleſtium.

Varia meditationum materia,

Col-

Collapſus cinis in tumulos, carniſque recentis
Corpus ab inductu, ſecuro floreat æuo.
Inde rotam cernit, triplici quæ nomine Numen
Non infecundum complexu colligit vno,
Quo reges & Regna fluunt, diademaque triplex,
Quo micat ipſe. Pauet pondus venerabile frontis,
Imperioſum, ingens, auguſto Numine textum,
Illius innaſcens oculis, frontiſque beatæ
Luce figuratum. Se lumine format eodem:
Æterni Solis meditando fulgura, cogit
Pectoris in ſpeculum. Sol inde refunditur alter
Solis ab obtutu, tellus quo conflagrat omnis.
Principis has artes operoſi diſcite Reges:
Diſcite regalis diuina negotia mentis;
Quæ, ſi contemplans æterna, quieſcit, & ardet;
Otia ſecum agitans, agit omnia. Numinis ignem
Hac rapit arte. Dei nihil eſt operoſius igne.
Hæc mora Pontificum cunctando reſtituit rem:
Hæc ignata moræ Furias in Tartara, Regum
Bellaque detruſit; ceu Sol exterminat vmbras.
Aliger haud aliter cuſtos, ſata lumine viuo,
Lætus in aſpectu videt ora Tonantis; & vnà
Nos regit atque tegit: ſequitur pede noſtra ſecundo.
Haud aliter Verbum, ſpectantis imago Parentis,
Et ſpectator, inexhauſti dum luminis ortum
Obuius aſpectat, pariturque nitoris ab ictu
Æternæ mentis viuax obtutus & heres;
Omnia progenerat iactu ſplendoris opimi:
Cuncta ſuo torquet ſub numine, cunctaque nutu
Mens agitat diuina, quies cui nulla; ſed ipſa
Otia ſunt magnæ glomerata negotia Mentis.
Petri perge Ratis pelagi perrumpere fluctus.

Contemplatio diuinorum quietem parit Regnis, & Regibus.

Si

Si vitæ memor æternæ metitur Olympum
Aſtraque Gregorius meditando; ſidera curſu
Atque Deum arripies: toto prædaberis Orbe
Illuſtres animas, in Chriſti nomen ituras.
Te feret, extremos quæ verberat vnda Britannos,
Monſtra nefanda licet fundo ſuſtollat ab imo
Hæreſis, eructans vel Regum barbara cædes.
In te proiectis deſcendet Scotia Regnis,
Anteferens ſceptro remum, quo flumina verris,
Sanguine diuino ſtagnantia. prouehet alueo
India te facili: Ganges capita aurea ſuddet.
Tê vecti orabunt cælo tranſmittere curſum,
Prætendentque manus ripæ felicis amore
Aſſirij, Medi, Perſæ, Cilicesque, Geloni:
Se tibi Danubius ſubſternet, Nilus, & Indus.
Ad tua pro ſolio centeni tranſtra ſedebunt
Reges atque Duces: in carbaſa ſyrmata vertent,
Torques in funes. figent diademata puppi.
  Interea ne cede malis, Ratis, acta procellis.
Nam licet Henricus, magnus velut æquore cetus,
Flumina mille vomat; te flumina mille vorare
Haud poterunt; dum mente tui ſecura Parentis,
Qui pro te vigilat, ſubiecta pericula rides.

Oranti antè Crucem pro præſenti rerũ ſtatu Gregorio ſe Roma ſpectandam obijcit luctu ſqualidam.

  Nox erat, atque hominũ placidè ſerpebat in artus
Blanda quies: inſopitâ ſed mente, genuque
Gregorius poſito, pendens è ſtipite Numen
Pronus adorabat; Romamque, propinqua pauentem
Prælia, diuino tutandam corde locabat.
Ecce autem vigili ſeſe obtulit inclyta Roma.
Non qualis dat iura Indis; nec qualis auito
Incumbit ſolio Regina, tributaque Thules
Exigit; aut domitum ſubmittit legibus Orbem.

Vox

Vox abrupta: iacent oculi, quos liuida luctus
Nubila contriſtant: fugiunt ſeſe ora: recedunt
Arentes artus: macies deformat honorem
Belligeri vultus: riget horrida, clara triumphis,
Omnibus Imperijs frons digna. incerta per artus
Palla cadit, diſſuta chlamys, laxataque dorſo,
Verrit humum: lacrymis pro gemmis purpura rorat.
Fit robur languor; fit Roma, amor Orbis, amaror:
Mundi formido, triſti formidine malas
Infuſcat: Regum terror terretur, & horret.
Roma diù cælum poſtquam ſuſpexit & aſtra,
Quæ ferrugineo ſtringebant lumine nubes;
Orditur tales inter ſuſpiria, queſtus.
O Pater, ò cuſtos, ſpes ò fidiſſima Romæ,
Occidimus: tenet hoſtis agros, & mœnia cingit,
Deſignatque neci te, lux mea. ſubtrahe morti
Immortale caput. ſi viuis, mortua viuam;
Viua ſed emoriar ſine te. rapuiſſe parentes
Immerito fato, vita eſt, & gloria natis.
Henricus quatit arma Draco cum mille Colubris,
Quos Germana parit rabies. Me, monſtra, vorate:
Perdite me; ſedeatque meo ſed puluere victrix,
Gregorio tutante, Fides. Romana perire,
Vel Româ pereunte, nequit, cæloque cadente,
Inuiolata Fides. hanc mente & voce tuere:
Hanc ego tutabor telis, veniſque cruentis.
Gregorius, cui menſa loquax, & Apollinis ara
Crux erat, & cruciatus Amor ventura canebat,
Fatidicos haurit ſenſus, hominemque migrare
Pectore perſentit toto, mentemque moueri:
Conceptoque Deo, tandem hæc oracula promit.
Quò te væſani rabies rapit effera Martis,

Roma ad Gregorium querimonia.

Orat Pontificem, vt ſe morti eripiat, & periclitantem fidem ſeruet intactã in ſe.

Menſa tripus erat Gregorius à Chriſti crucifixi, quam adorabat imagine fit vaticinus.

Di-

Digna tuo Ductore cohors ? Quid Nile refundis
Turbide, Danubio Crocodilos, monſtraque Rheno ?
Quis magnus cubat amne Draco? Guibertus, & ipſo
Sæuior Henricus Guiberto, fumat in vndis,
Eructatque ſinu commixtos fluctibus ignes.
Petre, Ratem defende tuam: fer vela, fauentis
Aura Dei; da Chriſte, manum, qua ſternitur æquor.
Quæ fuerat Fidei portus Germania, phocas
Parturit innumeras, ceteque immania. ſcindis,
Henrice, Italiam: ſcindet tibi viſcera Numen;
Scindet & Imperium Germano à Principe. Ridet
Sol iterum, Auſtriaci Regnum, quod crimine, & enſe
Abſcidit impietas, Pietatis glutine iungunt.
Hei mihi quæ Latio nox incubat ? omnis in arma
Heſperiæ pubes exultat. Quæ noua noſtris
Nomina militibus fingit Germania ? Guelfi,
Atque Ghibellini volitant, reſonantque per vrbes
Cum ſtrepitu armorum. Superi hanc auertite peſtē.
Quattuor ecce iterum rutilat poſt ſecula Phœbus,
Nazareis diuina iugis quæ vellitur Ædes,
Illa Ghibellinos & Guelphos opprimit; auras
Illa ſecat peregrina volans, & diſſecat artus,
Oſſaque Bellonæ Bellique. Huic ſubdit amicam
Italiæ Fortuna rotam, quà rapta volabit;
Proferet & cæli meliorem prodiga ſortem.
Stat Regina ſuper ſacros Pax alma Penates,
Pacifer, & Virgo. ſequitur Diſcordia currum:
Voce Ghibellinos, Guelphoſque implorat inani,
Interea, mea Roma, ruis: maiorque, minorque
Diruit Henricus tua mœnia. Strata reſurges,
Æternùm victura: Dei cum Cella, propinquis
Piceni defixa plagis, te proteget vmbrâ,

Draco magne, qui cubas in medio fluminum, &c. Ezech. 29.

Huius filius Henricus V. vi raptum ab eo regnum an. ferme 20. tenuit. Obijt ſine prole a. 1125. ex hoc in Auſtriacus deuolutum. Petr. Moſſ. in vit. Imp.

Prauidet hoc bellum per 4. ſecula duraturum, idemque Nazarenæ Cellæ in Italiam aduentu comprimendum.

A Parente, & filio bis Roma vaſtata.

Et

Et ſedem Imperij montano in vertice figet.
Tunc ponet Bellona flagrum: tunc arma ſilebunt,
Eriget atque nouum Pietas Romana flagellum.
Ille quis, Auſonio Princeps ſpectabilis oſtro,
Cui flagrum rapuit Pietas, vt prælia pellat?
Veſte rubet; ſed corde magis, dum feruet amore
Virginis. hic muris vigil excubat, & fugat vmbras,
Bellorumque minas, vallatus Virgine. Vallum,
Cor, & vita viro, mens, robur, cura, voluptas,
Et deſiderium, Regnique ſuperbia Virgo eſt.
Illius eſt flagrum Domus vna: flagellat Erynnes;
Hæc dum circumfert in imagine Tecta per Vrbem.
Mobile dum Templum, cæleſtia pegmata, Moſes
Ductabat medijs ſtipatum in prælia caſtris,
Murus erat pax Iſacidum, Martiſque timores
Sic procul arcebat. Sic Conſtantinus in hoſtes
Ædiculam, Superis ſacram, dorſoque pauendo
Myſtarum impoſitam, caſtris figebat; vt inde
Læta triumpharet domitis Pax aurea bellis.
Ælia Romani Caſtella relinquite ciues:
Æs tonet in plauſus, aut effluat. vnica Romam,
Pallotto ducente, Domus tutatur & armat.
Sidera num, Princeps, vultu ſuccendis? an aſtra
Diripis in terram, tenebris dum voluitur æther?
Quæ terris video cæli ſpectacula? cælum
Æmula Roma refert. Dum ſtellas explicat Heſper;
Roma vias facibus diſcriminat: ordine longo
Semita collucet flammis; alimentaque lucis
Deuorat ignis edax, Apiumque labore ſuperbus
Æſtuat, atque diem renouata in morte ſepultum,
Attonitum vocat ex vmbris, & noctis ab vrna.
Tecta viæque natant populorum flumine, Tybris,
Dum

Flagellum Card. Pallotti inſigne gent. Huius cultus in B. V. Lauretanam.

Huius ingenio constructa moles Lauretanæ Domus ad exẽplar per Vrbẽ ſupplicatione ſolemni circũfertur.

Arcam Dei ſecum ducebant Hebræi. ex Exodo cap. 25.

Conſtantinus M. ędem ſacrã è varijs linteis fieri curauit, eamque veluti priſcus Moyſes ſecum circumtulit. Niceph. Calliſt. l. 8. c. 30

Arx Romæ Lauretana Domus.

Sacræ pompæ deſcriptio.

In feneſtris lucernæ, & cereæ faces.

Dum vicina ſuis cernit ſpectacula ripis;
Geſtit aquis,plauſuque ſalit. Torquata lucernis
Roma nouis,ſurgens è flammis pulchrior, olim
Fumida quæ cecidit tædis combuſta Neronis,
Florum Vere nouo redimita, indutaque telis,
Parietes ſplendidè veſtiti. Quas inſignit acus, quas aurum flexile pingit,
Quas Phrygium diſtinguit opus,quas inficit oſtrum,
Mollia quas animant vario ſubtegmine fila,
Exulta, vetereſque tuos oblita triumphos,
Et Capitolinas Ædes, in Virginis Æde,
Virginis in pompa, meliùs rediuiua triumpha.
Egreſſus machinæ. Tympana iam plaudunt, lituique,tubęque:reuulſis
Machina iam clauſtris, & complexura penates
Et fora,procedit, facturaque turribus vmbram.
Molis in egreſſu populi plauſus,& voces. Incita vi, ſuffulta humeris, lapſuque rotarum
Subiecto pedibus, populis plaudentibus, implet
Pectora lætitiâ; Romæ ſed compita mole.
Machina dum lento ſe motu flectit in Vrbem,
Perpetuis riuis, lætoque exuberat auctu
Turba ruens, fremituque fauet, tonitruque ſecundo;
Et ſe ſollicitat ſimul hac in gaudia voce.
Virgo, veni,circus charitum & geniale theatrum,
Quo ſe producit Romana in pulpita Virtus:
Virgo, veni, ſtellas inter, pulchri æmula cæli,
Et Solis ſupplementum, ſed clarior ipſo
Sole,diem medio cum tramite ſpirat anhelus.
Virgo,veni, tenebras inter, ſpes vna labantis
In Barathri tenebras Mundi: tua lumina funde,
Lumina ſuccendunt quæ cæli feruida flammas.
Crine diem dum nocte iacis; iace pleniùs ignes
E fornace animi, qua totus inæſtuat Æther.
Virgo, virginei ſolium cæleſte Pudoris,

Vrbe

Digitized by Google

Vrbe loca tua Regna; locant vbi Gratia ſedem,
Maieſtas, Amor & Pietas, quæque imperat aſtris,
Nube ſedens Fidei, magni Sapientia Verbi.
Virgo veni: te Roma colit, quæ Regia Nati eſt,
Te quoque Reginam regalibus excipit vnis.
Proxima Piceno ſtudijs conſpirat amori.
Illud erit tua Virgo, Domus; Domuiq; propinquus
Hortus erit tua Roma: domum nam ſæpè coronat
Ruſtica villa, æquis quà ſcinditur area quadris,
Scenaque amœna oculis platanus quà porrigit vm-
Huc diuerte precor: manibus date lilia catis. (bras.
Spargimus at manibus dum lilia; Diua beatos
Sparge ſinu fructus, melior Pomona, ſaltis.
Delicias hìc quære tuas: nam gaudia vult
Roma tuo quærit: tibi ſupplicat, impia uondam
Quæ Veſtæ ſimulacra ferens, Saliaria dux,
Polluit & vanâ ciues & compita pompâ.
Attonito gaudet dare nunc ſpectacula cælo.
Te, ſaliente animo, veri te ô Veſta Pudoris,
Et Diuûm Genitrix, & Magni Magna Parentis
Virgo Parens, vaſto te fulcit pectore. pectus,
Quo te ſuſtentat, fit amoris maxima moles.
Ignis diuini Genitrix, hac mole triumpha;
Et flabris commota tuis incendia creſcant
Quæ flammis iterum Romam felicibus vrat.
Voluuntur lacrymæ cum vocibus: ipſaque rorem
Nox mirata nouum, rorantia deſpicit aſtra.
Interea medijs incedit machina turmis,
Acta rotis, impulſa manu. ſupereminet alis
Ædibus, & feſtâ facilè perlabitur Vrbe.
Pars pelagum poſtrema refert: ſacra nare per vndas
Tecta putes iterum, Superûmque incumbere dorſo.

Dea Veſta ſimulacrũ olim à Saliaribus per Vrbem ferebatur.

Veſta olim igne culta.

Sacra pompa progreſſus.

 ium-

Machina Lauretanam Aediculam referens.

Grandiores Angeli ad laciniam S. Cellae diſpoſiti.

Alij, puerorũ in ſpeciem, Beatarũ Mentium chori.

Lux maior, et numeroſior Angelorum chorus in vertice.

Fundamenta colors teſtudine grandior ambit,
Cui ſtola, cui veſtis, cui crinis fluctuat auro.
Eminet expicitis acies hinc altera pennis.
Pars lituos nimat; plectro pars barbita torquet;
Pars oneri palmas, pars dorſa niualia ſubdit,
Aëreque it vacuo ſimulant pendere. Beatas
Non natua refert Mentes, ſed gratia frontis,
Et pudor & pietas, & florida moribus ætas.
At Domus in culmen quà deſinit, omnia credas
Agmina cælituum concurrere; findere pennis
Nubila; recluſo cælum deſcendere cælo;
Emporiumque, Deique forum, Diuûmq; theatrum
Tecta ſupr fieri. Radiata fluenta nitorum
Fundit apx, aperitque diem, noctemque relegat.
E ceræ cadore faces mille aurea fundunt
Aſtra; Vi lactis ceu ſtellula candida fulget,
Luna trimphali dum proterit æthera curru.
Scilicet e auro lux eminet aucta propinquo,
Quod puros veſtit, quo fulgurat vndique moles,
Totaque ſplendorum natat æquore merſa ſereno.

Puerorum canentiũ harmonia.

Sirenes plago innocuæ, concentibus auras
Aligeri mulcent, feriunt quas lumine: cantus
Mille vis iterat: ſe prouocat; atque moratur;
Decreſct, creſcitque; ſecat ſe; plenior exit;
Rurſus e exultat vocum diſcordia concors.

Domum, & currum Virg. triumphalem ſequitur Card. Pallottus veluti amoris grande mancipium.

Machina dum fertur, curru dum Virgo triumphat;
Regalen ſequeris currum, Pallotte, reuinctâ
Non dextrâ, ſed corde, ligat quod nexus amantum
Rex Anor, & Regina Parens, cui nobile ſacras
Pectus, & accenſas generoſo in pectore curas.
Olli ſubſternis roſeis pro floribus oſtrum,
Et dulces lacrymas, victi vectigal Amantis.

Vi-

Victus & inuictus graderis; leuiorque ſub ipſa
Mole trophæorum, nudo quæ vertice geſtas;
Machina dum trahitur, magnæ tu viua Curulis
Virginis incedis. ſpolium tu grande triumphi,
Purpura, pompa, decus, currus auriga, corona.
Te videt, & pallet nox inuida: ſidera plaudunt.
Hæc, meditans diuina, teris dum mente; ſolutâ
Calcas tellurem podagrâ. Te Virgo, labantem
Greſſibus, amplexu materno ſuſtinet: inde
Vis in membra fluit. non te vis improba morbi,
Nocturnum non tardat iter, non impetus Auſtri,
Non ſenio, curis, & fracta laboribus ætas.
Virgo rapit; rapiatque vtinam ſuper ipſa Sionis
Culmina Romanæ. Gemmarum pondere, Laurus
Lauretana, gemes; & Templis vndique iactis,
Virginis inuiſa ſudabunt Tartara mole.
  Interea, mea Roma, ruis. Iamque ore trifauci
Cerberus Henricus Furias irritat in Vrbem.
Latranti caput obijciam? ſed paſtor ouile
Indomitis obiecto lupis. Non horreo lethum;
Horreo ſed ſtrages animorum. Crimina cerno,
Cæſaris impuri cum milite, frangere ſepta,
Et ſacras temerare vias; vbi gurgite puro
Vulneribus Diuûm profluxit Erythra cruoris.
Quò Pietas Latij fugis hoſpita? Siſtite, Romæ
Lumina, Virtutes: ne temnite cordis aſylum,
Agmina caſta, mei; donec deferueat æſtus.
Cara Fides, inuicta Fides, ne deſpice noſtrum,
Dite furente, ſinum. Pelago iactata, natabis
Ad Vaticani per victa pericula rupem.
Eminet hæc feſſis ſtatio Virtutibus: hìc te
Incolumem excipiam, noſtrâque in ſede locabo.

Roma Martyrum ſanguine tota reſperſa.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXI.

ARGVMENTVM.

Obſeſſam triennio Romam tandem Henricus inuadit. Hac diſtrahitur in factiones. Pars Guelpha dicitur, quæ Pontifici fauet: pars Ghibellina, quæ Henrico. Hic obſidet in arce Gregorium VII. Soluitur obſidio aſtu Roberti. Liberatur Pontifex. Secedit Henricus in Auentinum. Ibi lapidis ictum & mortem exit. Ex Italia pellitur à Methilde. Regno à filijs, vita orbatur à dolore. Minor Henricus cum exercitu Romam redit. Guelphor. & Ghibell. peſtem latè ſpargit. Creſcit in Hetruria arte Doli atque Diſcordiæ: Donec poſt 2. ſecula ad has turbas comprimendas è cælo mittitur Cæleſtinus.

INſonuere tubæ: denſato milite, muros
Hoſtis habet: circumpoſitas quatit ariete turres,
Exploratque aditus. Nunc lampada iactat, & ignes
Affigit lateri: nunc ſcandere pontibus arces;
Nunc vallum certat reſcindere. Pellere vallo
Nititur Auſonidum pubes. inuicta Quiritum
Non ferro aut ignî cedit vis: vincitur auro.
Proh noſtræ probrum virtutis! Roma Gigantum
Patria, victorum victrix, lex vnica legum,
Et Regum Regina potens, quæ proterit Orbem,
Et ſolium locat in cælo, quam Gloria pennis
Famaque ſuſtollit, quam nec Bellona volantem,
Nec Mars mole ſuâ, Regnorumque omnibus armis,
Opprimit, opprimitur flauo malè ſana metallo,

In-

Incumbitque ſibi. Leuis eſt cui ſarcina Mundus,
Auro deijcitur tantùm, ſudatque rapinis
Non armis. Tatij ſic fraudibus, obruta virgo
Armillis Tarpeia fuit; quæ prodidit arcem,
Prodita luce auri, ſpecioſoque abdita buſto.
Dum Romana graui perfringere mœnia ferro
Haud valet Henricus, corrumpit pectora donis.
Haſta aperit poſtes argentea. Teutones Vrbem,
Armati circumſiſtunt: diſcrimine nullo
Omnia proturbant, innantes cæde, phalanges.
In caput, inque humeros, in pectora quadrupedātes
Strata mouent: gladijs intercurrentia rumpunt
Corpora: fidentes ſe ferro inferre, cruoris
Flumine demerſos crudeli funere truncant.
Non ſecus, aggeribus ruptis, violentior amnis
Fluctibus alternis procurrit, & omnia tundit,
Inque vias, inque arua vndas, furiaſque refundit,
Cunctaque cum lymphis ſepelit formidine cæcâ.
Facta quid Henrici memorem, ſignanda Tyranni
Sanguine, ſerpentum ſanie, penniſque Celænus
In Barathri faſtis? Latiæ quid funera gentis?
Sæuior ille feris, ſub rupe Libyſtidis oræ
Quas feritas aluit; cum flumina ſanguinis irent,
Non ſcelus erubuit, dirum, illætabile monſtrum.
Fluctibus Oceani, preſſoque ferocius angue
Heu ſcelerum tabo Romanas polluit aras,
Cæde vias, furtis ædes, & Templa tumultu,
Septa Pudicitiæ ſtupris. Se turbidus infert
Henricus, ceu paſtus aper, ſitienſque cruoris.
Nec credit viciſſe gigas, detrudat ab aſtris
Ni multa cum cæde Iouem, ſolioque reuellat
Gregorium. Romæ ſeptenis montibus errat,

Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci. huius filiam Virginem auro corrumpit Tatius, vt armatos in arcem accipiat Tit. Liuius Dec. 5. lib. 1.

Triennio Romam obſidet, ſed fruſtra. Subornat donis Ciues Romanos, & Vrbem occupat An 1003. Oſtienſ. lib. 8. c. 52.

Pars Romanorum Henricum, pars Gregorium ſequitur. Hi Guelphi, illi Ghibellini vocantur. Hinc ortæ factiones, & hæc nomina ſumpta à Germanis.

Hoc, & quod ſequitur, vide apud Spondan in Ann. Eccl. t. 2. ad an. 1084.

Romanoſque armat, quos vicerat improbus auro,
In Dominum numenq; ſuū. Pars Guelpha vocatur,
Gregorio quæ fida, parat defendere veri
Pontificis partes, ſolioque arcere rebelles.
Pars infida Ghibellino tumet altera faſtu,
Germano mores titulumque è milite ducens.
Sic Romana phalanx ſecum contraria pugnat,
Vna duplex, ſeſêque minor duplicata, triumphis
Victa ſimul victrixque ſuis: quæque vna ſubegit
Omnes Imperio terras, Duce perditur vno;
Dum ſe multiplicat, Capiti nec ſubditur vni.
   Priuatis odijs furor vndique bullit, & arma
Prouocat in ſtrages. prognati ſanguine eodem,
Sanguinis enſe trahunt cognato è corpore riuos.
Vt leo, qui prædam cumulat, mox incubat ore,
Et nece perfruitur; ſic hoſtibus imminet atrâ
Henricus ceruice. placet recaleſcere pugnas.
Ipſe inter medias acies incendia miſcet:
Ciuibus opponit ciues, acuitque furores;
Et Romam, Fidei ſata læta, beataque cæli
Arua metit ferro, vel deuorat impius igne.
Nexuit haud aliter vulpes in publica Sampſon
Damna: Philiſteos mox impulit ire per agros
Cum face poſtica: frumenta atque hordea flammis
In ſtipula crepitare leui, procumbere ariſtas
Vidit, & in cineres flauentia ſoluere colla.

Gregor. VII. Romanis diffidens in Aelia ſe turri cõmunit, quam obſidet Henricus. Id. Sp.

   Vaſtatis agris, lacerato victor ouili,
Paſtorem petit Henricus. Iamque agmina muris,
Queis latet, impingit. Labat Ælia turris opum vi,
Turbatique intus trepidant. Cum victor eois
Aduolat ex oris belli bona flamma, Robertus,
Ingenio pugnaturus, non cæde Latinâ.

Iun-

Iuncta catenatis Henrici robora caſtris
Protinus exoluit: malè fidâ ſubmouet arce
Gregorium, profugumque tegit. Regina volantum
Haud aliter colubri vallum impenetrabile frangit,

Liberatur à Roberto, & Roma diſcedit. Id.

Diſcerpitque ferox ſinuoſa volumina, & exit.
Hinc montes laſſata petit; vicinaque Soli,
Huius ab ore faces haurit, reparatque vigorem,
In ſæuos ruitura iterum, ſed fortior angues.
Vt premat ergo faces facibus, ſub nocte ſilenti
Imperat in ſeptem ſuccendi montibus ignes,
Et Romæ per tecta iaci. Vulcanus habenis
Perfurit immiſſis, equitatque in turbine circum.
Dumque vocant pauidos vicina pericula ciues,
Fluminaque infundunt flammis, deluditur hoſtis,
Diſtractiſque metu ſummæ cuſtodibus arcis,

Fit in Vrbe incendium à Roberto, vt Põtifex diſcedat in extinguendo igne ciuibus occupatis. Id.

Gregorius procul Vrbe fugit. Sic flamma nocendo
Iuuit, & innocuo violauit crimine Romam.
Tunc animo curas Henricus ductus in omnes,
Collis Auentini ſua vertice contrahit arma,

Henricus in Collem Auentinum ſe recipit. Id.

Atque hic Romani meditantem fata Parentis
Aggreditur miſeranda lues, acieſque feroces
Vincit. Auentini, Romæ Mors vlta labores,
In buſtum iuga conuertit. Non fulgurat haſtis,
Oſſibus albeſcit, ſtratoque cadauere campus.

Peſtis exercitum Henrici conſumit, ne vno quidem in Romæ præſidijs relicto. Idem.

Ampliùs haud turget faſtu, ſed tubere miles:
Nec iam Marte calet, natis ſed in inguine prunis.
Peſte mori Draco non pauitas, Henrice. colubris
Nulla venena nocent, animant qui peſte medullas.
Voluere dum Fidei ſaxum inuiolabile tentas
In præceps Vaticano de vertice; ſaxum
Fata tibi fabricat. Sed funera diſtulit ira
Numinis, vt proprij lacerent tibi viſcera nati,

Miles ex edito loco in Henrici caput ingentem lapidẽ iacit: ſed dum hunc attollit, vt iaciat, ipſe cum lapide cadens occumbit irrito ictu. Id.

Schiſmate qui laceras, Mundi præcordia, Romam.
Culmine Auentino dum ſæuus inambulat, & ſe
Aſpectu cinerum, dux prouocat igne furoris,
Dumque artus inter pallentes pallet ab ira;
Pontificis miles tumuli de vertice pendens,
A tergo clam ſubiecto ſupereminet hoſti,
Ingentemque manu lapidem ſuſtollit, & inquit,

Militis Pontificij ſaxum librantis preces

Non linguâ, ſed corde. Deus, Rex maxime regum,
Fortia debilibus qui frangis, grandia paruis,
Innumeras, vno mê milite, vince cohortes.
Saxa terunt feriuntque angues: caput ipſe Draconis
Henrici feriam, colubroſque fugabo. Gigantem,
Te moderante manum, potuit ſi trudere ſaxo,
Seminecemque ſuo Dauid configere telo;
Te ſequor: in vulnus, Pater hanc tu dirige dextram.

Abſciſſus eſt lapis de mõte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, &c. Daniel. 2. Cadit cum lapide miles.

Vinco tibi, Romæque tuæ. Simulacra ſuperbi
Principis ardebant triplici quæ ficta metallo,
Diſſiluere leui penitus contrita lapillo.
Da lapidi robur, fragili quem torqueo dextrâ;
Et iacio. Dixit; ſaxumque immane lacertis
Deiecit, ſeſeque ſuper, cum mole labantem,
Ponderis impulſu, camporum fudit in æquor.
Mons caſu intonuit: tremuerunt caſtra: ſed ictum
Exijt Henricus. ſuaque inter millia, fractâ

Henricus militi moribundo verbis inſultat.

Vidit vbi ceruice virum: Quid, perfide; dixit,
Deſuper immiſſo ſperaſti frangere ſaxo,
Quem nec Roma poteſt ſepteno condere monte;
Et ſi labatur, totus non obruet Orbis?
Vile caput, tua fata rotas. & mobile buſtum,
Hæc dum ſaxa moues, infelix Siſyphe. Quamquam
Haud hoc te dignor tumulo, ſed funere dignor
Multiplici. Laniate, acies, infida iacentis
Mem-

Membra; nec auulſi ſuperet pars vlla ſepulchro.
At iuuenis moriturus obit procul agmina viſu:
Ac velut in vaſtum rupes quæ concidit æquor,
Æquoreis immota Notis: Sæuiſſime, clamat,
Tolle minas,tumulumque nega: mihi gloria buſtum
Immortale feret, preſſumque hoc pondere Fama
Efferet in cælum. Sola hæc me cura laceſſit,
Quòd non Sampſonis procumbo ſorte, tuumque
Non mecum caput inuoluo, perituraque caſtra;
Nec, quas Italiæ ſubmittis, comprimo flammas.
Hæc ait, infremuitque ferox, & membra laniſtis
Obtulit innumeris. Coſtis hic exigit enſem:
Perforat ille latus: molitur in exta cruento
Ille viam ferro: terebrantur lumina telis:
Labra reſecta cadunt: radicibus eruta lingua
Palpitat, obloquiturque ſilens, hoſtique minatur.
Membris membra carēt,mēbris nec vulnera deſunt:
Vni omnes inſtant. Henricus paſcitur iras,
Nec ſua fata videt; qui mox ſua viſcera natis
Dilaceranda dabit, lictore cupidine Regni,
Improba quod rapiet, patris cum ſanguine, proles.
Excute,Roma,iugum,nexuſque abrumpe Tyrāni;
Romanæ dum Methildes pietatis Amazon
Auxiliatrices acies in prælia mittit.
Danubium repetit: ſcelerumque libidine turgens,
Fluctibus in proprio tandem iactabitur alueo.
Hìc Fortuna tuis orcheſtram præparat actis:
Hìc ſaltus, Henrice, dabis, de culmine Regni
Pulſus ob inuidiam. Nati te, barbare, nati
Inuadent ferro pauitantem, & dira timentem
Supplicia. Errabis profugus per teſqua, per vrbes
Exul, & vmbra Ducum. ſe tradere pacis iniquæ
Sub

Militis morientis generoſitas & vox.

Diſcerpitur ab exercitu Henrici.

Methildes copias ſuas in Romæ præſidium mittit. Ex Baren.

Henricus Germaniam repetit.

Ordo Pontif. quos læſit. Gregor. VII. Victor 3. quem creditur occidiſſe illito ſacro calici veneno. Vrb. II. ſub quo ſacrū bellum à Petro Eremotum impediuit. Paſchalis II. ſub quo eius filius Eccleſiam turbauit.

Sub leges optabit inops ; & ad Itala ſupplex

A Corrado primùm, mox ab Henrico filiȷ̄ vexatus fruſtra Pont. implorat auxilium. Omnes Hiſt. eius t.

Regna cadet, ſocia arma rogās, quę perdidit armis.
Pontifices implorabit : Crocodilus & ore
Subdolus, effuſo lacrymas pro ſanguine pendet.
Sed ſcelus in foueam, quam fabricat, incidit. Ille,
Ille preces Italûm ſurdâ qui reſpuit aure,
Non auditus, & extorris, pila, follis, & aura
Fortunæ ludentis, opum non lumina quæret,
Lumina ſed Solis miſeris communia, vilem
Pro regno ſolioque caſam, pro ſyrmate pannum.
Mox animam exoſus lucemque, abrumpere vitam

Obit præ rabie morte repentina an. æt. 55. quinquennio iacuit in ſepultura beſtiarum Baron. ad an. 1106.

Impauido mucrone volet. ſed rumpet egeſtas,
Et dolor, & rabies, & deſperatio. multùm
Ille ſibi, Superiſque grauis, morietur inultus,
Vlciſcente Deo. nec dirum terra cadauer
Excipiet : nunquam cineres aut oſſa quieſcent:
E Templis eiecta quies, dominante Tyranno,
Cum Pietate procul, ſuperas nam fugit ad aras.
Funera vos, Furiæ; tædis vos iuſta Furores,
Henrico celebrate. ſuper, velamina nota,
Sanguine Romulidum maculatas ponite veſtes.
Cæca ſit ambitio tam cari præfica luctus :
Voſque, Ghibellini Guelphique, attollite corpus ;
Sandapilâque grauate rogum ; nigraque cupreſſu,
Funereiſque locum ſertis intendite : pectus

Henricus V. in Imperio ſuccedit. ter Italiam bello quaſſat, anathemate ſæpius ictus. Baron. & aliȷ̄.

Tundite; & inferias tandem vos mittite ad vmbras.
Obſcænas fœdo conſpergite ſanguine flammas :
Vos Hecatombe eritis, vos veſtri victima Regis.
Proh dolor! extincto, bellorum flamma, Tyranno
Viuit adhuc, patrijque Henricus criminis heres
Italiam rurſus ſceleratis alluit armis.
Arboris in morem creſcit ſcelus : arbore ramos
Vel-

Velle, comaſque ſeca: ramus non deficit alter,
Pullulat atque magis, de ſtipite natus iniquo.
Ramus ades, cumulaſque nefas, Henrice, paternum.
Ille Petri, flammis ſacra limina deſtinat. horror,
Aſt animo quod voluit opus, diſturbat, & auſus
Abſcidit. Impurus tu Templa laniſta profanas:
Grande pauimentum Romano ſanguine fœdas:
Terribiles aras, odeaque polluis: ipſum,
Quem veneratur humus, ſupplex cui ſubditur Æther,
Paſchalem expolias, vincliſque tenacibus arces.
Inde Ghibellinis iterum Guelphiſque colubris
Itala feruet humus; dum ſe Germania monſtris
Exonerat, peſtemque ſuam bello egerit. Atrâ
Tu lue corriperis decorum, Florentia, ſedes;
Piſaque bellantum genitrix, Sophiæque Senatus:
Luca, Magiſtra Senatorum, quos aurea Reges
Maieſtas facit & Pietas, Reſpublica factis
Magna, capaxque animis, vires cui libera Virtus
Præbet & Imperium. Charitum tu Patria tabo
Non mea Sena cares, Hetruſcæ gemma coronæ,
Palladis armatæ, pacatæque aula Mineruæ;
Hoſpitibus quæ cor pandens, corde hoſpita viuis;
Virginis auſpicijs tituloque decora; ſagittas
Quæ torques vel amore leues, vel Marte feroces;
Quæ terris, quos mater alis Reginaque ciues,
Filia mox Cælo colis obſequioſa parentes,
Sanctorumque aſtris populum tranſcribere gaudes.
Heu quæ Germani tibi ſemen, Hetruria, belli
Dextra iacit, ſubigitque agrum inſitione pudendâ!
Prima metis iacto, Florentia, ſemine meſſem,
Fatalem populis meſſem, mortiſque cicutam.
Quà ſpatioſa foro protenditur area, ſignum
Mar-

Henricus V. cum à Paſchale II. in teplo B. Petri coronaretur, petijt iniqua ſibi in Eccleſiam Iura confirmari præſertim conferendi Epiſcopor. inſignia Renuit Pontifex. bello violatum eſt templum, ſanguine, luctu. Pontifex cum Cardinalibus raptus ab altari, ſpoliatus, vinctus, detruſus in carcerem. Baron. t. 12 ad an. 1111.

Florentia Guelphorũ, & Ghibellinorũ partibus inſanit.

Piſa.

Luca.

Sena.

Sena Ciuitas Virginis, & SS. patria.

Vnde natæ Florentiæ prima Guelphorũ & Ghibellinorum prælia.

Occaſione puellæ deſponſæ, et mox à ſponſo repudiatæ, ante Martis idolum, olim à Florentinis adoratũ, inter duas nobiles familias primũ, ac ingens præliũ Guelphorum, et Ghibellinorum ortum eſſe hiſtoria eſt non fabula, quam refert. Io. Vill. par. 1. l. 5. c. 30

Martis erat ; cui thura olim , cui corda vouebat
Cæca ſuperſtitio; nunc artis pompa , locique.
Horreſcit ſtrictâ manus haſtâ , caſſide vultus ;
Complexuſque forum, gelido de marmore flammas
Euibrat irarum : pueri ſed flore recenti
Terribilem cogunt faciem miteſcere : ſertis
Intexunt galeam , ramiſque virentibus haſtam .
  Martius , exactis alijs iam menſibus anni ,
Excierat ciues ad ludicra prælia . cœtu
Complerant fora iucundo , ludoſque parabant ,
Thuſcia quos docuit. Circo loca ſorte leguntur.
Donatus formâ inſignis ; violentus & irâ ,
Quam ſuccendit amor , bellator Amideus aſtant
Ductores gemini . Miti ſub fronte furorem
Diſſimulant , tacitiſque odijs incendia paſcunt ,
Quæ Vulturna parit vultu . creuere ſed ignes
Seſe Donati poſtquam deflexit amori ,
Riualemque procum deſpexit. Hic improbus æſtu,
Et Veneris pugnâ victus, certamina Martis
Aggreditur, ludo iaceret qui ſemina cædis ,
Et veteres Cypriæ ſatiaret ſanguine flammas.
  Ergo vertuntur medijs in millibus enſe
Terribiles ambo : ſpatia in præſcripta recedunt:
Veſtibus effulgent varijs , ſuaque agmina ducunt.
Ille Ghibellinos , hic Guelphos inſtruit : alas
Pars aquilæ criſtis aptat ; pars altera cycni .
Illa rubet vittis ; hæc albet: balteus illi
Subniger excurrit dorſo , & ſubnectitur auro ;
Huic candet,fluitatq; humeris,ceu ſpuma procellæ.
Signa etiam diuerſa notis iactantur : olores ,
Et coruos videas, aquilaſque ; auerſaque ſignant
Pectora bellantum . Toto canit æthere ludos

Iam tuba feſta, viroſque ciet; laudiſque cupido
Omnibus arrigitur. Cum protinus ire per auras, *Follis ludus Florentiæ ſolemnis.*
Atque auras deferre ſinu per inania follem
Aſpiciunt: volitat ventus cum carcere liber.
Libera libertas non eſt; nam vincula defert:
Orbe latet, totoque procul diſpellitur Orbe:
Abſque domo fert ille domum: ſubit aſtra: fugatur:
Ima ſubit: reſilit. Ventoſi prælia vento
Exagitant iuuenes: pellunt dextrâ, atque repellunt.
Corruit ille iterum: leuis aëre truditur aër:
Ictibus impatiens obmurmurat: altaque rurſus
Nubila metitur curſu; ſi fortè globoſa
Excipiant miſerata globum: patiturque repulſam
Indignabundo præceps cum murmure. Pubes
Æmula diſcurrit, follemque capeſſere geſtit.
Labitur ille manu: dum truditur, exilit: iras
Dum turget ventis, euentilat. emicat ardor
Bellicus: inſurgunt iuuenes, rapiuntque, feruntque; *Res agitur pugnis.*
Et pro folle caput raptorum tunditur. inde
Crebreſcit pugnis noua pugna: impreſſa tumeſcunt
Tubera luminibus: frons liuet eburnea, nigro
Iuncta ebeno; pulchrâque oculi de nube coruſcant.
Scilicet audaces, digitis coëuntibus, armant
Abſque armis dextras, proq; arcu brachia torquent,
Pro ſaxis iaculiſque manus. In verbera pendet
Prona iuuenta; vibratque oculos, animataque tela
Dirigit in vulnus: pugniſque ſonantibus ora,
Et malè concrepitant malæ, ſonituque choreas,
Exercent dentes. Liuentia tempora circum
Itque reditque manus, ſtrepituſque alternat & ictus.
Ille fugit, retròque genas ſubducit ab ictu.
Stat grauis ille, gradumq; tenet, dextrâque pauendâ

Eri-

Erigit inſultans; niſuque immotus, in hoſtem
Fert oculos, dextram, vires, & vulnera: dextra
Ipſa ſibi plaudit geminato verbere: palma
Preſſa refert palmas ſine sãguine: preſſaque, in vrbe
Bella premit maiora: odijs, quæ pallida liuent,
Exiguo liuore litat, ſubitòque medetur.
Hæc dum bella calent, ſed bellula bella, flagellum
Armatâ quatiens dextrâ, Diſcordia venit
In medias acies, nebulâ ſed tecta nigranti.
Ponè Dolus ſequitur, Martiſque in ſigna cruenti
Nubilus ingreditur, latitatque; vt ſanguine multo
Fœda Ghibellinis & Guelphis ingerat arma.

Hoc ludo Florentiæ maioribus odijs fit medela.

Diſcordia clam ludentium ſe turmis immiſcet, & cum ipſa Dolus, qui ſtatua ſe Martis abdit ad inſidias.

Ergo, dum patrio ludis de more ſolutis,
Victores victique ſimul ſimulacra coronant
Martis, & inuoluunt ramis frondentibus haſtam.
(Mens fugit, & gelidâ torpet formidine ſanguis)
Viſa referre facem metuendi fulminis haſta;
In colubrum laurus migrare, & lambere linguis
Fulmina flammiuomis; animari ſaxa; fauillis
Scintillare oculos; & pectora fundere flammas.
Ebullit furor in labris, ſcopuluſque furoris
Fit, flammâ ſtagnante, lapis; ſimulacraque viuunt,
Innumeras paritura neces. Dum viuida Mauors
Lumina circumagit, triſti vox proruit ore.
Pergite, ſemiuiri Guelphi; contendite pugnis;
Linquite & arma Viris: oculis liuentibus, alti
Sanguinis oſtentate notas. hæc atra cicatrix
Fronte ſedens inuicti roboris argumentum eſt.
Non vos bella iuuant: venis ſeruate cruorem,
Magnanimámque animã ſub pectore cõdite. Martẽ,
Sic colitis, Floræ nati, Veneriſque nepotes?
Sanguine Mars colitur, non floribus: ignea tela,
Non

Martis haſta fit fulmen: ipſa ſtatua viuere viſa eſt & furere.

Simulacrum loquitur, & Guelphis torporem improperat.

Non digitos ſtringunt in pugnum, Martis alumni. *Floribus idẽtidem hoc ſimulacrum coronabant.*
Reſpuo thura, meis quondam fumantia templis.
Fument corda mihi, tædis modo cæca furoris.
Nec doleo ceſſiſſe Deo. Si torpet in ara;
Cordibus at viuat mea flamma. Hæc verba fuere
Verbera Bellonæ, & ſcelerati claſſica belli. *Idoli vocibus pugna incenditur, & committitur.*
Nec iam ſe capit ira: animis audacibus vltrò
Inſinuatur amor cædis, coſtiſque vaporat.
Guelpha amens fremit arma cohors:ſimiliq; requirit
Ghibellina fragore phalanx. Dolus arma miniſtrat,
Obuia vicinis deprompta ex ædibus. œſtrum
Vnica militiæ lex eſt, & cauſa libido.
Extimulat cæcas ductrix inſania turmas.
Haud aliter ſi quis Lemurum diſcerpitur intus *Energumenus.*
Obſidione, Stygemque gerit ſub pectore; fibræ
Hoſpitibus trepidant inuiſis: arma, catenas,
Clauſtràque diſrumpit:fratrem,natumque patrẽque
Morſibus aggreditur: ſe dente cruentat,& vlla
Non potis eſt retinere manus: ſe proripit; & ſe
Saxa per & ſcopulos iactat, gaudetque perire.
Longa tamen, ſimiliſque Stygi mors viuit, & artus
In mortes animat multas: tremit; vritur; alget;
Exertat linguam: diſtorquet lumina; figit;
Sternitur: aſſurgit; pallet; fert Tartara vultu.
Vt canis oblatrat; ceu vipera ſibilat; hinnit
Vt ſonipes; mugit ceu bos; vlulatque luporum
More, diemque fugit, funeſtaque buſta vagatur:
Præmordet ſibi mẽbra: ſinu Phlegethonta recludit,
Inſtillatq; labris; lacrymaſque, metumque, doloréq;
Aſpectu parit horribili. Sic Tuſca iuuentus
Flebile adorta nefas, diri capit orgia belli;
Dum Dolus, antiqui ſub imagine Martis, anhelat

Bel-

Bellantum ſub corde, faceſque in viſcera ſubdit
Intima. Fatali iam ſanguine purpurat Arnus:
Ire pudet, nemorumque petit perterritus vmbras:
Se tegit arboribus: dolet humida terga grauari,
Congeſtiſque cadaueribus conſiſtere lymphas.
Aufidus haud aliter curſus frenauit aquarum,
Murmureque ingemuit: putri palleſcere monte
Dum ſua proſpexit cryſtalla, atque aggere mortis
Reſlua ſtagna mori, medio quem barbarus alueo
Annibal oppoſuit, repreſſitque oſſibus vndas,
Sanguine Romano quas iuſſerat ire tumentes.

Arnus cadaueribus impletur. Documenta Romanæ Cladis cruentus aliquandiù Aufidus. Pons de cadaueribus iuſſu ducis factus in terrorem L. Flor. l. 2. c 6.

Corpora dum letho dantur, videt agmine aperto
Donatum Amideus; ſimul increpat. Hoſtis amare,
Huc ades, & comitem victis te iunge cateruis.
Pacta mihi tua ſponſa vtinam te ſanguine multo
Mactatum aſpiceret, quæ noſtro illuſit amori
Crudelis, fideique, dedit quam ſæpè, rebellis.
Hos thalamos infida habeat. Lucina, mariti
Sit Libitina; Viri dotanda es vulnere virgo,
Hæc ait & vaſtis cum viribus erigit enſem,
Se ſuper ipſe ferens & vulnera, feruidus irâ.
Nec minus Amideus, dextrâ reſpondeo dictis,
Hoſtis, ait, gladiumque mouens in pectus vterque,
Vulnere vterque ruit, fatoque abſumptus eodem.
Dum cruor erupit, ſtetit illico, & horruit: hoſtis
Noluit inuiſo miſceri ſanguine ſanguis.
Sic poſtquam faſces bellatrix Roma recepit,
Concurrere odijs paribus, concordibus armis,
In ſua fata Arunx Brutuſque; animaſque ſuperbas
Confoſſi geminis haſtis vomuere: nec alter
Aut vicit, victuſque fuit: ſuperauit vtrumque
Mors Regina, bibitque oſtrum de ſanguine Bruti,
Tar-

Proci Amideus, & Donatus pugna congreſſi. Primò ſe feriunt verbis.

Guelphorum, & Ghibellinorum Duces in bello cadunt. Tarquinij tãdiù dimi aue runt; donec Aruntem filiũ Regis manu ſua Brutus occidit, ſuperque ipſo mutuo vulnere expirauit. L Flor. l. c. 10.

Tarquinios potuit Reges qui pellere Regno.
Extinctis acies Ductoribus, impete bellum
Decernunt ductore ſequi. Victoria nuſquam eſt:
Sæuit vbique furor: nulli mora libera mortis.
Corripit Auleſtis crinem, iugulumque Gilippus
Occupat. hic palmas ſupplex cum voce tetendit:
Abſcidit ille manus ambas, iuguloque calentem
Immerſit gladium. Gaddus diſiecit Orontis,
Corpore connixus toto, cum pectore coſtas.
Lambertus ferit Vmbertum, Pyrrhumque Filantes:
Soldanus iaculo præteruolat ora Rinaldi.
Hic per ſcuta animam veſtigat certior ictu:
Huic adigit latus haſta: ſudes huic pectora rũpunt:
Hunc lapides frangunt: huic ilia traijcit enſis.
Interea Hetruſcas it pernix fama per vrbes,
Matribus atque refert abijſſe in funera ludos.
Approperant miſeræ, natoſque in bella furentes
Vt videre; manus voceſque ad ſidera iactant,
Si poſſint mulcere animos. ſed verba tumultu
Non audita volant: matres dolor vrget inermes.
Armatos penetrant cuneos, natoſque laborant
Siſtere complexu, lacrymiſque. ſed improbus ardor
Perfurit in lacrymis, & dulcia frangit amoris
Vincula complexus; nec ſanguine ſanguinis ira
Vincitur. Oſtentant pugnantibus vbera: at angui
Si lac propines, erit immedicabile virus.
Muneris immemores ſitiunt pro lacte cruorem,
Vulnera pro mammis. Dirimentes prælia matres,
Proh ſcelus! obtruncant, vel terrent enſe. Moloſſus
Haud aliter, quem longa ſitis, viſque ignea venis
In rabiem adduxit, ſpumat contagia; abundat
Fauce liquor fluidus, ſtillati vena furoris,

Matres nituntur filios à bello remouere, ſed fruſtra.

Venenum lacti commixtũ immedicabile

Canis rabidus.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXI.

ARGVMENTVM.

Obſeſſam triennio Romam tandem Henricus inuadit. Hæc diſtrahitur in factiones. Pars Guelpha dicitur, quæ Pontifici fauet: pars Ghibellina, quæ Henrico. Hic obſidet in arce Gregorium VII. Soluitur obſidio aſtu Roberti. Liberatur Pontifex. Secedit Henricus in Auentinum. Ibi lapidis ictum & mortem exit. Ex Italia pellitur à Methilde. Regno à filijs, vita orbatur à dolore. Minor Henricus cum exercitu Romam redit. Guelphor. & Ghibell. peſtem latè ſpargit. Creſcit in Hetruria arte Doli atque Diſcordiæ: Donec poſt 2. ſecula ad has turbas comprimendas è cælo mittitur Cæleſtinus.

INſonuere tubæ: denſato milite, muros
Hoſtis habet: circumpoſitas quatit ariete turres,
Exploratque aditus. Nunc lampada iactat, & ignes
Affigit lateri: nunc ſcandere pontibus arces;
Nunc vallum certat reſcindere. Pellere vallo
Nititur Auſonidum pubes. inuicta Quiritum
Non ferro aut ignî cedit vis: vincitur auro.
Proh noſtræ probrum virtutis! Roma Gigantum
Patria, victorum victrix, lex vnica legum,
Et Regum Regina potens, quæ proterit Orbem,
Et ſolium locat in cælo, quam Gloria pennis
Famaque ſuſtollit, quam nec Bellona volantem,
Nec Mars mole ſuâ, Regnorumque omnibus armis
Opprimit, opprimitur flauo malè ſana metallo,

In-

Incumbitque ſibi. Leuis eſt cui ſarcina Mundus,
Auro deijcitur tantùm, ſudatque rapinis
Non armis. Tatij ſic fraudibus, obruta virgo
Armillis Tarpeia fuit; quæ prodidit arcem,
Prodita luce auri, ſpecioſoque abdita buſto.
Dum Romana graui perfringere mœnia ferro
Haud valet Henricus, corrumpit pectora donis.
Haſta aperit poſtes argentea. Teutones Vrbem,
Armati circumſiſtunt: diſcrimine nullo
Omnia proturbant, innantes cæde, phalanges.
In caput, inque humeros, in pectora quadrupedātes
Strata mouent: gladijs intercurrentia rumpunt
Corpora: fidentes ſe ferro inferre, cruoris
Flumine demerſos crudeli funere truncant.
Non ſecus, aggeribus ruptis, violentior amnis
Fluctibus alternis procurrit, & omnia tundit,
Inque vias, inque arua vndas, furiaſque refundit,
Cunctaque cum lymphis ſepelit formidine cæcâ.
Facta quid Henrici memorem, ſignanda Tyranni
Sanguine, ſerpentum ſanie, penniſque Celænus
In Barathri faſtis? Latiæ quid funera gentis?
Sæuior ille feris, ſub rupe Libyſtidis oræ
Quas feritas aluit; cum flumina ſanguinis irent,
Non ſcelus erubuit. dirum, illætabile monſtrum.
Fluctibus Oceani, preſſoque ferocius angue
Heu ſcelerum tabo Romanas polluit aras,
Cæde vias, furtis ædes, & Templa tumultu,
Septa Pudicitiæ ſtupris. Se turbidus infert
Henricus, ceu paſtus aper, ſitienſque cruoris.
Nec credit viciſſe gigas, detrudat ab aſtris
Ni multa cum cæde Iouem, ſolioque reuellat
Gregorium. Romæ ſeptenis montibus errat,

Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci. huius filiam Virginem auro corrumpit Tatius, vt armatos in arcem accipiat Tit. Liuius Dec. 5. lib. 1.

Triennio Romam obſidet, ſed fruſtra. Subornat donis Ciues Romanos, & Vrbem occupat An 1003. Oſtienſ. lib. 8. c. 52.

Pars Romanorum Henricum, pars Gregorium ſequitur. Hi Guelphi, illi Ghibellini vocantur. Hinc ortæ factiones, & hæc nomina ſumpta à Germanis. Hoc, & quod ſequitur, vide apud Spondan in Ann. Eccl. t. 2. ad an. 1084.

Romanoſque armat, quos vicerat improbus auro,
In Dominum numenq; ſuũ. Pars Guelpha vocatur,
Gregorio quæ fida; parat defendere veri
Pontificis partes, ſolioque arcere rebelles.
Pars infida Ghibellino tumet altera faſtu,
Germano mores titulumque è milite ducens.
Sic Romana phalanx ſecum contraria pugnat,
Vna duplex, ſeſêque minor duplicata, triumphis
Victa ſimul victrixque ſuis: quæque vna ſubegit
Omnes Imperio terras, Duce perditur vno;
Dum ſe multiplicat, Capiti nec ſubditur vni.
Priuatis odijs furor vndique bullit, & arma
Prouocat in ſtrages. prognati ſanguine eodem,
Sanguinis enſe trahunt cognato è corpore riuos.
Vt leo, qui prædam cumulat, mox incubat ore,
Et nece perfruitur; ſic hoſtibus imminet atrâ
Henricus ceruice. placet recaleſcere pugnas.
Ipſe inter medias acies incendia miſcet:
Ciuibus opponit ciues, acuitque furores;
Et Romam, Fidei ſata læta, beataque cæli
Arua metit ferro, vel deuorat impius igne.
Nexuit haud aliter vulpes in publica Sampſon
Damna: Philiſteos mox impulit ire per agros
Cum face poſtica: frumenta atque hordea flammis
In ſtipula crepitare leui, procumbere ariſtas
Vidit, & in cineres flauentia ſoluere colla.

Gregor. VII. Romanis diffidens in Aelia ſe turri cõmunit, quam obſidet Henricus. Id. Sp.

Vaſtatis agris, lacerato victor ouili,
Paſtorem petit Henricus. Iamque agmina muris,
Queis latet, impingit. Labat Ælia turris opum vi,
Turbatique intus trepidant. Cum victor eois
Aduolat ex oris belli bona flamma, Robertus,
Ingenio pugnaturus, non cæde Latinâ.

Iun-

Iuncta catenatis Henrici robora caſtris
Protinus exoluit: malè fidâ ſubmouet arce
Gregorium, profugumque tegit. Regina volantum
Haud aliter colubri vallum impenetrabile frangit,
Diſcerpitque ferox ſinuoſa volumina, & exit.
Hinc montes laſſata petit; vicinaque Soli,
Huius ab ore faces haurit, reparatque vigorem,
In ſæuos ruitura iterum, ſed fortior angues.

Liberatur à Roberto, & Roma diſcedit. Id.

Vt premat ergo faces facibus, ſub nocte ſilenti
Imperat in ſeptem ſuccendi montibus ignes,
Et Romæ per tecta iaci. Vulcanus habenis
Perfurit immiſſis, equitatque in turbine circum.
Dumque vocant pauidos vicina pericula ciues,
Fluminaque infundunt flammis, deluditur hoſtis,
Diſtractiſque metu ſummæ cuſtodibus arcis,
Gregorius procul Vrbe fugit. Sic flamma nocendo
Iuuit, & innocuo violauit crimine Romam.

Fit in Vrbe incendium à Roberto, vt Pōtifex diſcedat in extinguendo igne ciuibus occupatis. Id.

Tunc animo curas Henricus ductus in omnes,
Collis Auentini ſua vertice contrahit arma,
Atque hìc Romani meditantem fata Parentis
Aggreditur miſeranda lues, acieſque feroces
Vincit. Auentini, Romæ Mors vltà labores,
In buſtum iuga conuertit. Non fulgurat haſtis,
Oſſibus albeſcit, ſtratoque cadauere campus.
Ampliùs haud turget faſtu, ſed tubere miles:
Nec iam Marte calet, natis ſed in inguine prunis.
Peſte mori Draco non pauitas, Henrice. colubris
Nulla venena nocent, animant qui peſte medullas.
Voluere dum Fidei ſaxum inuiolabile tentas
In præceps Vaticano de vertice; ſaxum
Fata tibi fabricat. Sed funera diſtulit ira
Numinis, vt proprij lacerent tibi viſcera nati,

Henricus in Collem Auentinum ſe recipit. Id.

Peſtis exercitum Henrici conſumit, ne vno quidem in Romæ præſidijs relicto. Idem.

Miles ex edito loco in Henrici caput ingentem lapidē iacit: ſed dum hunc attollit, vt iaciat, ipſe cum lapide cadens occumbit irrito ictu. Id.

Schiſmate qui laceras, Mundi præcordia, Romam.
Culmine Auentino dum ſæuus inambulat, & ſe
Aſpectu cinerum, dux prouocat igne furoris,
Dumque artus inter pallentes pallet ab ira;
Pontificis miles tumuli de vertice pendens,
A tergo clam ſubiecto ſupereminet hoſti,
Ingentemque manu lapidem ſuſtollit, & inquit,

Militis Pontificij ſaxum librantis preces

Non linguâ, ſed corde. Deus, Rex maxime regum,
Fortia debilibus qui frangis, grandia paruis,
Innumeras, vno mê milite, vince cohortes.
Saxa terunt feriuntque angues: caput ipſe Draconis
Henrici feriam, colubroſque fugabo. Gigantem,
Te moderante manum, potuit ſi trudere ſaxo,
Seminecemque ſuo Dauid configere telo;
Te ſequor: in vulnus, Pater hanc tu dirige dextram.

Abſciſſus eſt lapis de mõte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, &c. Daniel. 2.

Cadit cum lapide miles.

Vinco tibi, Romæque tuæ. Simulacra ſuperbi
Principis ardebant triplici quæ ficta metallo,
Diſſiluere leui penitus contrita lapillo.
Da lapidi robur, fragili quem torqueo dextrâ;
Et iacio. Dixit; ſaxumque inmane lacertis
Deiecit, ſeſeque ſuper, cum mole labantem,
Ponderis impulſu, camporum fudit in æquor.
Mons caſu intonuit: tremuerunt caſtra: ſed ictum
Exijt Henricus. ſuaque inter millia, fractâ

Henricus militi moribundo verbis inſultat.

Vidit vbi ceruice virum: Quid, perfide; dixit,
Deſuper immiſſo ſperaſti frangere ſaxo,
Quem nec Roma poteſt ſepteno condere monte;
Et ſi labatur, totus non obruet Orbis?
Vile caput, tua fata rotas. & mobile buſtum,
Hæc dum ſaxa moues, infelix Siſyphe. Quamquam
Haud hoc te dignor tumulo, ſed funere dignor
Multiplici. Laniate, acies, infida iacentis

Mem-

Membra; nec auulſi ſuperet pars vlla ſepulchro.
At iuuenis moriturus obit procul agmina viſu:
Ac velut in vaſtum rupes quæ concidit æquor,
Æquoreis immota Notis: Sæuiſſime, clamat,
Tolle minas, tumulumque nega: mihi gloria buſtum
Immortale feret, preſſumque hoc pondere Fama
Efferet in cælum. Sola hæc me cura laceſſit,
Quòd non Sampſonis procumbo ſorte, tuumque
Non mecum caput inuoluo, perituraque caſtra;
Nec, quas Italiæ ſubmittis, comprimo flammas.
Hæc ait, infremuitque ferox, & membra laniſtis
Obtulit innumeris. Coſtis hic exigit enſem:
Perforat ille latus: molitur in exta cruento
Ille viam ferro: terebrantur lumina telis:
Labra reſecta cadunt: radicibus eruta lingua
Palpitat, obloquiturque ſilens, hoſtique minatur.
Membris membra carēt, mēbris nec vulnera deſunt:
Vni omnes inſtant. Henricus paſcitur iras,
Nec ſua fata videt; qui mox ſua viſcera natis
Dilaceranda dabit, lictore cupidine Regni,
Improba quod rapiet, patris cum ſanguine, proles.
Excute, Roma, iugum, nexuſque abrumpe Tyrāni;
Romanæ dum Methildes pietatis Amazon
Auxiliatrices acies in prælia mittit.
Danubium repetit: ſcelerumque libidine turgens,
Fluctibus in proprio tandem iactabitur alueo.
Hìc Fortuna tuis orcheſtram præparat actis:
Hìc ſaltus, Henrice, dabis, de culmine Regni
Pulſus ob inuidiam. Nati te, barbare, nati
Inuadent ferro pauitantem, & dira timentem
Supplicia. Errabis profugus per teſqua, per vrbes
Exul, & vmbra Ducum. ſe tradere pacis iniquæ

Militis morientis generoſitas & vox.

Diſcerpitur ab exercitu Henrici.

Methildes copias ſuas in Romæ præſidium mittit. Ex Baron.

Henricus Germaniam repetit.

Ordo Pontif. quos læſit. Gregor. VII. Victor 3. quem creditur occidiſſe illito ſacro calici veneno. Vrb. II. ſub quo ſacrū bellum à Petro Er. motum impediuit. Paſchalis II. ſub quo eius filius Eccleſiam turbauit.

Sub

A Corrado primùm, mox ab Henrico filij vexatus fruſtra Pont. implorat auxilium. Omnes Hiſt. eius t.

Sub leges optabit inops, & ad Itala ſupplex
Regna cadet, ſocia arma rogāſque perdidit armis.
Pontifices implorabit: Crocodilus & ore
Subdolus, effuſo lacrymas pro ſanguine pendet.
Sed ſcelus in foueam, quam fabricat, incidit. Ille,
Ille preces Italûm ſurdâ qui reſpuit aure,
Non auditus, & extorris, pilâ, follis, & aurâ
Fortunæ ludentis, opum non lumina quæret,
Lumina ſed Solis miſeris communia, vilem
Pro regno ſolioque caſam, pro ſyrmate pannum.
Mox animam exoſus lucemque, abrumpere vitam

Obit præ rabie mortis repentina an. æt. 55. quinquennio iacuit in ſepultura beſtiarum Baron. ad an. 1106.

Impauido mucrone volet. ſed rumpet egeſtas,
Et dolor, & rabies, & deſperatio. multùm
Ille ſibi, Superiſque grauis, morietur inultus,
Vlciſcente Deo. nec dirum terra cadauer
Excipiet: nunquam cineres aut oſſa quieſcent:
E Templis eiecta quies, dominante Tyranno,
Cum Pietate procul, ſuperas nam fugit ad aras.
Funera vos, Furiæ; tædis vos iuſta Furores,
Henrico celebrate. ſuper, velamina nota,
Sanguine Romulidum maculatas ponite veſtes.
Cæca ſit ambitio tam cari præfica luctus:
Voſque, Ghibellini Guelphique, attollite corpus,
Sandapilâque grauate rogum; nigraque cupreſſu,
Funereiſque locum ſertis intendite: pectus

Henricus V. in Imperio ſuccedit. ter Italiam bello quaſſat, anathemate ſæpius ictus. Baron. & alij.

Tundite; & inferias tandem vos mittite ad vmbras.
Obſcænas fœdo conſpergite ſanguine flammas:
Vos Hecatombe eritis, vos veſtri victima Regis.
Proh dolor! extincto, bellorum flamma, Tyranno
Viuit adhuc, patrijque Henricus criminis heres
Italiam rurſus ſceleratis alluit armis.
Arboris in morem creſcit ſcelus: arbore ramos
Vel-

Velle, comaſque ſeca: ramus non deficit alter,
Pullulat atque magis, de ſtipite natus iniquo.
Ramus ades, cumulaſque nefas, Henrice, paternum.
Ille Petri, flammis ſacra limina deſtinat. horror,
Aſt animo quod voluit opus, diſturbat, & auſus
Abſcidit. Impurus tu Templa laniſta profanas:
Grande pauimentum Romano ſanguine fœdas;
Terribiles aras, odeaque polluis: ipſum,
Quem veneratur humus, ſupplex cui ſubditur Æther,
Paſchalem expolias, vincliſque tenacibus arces.
Inde Ghibellinis iterum Guelphiſque colubris
Itala feruet humus; dum ſe Germania monſtris
Exonerat, peſtemque ſuam bello egerit. Atrâ
Tu lue corriperis decorum, Florentia, ſedes;
Piſaque bellantum genitrix, Sophiæque Senatus:
Luca, Magiſtra Senatorum, quos aurea Reges
Maieſtas facit & Pietas, Reſpublica factis
Magna, capaxque animis, vires cui libera Virtus
Præbet & Imperium. Charitum tu Patria tabo
Non mea Sena cares, Hetruſcæ gemma coronæ,
Palladis armatæ, pacatæque aula Mineruæ;
Hoſpitibus quæ cor pandens, corde hoſpita viuis;
Virginis auſpicijs tituloque decora; ſagittas
Quæ torques vel amore leues, vel Marte feroces;
Quæ terris, quos mater alis Reginaque ciues,
Filia mox Cælo colis obſequioſa parentes,
Sanctorumque aſtris populum tranſcribere gaudes.
Heu quæ Germani tibi ſemen, Hetruria, belli
Dextra iacit, ſubigitque agrum inſitione pudendâ!
Prima metis iacto, Florentia, ſemine meſſem,
Fatalem populis meſſem, mortiſque cicutam.
Quà ſpatioſa foro protenditur area, ſignum
Mar-

Henricus V. cum à Paſchale II. in tẽplo B. Petri coronaretur, petijt iniqua ſibi in Eccleſiam Iura confirmari præſertim conferendi Epiſcopor. inſignia Renuit Pontifex. bello violatum eſt templum, ſanguine, luctu. Pontifex cum Cardinalibus raptus ab altari, ſpoliatus, vinctus, detruſus in carcerem. Baron. t. 12 ad an. 1111.

Florentia Guelphorũ, & Ghibellinorũ partibus inſanit.

Piſa.

Luca.

Sena.

Sena Ciuitas Virginis, & SS. patria.

Vnde nata Florentia prima Guelphorũ & Ghibellinorum prælia.

Digitized by Google

Occaſione puellæ deſponſæ, et mox à ſponſo repudiatæ, ante Martis idolum, olim à Florentinis adoratũ, inter duas nobiles familias primũ, ac ingens præliũ Guelphorum, et Ghibellinorum ortum eſſe hiſtoria eſt non fabula, quam refert. Io. Vill. par. 1. l. 5. c. 30

Martis erat; cui thura olim, cui corda vouebat
Cæca ſuperſtitio; nunc artis pompa, locique.
Horreſcit ſtrictâ manus haſtâ, caſſide vultus;
Complexuſque forum, gelido de marmore flammas
Euibrat irarum: pueri ſed flore recenti
Terribilem cogunt faciem miteſcere: ſertis
Intexunt galeam, ramiſque virentibus haſtam.
  Martius, exactis alijs iam menſibus anni,
Excierat ciues ad ludicra prælia. cœtu
Complerant fora iucundo, ludoſque parabant,
Thuſcia quos docuit. Circo loca ſorte leguntur.
Donatus formâ inſignis; violentus & irâ,
Quam ſuccendit amor, bellator Amideus aſtant
Ductores gemini. Miti ſub fronte furorem
Diſſimulant, tacitiſque odijs incendia paſcunt,
Quæ Vulturna parit vultu. creuere ſed ignes
Seſe Donati poſtquam deflexit amori,
Riualemque procum deſpexit. Hic improbus æſtu,
Et Veneris pugnâ victus, certamina Martis
Aggreditur, ludo iaceret qui ſemina cædis,
Et veteres Cypriæ ſatiaret ſanguine flammas.
  Ergo vertuntur medijs in millibus enſe
Terribiles ambo: ſpatia in præſcripta recedunt:
Veſtibus effulgent varijs, ſuaque agmina ducunt.
Ille Ghibellinos, hic Guelphos inſtruit: alas
Pars aquilæ criſtis aptat; pars altera cycni.
Illa rubet vittis; hæc albet: balteus illi
Subniger excurrit dorſo, & ſubnectitur auro;
Huic candet, fluitatq; humeris, ceu ſpuma procellæ.
Signa etiam diuerſa notis iactantur: olores,
Et coruos videas, aquilaſque; auerſaque ſignant
Pectora bellantum. Toto canit æthere ludos

Iam

Iam tuba feſta, viroſque ciet; laudiſque cupido
Omnibus arrigitur. Cum protinus ire per auras,
Atque auras deferre ſinu per inania follem
Aſpiciunt: volitat ventus cum carcere liber.
Libera libertas non eſt; nam vincula defert:
Orbe latet, totoque procul diſpellitur Orbe:
Abſque domo fert ille domum: ſubit aſtra: fugatur:
Ima ſubit: reſilit. Ventoſi prælia vento
Exagitant iuuenes: pellunt dextrâ, atque repellunt.
Corruit ille iterum: leuis aëre truditur aër:
Ictibus impatiens obmurmurat: altaque rurſus
Nubila metitur curſu; ſi fortè globoſa
Excipiant miſerata globum: patiturque repulſam
Indignabundo præceps cum murmure. Pubes
Æmula diſcurrit, follemque capeſſere geſtit.
Labitur ille manu: dum truditur, exilit: iras
Dum turget ventis, euentilat, emicat ardor
Bellicus: inſurgunt iuuenes, rapiuntque, feruntque;
Et pro folle caput raptorum tunditur. inde
Crebreſcit pugnis noua pugna: impreſſa tumeſcunt
Tubera luminibus: frons liuet eburnea, nigro
Iuncta ebeno; pulchrâque oculi de nube coruſcant.
Scilicet audaces, digitis coëuntibus, armant
Abſque armis dextras, proq; arcu brachia torquent,
Pro ſaxis iaculiſque manus. In verbera pendet
Prona iuuenta; vibratque oculos, animataque tela
Dirigit in vulnus: pugniſque ſonantibus ora,
Et malè concrepitant malæ, ſonituque choreas,
Exercent dentes. Liuentia tempora circum
Itque reditque manus, ſtrepituſque alternat & ictus.
Ille fugit, retròque genas ſubducit ab ictu.
Stat grauis ille, gradumq; tenet, dextrâque pauendâ
Eri-

Follis ludus Florentiæ ſolemnis.

Res agitur pugnis.

Erigit inſultans; niſuque immotus, in hoſtem
Fert oculos, dextram, vires, & vulnera: dextra
Ipſa ſibi plaudit geminato verbere: palma

Hoc ludo Florentiæ maioribus odijs fit medela.

Preſſa refert palmas ſine ſãguine: preſſaque, in vrbe
Bella premit maiora: odijs, quæ pallida liuent,
Exiguo liuore litat, ſubitòque medetur.
Hæc dum bella calent, ſed bellula bella, flagellum
Armatâ quatiens dextrâ, Diſcordia venit

Diſcordia clam ludentium ſe turmis immiſcet, & cum ipſa Dolus, qui ſtatua ſe Martis abdit ad inſidias.

In medias acies, nebulâ ſed tecta nigranti.
Ponè Dolus ſequitur, Martiſque in ſigna cruenti
Nubilus ingreditur, latitatque; vt ſanguine multo
Fœda Ghibellinis & Guelphis ingerat arma.
Ergo, dum patrio ludis de more ſolutis,
Victores victique ſimul ſimulacra coronant
Martis, & inuoluunt ramis frondentibus haſtam.
(Mens fugit, & gelidâ torpet formidine ſanguis)

Martis haſta fit fulmen: ipſa ſtatua viuere viſa eſt & furere.

Viſa referre facem metuendi fulminis haſta;
In colubrum laurus migrare, & lambere linguis
Fulmina flammiuomis; animari ſaxa; fauillis
Scintillare oculos; & pectora fundere flammas.
Ebullit furor in labris, ſcopuluſque furoris
Fit, flammâ ſtagnante, lapis; ſimulacraque viuunt,
Innumeras paritura neces. Dum viuida Mauors

Simulacrum loquitur, & Guelphis torporem improperat.

Lumina circumagit, triſti vox proruit ore.
Pergite, ſemiuiri Guelphi; contendite pugnis;
Linquite & arma Viris: oculis liuentibus, alti
Sanguinis oſtentate notas. hæc atra cicatrix
Fronte ſedens inuicti roboris argumentum eſt.
Non vos bella iuuant: venis ſeruate cruorem,
Magnanimamque animã ſub pectore cõdite. Martẽ,
Sic colitis, Floræ nati, Veneriſque nepotes?
Sanguine Mars colitur, non floribus: ignea tela,

Non

Non digitos ſtringunt in pugnum, Martis alumni.
Reſpuo thura, meis quondam fumantia templis.
Fument corda mihi, tædis modo cæca furoris.
Nec doleo ceſſiſſe Deo. Si torpet in ara;
Cordibus at viuat mea flamma. Hæc verba fuere
Verbera Bellonæ, & ſcelerati claſſica belli.
Nec iam ſe capit ira: animis audacibus vltrò
Inſinuatur amor cædis, coſtiſque vaporat.
Guelpha amens fremit arma cohors: ſimiliq; requirit
Ghibellina fragore phalanx. Dolus arma miniſtrat,
Obuia vicinis deprompta ex ædibus. œſtrum
Vnica militiæ lex eſt, & cauſa libido.
Extimulat cæcas ductrix inſania turmas.
Haud aliter ſi quis Lemurum diſcerpitur intus
Obſidione, Stygemque gerit ſub pectore; fibræ
Hoſpitibus trepidant inuiſis: arma, catenas,
Clauſtraque diſrumpit: fratrem, natumque patrẽque
Morſibus aggreditur: ſe dente cruentat, & vlla
Non potis eſt retinere manus: ſe proripit; & ſe
Saxa per & ſcopulos iactat, gaudetque perire.
Longa tamen, ſimiliſque Stygi mors viuit, & artus
In mortes animat multas: tremit; vritur; alget;
Exertat linguam: diſtorquet lumina; figit;
Sternitur: aſſurgit; pallet; fert Tartara vultu.
Vt canis oblatrat; ceu vipera ſibilat; hinnit
Vt ſonipes; mugit ceu bos; vlulatque luporum
More, diemque fugit, funeſtaque buſta vagatur:
Præmordet ſibi mẽbra: ſinu Phlegethonta recludit,
Inſtillatq; labris; lacrymaſque, metumque, dolorẽq;
Aſpectu parit horribili. Sic Tuſca iuuentus
Flebile adorta nefas, diri capit orgia belli;
Dum Dolus, antiqui ſub imagine Martis, anhelat

Floribus idẽtidem hoc ſimulacrum coronabant.

Idoli vocibus pugna incenditur, & committitur.

Energumenus.

Bel-

Bellantum ſub corde, faceſque in viſcera ſubdit
Intima. Fatali iam ſanguine purpurat Arnus:
Ire pudet, nemorumque petit perterritus vmbras:
Se tegit arboribus: dolet humida terga grauari,
Congeſtiſque cadaueribus conſiſtere lymphas.
Aufidus haud aliter curſus frenauit aquarum,
Murmureque ingemuit; putri palleſcere monte
Dum ſua proſpexit cryſtalla, atque aggere mortis
Reſidua ſtagna mori, medio quem barbarus alueo
Annibal oppoſuit, repreſſitque oſſibus vndas,
Sanguine Romano quas iuſſerat ire tumentes.

Arnus cadaueribus impletur. Documenta Romanæ Cladis cruentus aliquandiù Aufidus. Pons de cadaueribus iuſſu ducis factus in terrorem L. Flor. l. 2. c 6.

Corpora dum letho dantur. videt agmine aperto
Donatum Amideus; ſimul increpat. Hoſtis amare,
Huc ades, & comitem victis te iunge cateruis.
Pacta mihi tua ſponſa vtinam te ſanguine multo
Mactatum aſpiceret, quæ noſtro illuſit amori
Crudelis, fideique, dedit quam ſæpè, rebellis.
Hos thalamos infida habeat. Lucina, mariti
Sit Libitina; Viri dotanda es vulnere virgo,

Proci Amideus, & Donatus pugna congreſſi. Primò ſe feriunt verbis.

Hæc ait & vaſtis cum viribus erigit enſem,
Se ſuper ipſe ferens & vulnera, feruidus irâ.
Nec minus Amideus, dextrâ reſpondeo dictis,
Hoſtis, ait, gladiumque mouens in pectus vterque,
Vulnere vterque ruit, fatoque abſumptus eodem.
Dum cruor erupit, ſtetit illico, & horruit: hoſtis
Noluit inuiſo miſceri ſanguine ſanguis.
Sic poſtquam faſces bellatrix Roma recepit,
Concurrere odijs paribus, concordibus armis,
In ſua fata Arunx Brutuſque; animaſque ſuperbas
Confoſſi geminis haſtis vomuere: nec alter
Aut vicit, victuſque fuit: ſuperauit vtrumque
Mors Regina, bibitque oſtrum de ſanguine Bruti,

Guelphorum, & Ghibellinorum Duces in bello cadunt. Tarquinij tàndiù dimi auerunt; donec Aruntem filiũ Regis manu ſua Brutus occidit, ſuperque ipſo mutuo vulnere expirauit. L Flor. l. c. 10.

Tar-

Tarquinios potuit Reges qui pellere Regno.
Extinctis acies Ductoribus, impete bellum
Decernunt ductore ſequi. Victoria nuſquam eſt:
Sæuit vbique furor: nulli mora libera mortis.
Corripit Auleſtis crinem, iugulumque Gilippus
Occupat. hic palmas ſupplex cum voce tetendit:
Abſcidit ille manus ambas, iuguloque calentem
Immerſit gladium. Gaddus diſiecit Orontis,
Corpore connixus toto, cum pectore coſtas.
Lambertus ferit Vmbertum, Pyrrhumque Filantes:
Soldanus iaculo præteruolat ora Rinaldi.
Hic per ſcuta animam veſtigat certior ictu:
Huic adigit latus haſta: ſudes huic pectora rūpunt:
Hunc lapides frangunt: huic ilia traijcit enſis.
Interea Hetruſcas it pernix fama per vrbes,
Matribus atque refert abijſſe in funera ludos.
Approperant miſeræ, natoſque in bella furentes
Vt videre; manus voceſque ad ſidera iactant,
Si poſſint mulcere animos. ſed verba tumultu
Non audita volant: matres dolor vrget inermes.
Armatos penetrant cuneos, natoſque laborant
Siſtere complexu, lacrymiſque. ſed improbus ardor
Perfurit in lacrymis, & dulcia frangit amoris
Vincula complexus; nec ſanguine ſanguinis ira
Vincitur. Oſtentant pugnantibus vbera: at angui
Si lac propines, erit immedicabile virus.
Muneris immemores ſitiunt pro lacte cruorem,
Vulnera pro mammis. Dirimentes prælia matres,
Proh ſcelus! obtruncant, vel terrent enſe. Moloſſus
Haud aliter, quem longa ſitis, viſque ignea venis
In rabiem adduxit, ſpumat contagia; abundat
Fauce liquor fluidus, ſtillati vena furoris,

Matres nituntur filios à bello remouere, ſed fruſtra.

Venenum lacti commixtū immedicabile.

Canis rabidus.

Lac Ditis, ſuccuſque necis; viuitque latendo:
Mox prodit, tactu mortes aſpergit, & altè
Inſinuat rabiem: latratibus omnia turbat,
Attollitque minas: vibrat arida colla: per omnes
Sæuit agros, aſperque ſiti per deuia præceps,
Transfuga Solis abit: quos lamberat ore fideli,
Odit heros, & dente petit, quo funera portat.

Sponſa inter præliantes timida ſponſum quærit.

Matribus in medijs aderat Vulturna; ſuumque
Voce Virum quærens, oculiſque pauentibus, omnem
Miſcebat clamore locum; cordiſque tumultu
Tympana vincebat, barritus, claſſica Martis.
Pallida dum luctu diſcurrit: Maxima, clamat,
Pars cordis, Donate, mei, qua ſæuus arenâ

Sponſæ querela è ſuo ſenſu ſponſi mala conijcientis

Bella geris, miteſque doces crudeſcere mores.
Haud equidem perijſſe reor; nam viuis eodem
Mecum corde. regit noſtros ſi ſpiritus artus,
Ipſe tuos, viuente, reget, mê coniuge, coniux.
At terrent ſimulacra mali. tibi vulnus adactum
Addubito, nam vulnus alo ſub corde doloris.
Heu timeo iactis transfigi dulcia telis
Pectora; nam pectus lacerat mihi cura. cadentem
Linquo animam, videorq; mori. Mea funera mortem
An ſignant vicina tuam? quæ peruolat vmbra
Luminibus, ferit illa metus. Fera caſtra, furores
Ponite cum furijs: in me deponite ferrum,
Vulneraque & mortem. Moritur? moriamur; at illi
Me ſaltem ſociate. vno de vulnere ſanguis,
Et lacrymæ tepeant noſtræ; gemituſque, dolorque,
Spiritus & fugiens ſe pectore miſceat vno.
Si quis erit reliquus vitæ halitus, ille mariti
Rurſus amore calens, animabit membra perempti.
Hæc dum mœſta refert, luſtratq; cadauera circũ,

In-

Incidit in ſponſi lacrymabile corpus. At ipſa
Palluit aſpectu, ſtratoque ſimillima ſponſo,
Concidit exanimis: gemitum cum voce repreſſit.
Nam dolet ille minùs, qui ponere frena dolori
Neſcius, in lacrymas, voceſque exuberat. Ignes
Fulminis in nebula tacitè conflantur: & amnis
Grandior ille tumet, tacitâ qui labitur vndâ.
Corda priùs, mox ora aperit, loquiturque ſilendo,
Seq; premit, minuitque dolor, quem vincere neſcis.

Sponſum extinctum reperit militum inter cadauera, eoque viſo exanimis cōcidit.

Poſtquam vibrauit ſponſæ tremor oſſa dolentis,
Hæſeruntque diù voces, tandem ora querelis
Liberat. impactis contundit pectora palmis,
Euellitque comas, & femineo vlulatu
Extinctum complexa Virum: Mea vita, cruento
Funere dum langues, quid nunc, quid perfida, dixit,
Luce fruor, vitamque traho? ſcelerata peremi
Te coniux. te noſter amor, te caſta voluptas
Hæc in fata tulit. niſi me, Donatus, amaſſes,
Non odia expleſſes, inimicaque corda procorum
Cæde tua. crudelis amor! qui reddis amanti
Pro thalamo feretrum, vitæ pro munere lethum.
Vulturna infelix, odijſque beatior! ipſo,
Quando, par Furijs, vel Amantem occidis amore.
O ſpecies peritura boni, & contermina curis
Gaudia! vos primis dum libo fugacia labris,
Linquitis arentem lacrymarum in flumine. Sponſi
Tæda maritalis, fax funeris horrida fumat:
Auro palla grauis, lethi fit pulla nigrantis;
Buſta torus. Fugiſtis opes, fugiſtis amores,
Gratia, forma, decus, fugiſtis & omnia. Vita
Tu quoque noſtra capeſſe fugam. fugientis aſylum
Pande mihi cor, Chriſte, tuum. tu ſolus Amantes

Redit ad ſenſus: dolet, & queritur. Sponſus inimicitias cauſa ſponſæ contraxerat.

Afflata caleſti lumine ſanctioris vitæ conſilium init.

Semper amas, & ſemper ades, ſemperque tueris.
Nec tibi forma perit, roſei nec gratia vultus.
Vixi fida Viro; moriar mage fida Tonanti.
At qua morte? tuâ, diuini ſponſe cruoris.
Sit mihi Crux feretrũ & thalamus. date tela: ſed illa,
Quæ pedibus manibuſque Dei ſunt fixa dolentis.
Sola hæc ſolatur me deſperatio. vixi
Si tibi, ſponſe; Deo viuam; tumuloque ſepulta
Diuini lateris viuam. Quæ cerno, mariti
Vulnera, me Sponſi cæleſtis ad aurea ducunt
Vulnera, perpetuæ felicia pignora dotis.
Hæc ait; euellitque comas, manibuſque reponit
Coniugis extincti, funditque nouiſſima verba.

Vulturna pudicitiam Deo vouet.

Sponſe, vale: Vulturna, tibi quæ prima pudorem
Iunxit, amore Deo nunc iungitur. ille pudicam
Seruabit, fidamque tibi: nec iura reſoluet
Coniugis vllus amor mortalis. cæde caducum
Poſtquam te vidi, didici calcare caduca,
Et non caſuris me credere Numinis vlnis.

Hoc bello non ſolùm Hetruria, ſed aliæ Mundi partes concuſſæ ſunt. Præſertim Picenum.

Sed quid ego bellum Colubrorũ è dẽtibus ortum
Proſequor, in Thuſcis calefactum ſanguine campis?
Bella, Ghibellinis Guelphiſque flagrantia tædis,
Corripuere Orbem; ſtridoreque rapta rotarum,
Omnes contriuit curru Diſcordia frontes.
Intremuit tellus: trepidarunt omnia Regna:
Axe ſub horrifico ſcintillauere furores,
Calcatur dum terra rotis. Ceu crine ſuperbo
Irruit ignis edax, quà pabula ſicca miniſtrat
Silua agitata Notis; piceâque nigerrimus irâ
Arbuta conſumit, crepituque laborat ouanti;
Non ſecus in cunctas iuere incendia gentes,
Perpetuis nutrita odijs & ſanguine multo.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXII.

ARGVMENTVM.

Cæleſtinus Pontifex renunciatur. Italiam à Guelphis, & Ghib. turbatam ſua virtute tranquillat. Mox per id tempus è Pontificatu diſcedit, quo è Dalmatia in Picenum S. Domus aduehitur. Mæſta Roma Parentem ſuum vbique terrarum quærit. Feſſa itinere in Recinetenſi ſilua cum Virtutum choro lugentium dum ſedet, ei Cæleſtinus apparet. Dei Domum docet eſſe vicinam. Ex hac prædicit alios Pontifices prodituros ad Romæ ſolatium, ad Deiparæ cultum. Adeſt interea Cella cæleſtis. Ea viſa Roma recreatur. Vicini Paſtores prodigium admirantur.

BEllica tempeſtas,odijs conflata,cruorem
Labilis in pluuium, Picenis denique campis
Tota ruit,penitus laceratâ nube furoris.
Huc tædis abrupit iter furialis Enyo,
Et natis hæſere faces; & pinguia patres
Nutrimenta focis natorum in bella dederunt.
Vrbibus vndarunt: rapuerunt vortice ſiluas;
Illuſtres vileſque animæ, omnes arma requirunt. *Quieuit bellum S. Dom⁹ aduentu.*
Pectora pectoribus velluntur, & vrbibus vrbes.
Donec Piceno Domus eſt aducta Tonantis;
Aliger & Pacis ſcelerati limina Iani
Vectibus æternis, & ferri robore clauſit.

Clio frange tubas: lituos in barbita verte:
Aduentumque Domus, Lauri quæ nomine vernat,
Itala quam tellus terræ pelagique periclis
Excipit ereptam, meliori concine cantu.
Annos bis centum, luſtrumque peregerat vnum,
Secula ſollicitans Titan radiante flagello;
Ex quo miſſa, nigris Erebi Diſcordia Regnis
Agmine cum ſocio Furiarum, vltura dolores,
Omnibus errabat terris: poſitoque timore,
Tænareaſque oblita domos & carceris vmbras,

Diſcordia Romæ regnabat

Æternam ſine pace datam, ſine legibus Vrbem
Credidit Italiæ dominatrix impia campis.
Hic plebem, populumque, Patres, & robora Mundi

Creatus eſt Pont. Cæleſt. a. 1294. nonis Iulij, vir adeo Sanctus, ut cum in eremo degeret Maiella in Pelignis, infiniti penè mortales ad eum confluerent. Ciacc. & alij.

Turbine quaſſabat: ſacro execranda Senatu,
Faſtu bella, odijs, atque ambitione fouebat.
Hæc Italæ dum longa nocent contagia terræ,
E Cælo Cæleſtinus demiſſus in Vrbem,
Compoſuit Virtute animos. Sic temperat æquor,
Et premit aſpectu domitor Neptunus aquarum,
Cum venti mare ſuſpendunt, atque agmine facto
Non ſua contorquent inimico flamine regna:
Scilicet in ſolio ſi Virtus eminet alto,

Exemplum Principis populos ſecum trahit.

Secum cuncta rapit, proceres, & mobile vulgus.
Principis exemplum populi ſunt frena rebellis.
Recta iubet, ſi recta facit: fit amica Tyrannis
Atque iugum Probitas. hæc ſola potentia Regum,

Cæleſtinus omnia pacat.

Poſſe nihil, quod non liceat. ſua iura refigit,
Qui violat Diuina: Deus, Naturaque tantùm
Si lex eſt Regum, poterunt tunc omnia Reges.
Haud aliter Cæleſtinus difflauit Auernum,
Et Mundi tranquillauit Virtute tumultus.
Fronte coronatâ vix extulit aurea terris

Gau-

Gaudia; cum pacis reſonarunt omnia plauſu.
Roma voluptatum iucunda fluenta per vrbes,
Non par ipſa ſibi, dulci eluuione profudit.
Ille ſuam quoties preſſit pede principe ſedem,
Intulit alta humeris & corde: inde aura tumebat
Ingenti clamore virûm, ſic Rheda Tonantis
Effertur ventis. Grato confuſa tumultu
Tecta, viæque omnes, atque ætheris aula tonabat.
Per fora, per campos, per Templa, oblita penatum,
Preſſa premenſque, pio certamine turba fluebat,
Compita corripiens. Sic tectis excita quondam
In reduces animoſa Duces egreſſa, Quiritum
Pectore ſeptenis trudebat montibus vndas.
Ille ſedens ſolio, ponebat in Æthere mentem,
Pacatorque Orbis precibus Pacem inde vocabat.
Hæc fuit Imperij lux prima: inimicaque lucis
Ambitio cœpit nebulas attollere primas;
Carceribus reuocare Notos, pelagoque minari
Fraudibus occultis. Sed contra audentior iuit
Rector, & intendit iactatis brachia velis,
Atque manum clauo impoſuit, Petrique carinam
Per domitos iuſſit fluctus contendere curſum.
Non ſecus in noctis ferrugine merſa, mariſque
Fluctibus icta ratis, nunc montibus alta, profundis
Nunc innabat aquis, vitæ confinia ſulco
Deſignans anguſta breui. ſed nexuit vndas,
Æquauitque Deus pedibus; pelagoque quietem,
Gaudia diſcipulis, & vultum reddidit aſtris.
Aſtris ex humili ſed Sole ſuperbia creſcit.
Si latet ille, micant; tenebris ſi conditur, ardent;
Et regnare volunt, radioſque vt ſceptra mouere.
Sic Cæleſtini demiſſa modeſtia morum

Sedauit Romæ turbas, vt Chriſtus vndas, ambulãs ſupra mare. Io.6.

Modeſtia ſolis noctu latẽtis ſtellarum ſuperbia eſt noctu lucentiũ Ita Card. nõnulli abuſi S. viri modeſtia venere ſuperbam põtificatus in ſpem. Cia. in v pont & alij

Eius in aula ſolitudo. Extulit ambitione Patres, velut aſtra, Latinos;
Imperium non mutauit non gloria mentem
Pontificis. Vaticanis ſibi montibus Horeb,
Soractem & Thebas fabricauit, & antra Canopi.
Solo aſpectu fugabat ſcelera. Aula nemus Iordanis erat; populique corona
Læta erat in ſiluis quæ cedris procubat vmbra.
Mente ferebatur per ſidera ſolus; & inde
Mente Deum referens, ſacrâ ceu Numen in ara,
Fundebat populis oracula; crimina vultu
Damnabat: vox vultus erat, lex, formaque morum.
Lucis ad exortum ceu bellua conditur vmbris,
Nec patitur fraudes ad ſolis ferre tribunal;
Sic explorabat cæcos rea culpa receſſus
Principis innocui, ceu vulnere, ſaucia viſu.
Quo perijt crimen, vixit Pax vulnere. vixit
Hæc eadem pœnis Latij generata Parentis.
Voluntaria carnis afflictationes. Nimirum, vt pacem pareret, ſibi bella mouebat,
Tranquillâ Pietate ferox. Ieiunia longæ
Sunt famis illecebræ. dapibus non inſtat opimis:
Sola ceres mollita focis, & frigida fauces
Recreat. immenſo non miſſo in viſcera cenſu;
Pro dape nutritur ſuperi ſed Regis honore.
Hanc votis & corde vorat conuiua Tonantis,
Exhauſto qui ieiunus iam ſanguine, pectus
Pro dape, pro ſucco venarum, impleuit amore.
Pontifici Crux menſa fuit thalamuſque. ſoporem
Ipſa ſopore quies ibi perdomat: excitat iras
In ſua dum dormit languentia membra. cubantem
Excipit haud grauidum curis ceruical & auro:
Numine fecundam, ſuſtentat Numine mentem.
Hoc ceruicali vigil & ſopita quieſcit,
Quo Pax fulta caput ducit ſuper æthera ſomnum.

Pro

Pro plumis quo claudit opes, ſecura latronum:
Qui ſomnum cruciat, vigilans ſibi parcet? in artus
Tegmen villoſum ſæuit, tegiturque ſub oſtro;
Ceu vallata rubis roſa purpurat. Omnia cedunt
Arma togæ, Cæleſtinus quam ſtamine texit
Pœnarum, Imperij chlamydem cæleſtis. Ab illa
Pungitur ambitio; villuſque ferocior enſe
Membra tegit, faſtumque ferit pacatus in ira.
Sub ſacro Duce quis miles? quæ neſcia vinci
Omnipotente Deo Virtus armatur inermis.
Conſilijs belli Sapientia: turribus altis
Præſidet, humanis mens altior: ardor honeſti
Subſtruit occultas flammarum ad ſemina foſſas:
Bellaces acies fortis Patientia ducit:
Omnia componens, Amor ordinat agmina campo:
Magni animi vexilla gerit Demiſſio: belli
Sacra tubas animat Facundia. Roma Latini
Has latus aſpexit Patris munire cohortes.
Illius ante fores vigiles non miles agebat
Excubias; non lictor erat, rigidæque ſecures;
Non veſana fames auri, lucrique ſatelles,
Limina ſeruabat ſimulatio. peruia donis,
Et venalis adoranti, cultuque ſuperba,
Maieſtas aberat. Paupertas diues honorum
Læta tuebatur dulci obſidione penates,
Atque dabat Pietas aditus. Titanis ad ortum
Agmina inundabant miſerorum, ad limina; lucem
Vt biberent auri meliori à Sole, famemque
Munifico explerent, ceu roſcida ſidera, rore.
Hæc erat vnda ſalutantum, qua tota natabat
Primâ luce domus, non importuna quieti,
Murmure adulanti modulata, ſed ore gementum

Aliæ virtutes ceu præſidiarij milites ti\[..\]ca ſolium:

Pa-

Digitized by Google

Quæ ſint principum virtutes.

Pacis ad æternæ ſomnos. Hæc Rector Olympi
Inditus in noſtros artus prope caſtra ferebat.
Hi ſolium ſtipatores, hæc arma tegebant
Pontificem. Regum facilè peritura poteſtas,
Ne ruat in præceps, ſe milite fulcit & auro.

Quæ ipſorum potentia.

Milite ſed quid eget, qui ſtat Virtute perenni!
Quæ non in ſolio, ſed in ore coruſcat, & ardet,
Vera eſt maieſtas atque vnica: fulmina Regum
Sunt oculi; ſunt verba faces; Aſtræaque miles,
Quæ regale tegit corpus. timeatur, ametur
Non ferro, ſed terribili Virtute. ſubactis
Imperet exemplo populis, & in omnia ducet.
Quid prodeſt vallare latus, ſi crimina pectus
Irrumpunt? ſedeat Virtus in corde. ſat vna
Terreat vt populos vel amore; vt corda triumphet.
Quid ſceptrum geſtare iuuat? lingua aurea ſceptrũ
Principis eſt. iubeat; ſed Numine digna: ſequentur
Vel ſceptri nutum populi procereſque loquentis.
Talis erat Cæleſtinus, pro milite ſeptus
Numine, quod multo venerans in paupere, diues
Ipſe Deo, quem redditibus ditabat egentem,
Romæ diuitias & cæli æraria vicit.
Non anguſta tamen fuit olli in pectore Virtus,
Quæ ſibi, quæ miſeris tantùm ſuccurrere diſcit.
Mole ſuæ mentis terrarum pondere maior,
Solo tractabat curarum pondera nutu,
Atque Dei digito. Totum irrequietus in Orbem
Tranquilluſque vagabatur; terramque, polumque
Magnis implebat factis, precibuſque, labore,
Conſilijs, animo. ſe namque infuderat Orbi
Spiritus atque animus populorum, vitaque Regum.
Non ſecus in media ſtans pectoris arce, calore

Mem-

Membra mouet cor vitali,roburque miniſtrat ,
Atque elementa regit tacito diſcordia bello .
Finibus erumpens patrijs ceu Nilus inundat ,
Et caput occultat : ſic ille in commoda Mundi
Largus & effuſus , cupiens latitare , patebat ,
Quà Sol exoritur , quà mergit in æquore currum .
Solus in amplexu multorum , ſtellaque nocte
Pulchra magis,tenebriſque magis carbũculus ardẽs,
Clarior illuſtri , cæli vt pictura , receſſu ,
Publica curabat , ſibi totus , totus & Orbi ,
Integer , atque idem populos partitus in omnes .
Haud luci nocet vmbra . Nigra è caligine Moſes,
Deſertoque iugo , radiatâ fronte , refulſit ,
Iura ferens , calamo radiorum ſcripta , Deique
Obſignata manu , ſeptem qua continet aſtra .
Qui vacat ipſe ſibi , vacat omnibus . vberat amnis,
Qui non diuiditur ; tacitus ſed colligit vndas .
Non ſibi molitur mellis cæleſtia dona ,
Clauſa licet tectis , apis ingenioſa , cauatis .
Mella licet condat ; dulcedine temperat iras :
Belligerat, fucoſque fugat;non torpet inermis .
Fortiùs arma mouet Pietas, cui ſuggerit arma
Ipſa quies , cælumque acies ; Crux , arboris antra;
Vulnera,purpureos flores , & flumina ſanguis ;
Mellis vt inde animis cæleſtia munera figat .
  Pontificis mores oculis non aſpicit æquis
Ambitio , ſibi ſana , dolis inſana repertis ,
Ingenioque ſuo præceps, quo fertur in altum,
Fida , inſida ſibi, ſibi fulcrum, penna, ſepulchrum,
Machina,& exitium , genitrix , & ſaga potentum,
Legibus æternis contraria , & arbitra Mundi ,
Cuncta videns & cæca , aulæ Regumque magiſtra,

Ad omnia nõ diffundi , eſt poſſe omnia feliciter gerere .

Moyſes è mõte Sinai , & media è nube clarior. Exo. 34.

Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem Apoc. c. 1.

Pietas in ſolitudine mellificat, vt apis in alueari .

Cæleſtinum ambitioſi criminantur,vt ad Eccleſiæ regimen ineptum. In. vit. Pont.

Fo-

Fomentum ſcelerum, turpiſque pediſſequa lucri.
Muſſitat; Imperij benè non tractare Latini;
Et cæli claues, cui cellæ tota ſupellex
Clauis erat: ſordere oſtrum, triplicemque coronam
Pauperis in cultu, maior cui cura flagelli,
Quam ſceptri dominantis erat; cui gloria ludus,
Non merces non quæſtus erat; cui fama latere;
Spuma maris faſtus, puerique crepundia gemmæ.

Illum adit Ambitio Pietatis vultu perſonata.

Obtinet illa nihil dum vocibus; euocat aſtus:
Perſonamque gerens Pietatis, in abdita Patris
Atria Romani mentito ſubdola vultu
Ingreditur, ſupplexque genu ſimul ore ſalutat.

Laudat præteritæ ipſius vitæ ſolitudinem, & præſentes curas obiectat, vt ſuadeat à Petri Sede recedere.

O Pater, inquit, amor Superûm, cui gaudia rupes
Dulcia ſtillabant; at nunc abſinthia Colles
Romulei fundunt, quid amaris dulcia mutas?
Illic certa quies, mentiſque exercita tantùm
Curſibus, ad cæli placidè currentis amores.
Hìc aulæ crux ambitio, lanienaque cordis,
Sæpè voluptati, miſcet nocitura dolores.
Excedit hìc animæ vires labor improbus omnes;
Curaque mente ſedet, Regni dum ſede quieſcis,
Otia quæ mordet, ſomnos & ſomnia rumpit.
Experiare tuos ſenſus: te diſce magiſtro:
Experto tibi crede: Orbis ſub pondere certiſ
Nunc fluit ad terram, fuerat cui tota cucullus

Fuerat in Eremo, & fundator Eremitarum: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. Prou. c. 1.

Machina; garritus auium cui murmura vulgi;
Herba dapes, eademque torus. Nec ab æquore littus,
Cæleſtine, vides? Alijs tua Regna, procellis
Pœta, relinque: tibi te redde. negotia Regum
Non benè ſiluicolæ exercent, comiteſque ferarum.
Rectores docet aula; docet Sapientia, clamat
Quæ triuijs plateiſque. Rudis tua dextera Regno;

Cor-

Corda ſed apta Deo. Priuatis publica at, inquis,
Præfero. ſed peccas in commoda publica & in te,
Dum tê neglecto, moderari cætera neſcis.
Fraudibus aula patet: fraudes non ruſtica vincit
Simplicitas. tu cede malis, portumque require.
Dixit, & è ſacro diſceſſit larua cubili.
Ille autem; cui Roma labor; cui pulpita mortis
Culmina honoris erant; & Regni, vincula, faſces;
Suppliciumque fauor: Trahis in tua iuſſa volentem,
Dum dare terga iubes ſpecioſo feſſa labori;
Siue ades Ambitio, mentito ſubdola vultu;
Vera vel ore tuo Pietas. Si talia mandat
Ore ſuo Pietas, Pietati pareo. frontem
Ambitio ſimulat Pietatis? pareo votis
Ipſe meis; ridenſque dolos, mihi ſeruio. fines
Ducimur in varios. me gloria Numinis vrget:
Vrget amor pacis. Me ſi detrudere Regno
Deſtinat Ambitio; quamuis rumpatur, Olympi
Efferet in Regnum. Famulantur cuncta Tonantis
Conſilijs, Dolus, Ambitio, vis Martis, Auernus:
Omnia monſtra Deus penitus ſua ſub iuga mittit:
Dumque onus excutiunt, atque in diuerſa feruntur,
Frena Pronœa regit, ducitque auriga rebelles
Ad metas, quas præſcripſit diuina Voluntas.
Nil ergo ſtimulis opus eſt: tria Regna relinquo:
Exuo captiuam triplici diademate frontem.
Me referam, mê contentus, ſi pectora Numen
Impleat. Hæc Mundi detur pro pondere merces,
Quem dorſo titubante tuli. Nunc pondus, & vnà
Me feſſum abijcio Chriſti regnantis in vlnas.
Hæc ait: & Mundi ſacro de vertice pondus
Abijcit exultans. ſibi ſe, Numenque relinquit;

Siue hanc fugam ſuaderet Ambitio, ſiue Pietas; decipi non timet, qui nō ab his, ſed ſua motus à coſcientia, è Pontificatu diſcedere amore virtutis iā decreuerat.

Ini-

Impauidâque fugâ terram, terrenaque calcat,
Sic licet aurato philomela in carcere ludat,
Hinc atque hinc circũuolitans; tamẽ inde per auras
Ardet abire fugâ, vetereſque requirere ſiluas.
Protinus è cauea, ſi rimula panditur, exit:
Læta petit nemora, & cælo delapſa ſereno,
Dat ſonitum pennis, & dulci gutture plauſum.

Supplicanti pro Cæleſtino Romæ Fama refert ipſum fugiſſe.

Vera canens, veroſque metus exterrita fundens,
Fama volat, flammis celerique citatior Euro;
Et terras inter cælumque, & turbida luctu
Nubila, pernici ſe corpore mittit in arcem,
Quæ, Mundi ſpolijs ſublimior, æthera pulſat
Fronte triumphali, Romamque imponit Olympo.
Nox erat, atque ignes oculique volubilis Axis
Dulces excubias Romæ dominantis agebant.
Illa genu ſubnixa; genas deiecta decoras,
Nexa manus, pennata animo, calefactaque votis,
Cæleſtine, tibi centum conſurgere Soles
Virginis auſpicijs, peperit quæ candida Solem,
Orabat, ſcelerumque ſuo contagia Regno
Cedere, dum viuis, Mundi dum flectis habenas.
Vt primùm alato tetigit Capitolia dorſo,
Inſert oranti ſe Fama, & talia fatur.
O Roma, ò fruſtra tanto ſub Principe felix
Patria Romulidum! Romani gloria Regni,
Regis amor Superûm, cæli cor, ſpiritus Orbis,
Imperij exoſus pretioſa ligamina, fugit
Cæleſtinus, at ignotum, quas incola ſiluas,
Quæ colat antra. Pari fugerunt gaudia curſu
Vrbe procul populiſque tuis. tu Roma fugacem
I ſequere amplexu. Patrem fax prodet amoris.
Attonita his Famæ dictis, concuſſaque caſu,
Ro-

Roma diù tacito preſſit ſub pectore curas.
Mox oblita ſui cultus, diademata fronte,
Sceptra manu, collo torques, regalia dorſo
Syrmata deiecit: ſimul hæc vlulatibus vrget.
Noſtra quies fugit, & ſolio Regina ſedebo?
Haud equidem. deſerta meo Ductore, cauernas,
Et deſerta oculos latè fugientia quæram,
Exiliumque pati diſcam; licet omnis Olympi
Ambitus, & Terræ, & Pelagi ſit Patria Romæ.
Cæleſtinus abis? tantum mihi ſidera munus,
Vt raperent, tribuere! citas aptate Curules.
Veſtiganda mihi tellus, quàcumque recedit
In nemus & rupes, & inhoſpita tecta ferarum.
Tê ſine Roma odit, Rector dulciſſime, Romam.
Cæleſtinus vbi degit, licet abditus antro,
Sunt Ædes, Turres, Fora, Regia, totaque Roma.
Rupe tuâ, toto maior licet Orbe, latebo.
Vos Cæleſtino reduces cum Principe in Vrbem,
Rurſus in occultos mecum conſcendite montes,
Virtutes, dilecta cohors; ſe donec amanti
Reſtituat natæ Genitor; vultuque ſerenet
Quæ modò Romanum cinxerunt nubila cælum.
Hæc vbi dicta: migrat. rapidos iubet ire iugales,
Verberibuſque monet. Metanœa curulibus auras
Ponè terit: lacrymis contriſtat lumina Candor;
Atrato niueos humeros deformat amictu,
Et quatit ad curſum rorantes fletibus alas.
Corripit inde viam; currumque in nubila ducens,
Proijcit ægra enſem, nebuliſque nigrantibus ora
Condere rurſus amat, terris Aſtræa relictis.
Fronte verecundâ quæ ſedem ponit Honeſtas;
Quæ ſedet in ſpecula Prudentia mentis, & inde
Vir-

Romæ dolor, & querela.

Vt Cæleſtinũ quærat ſtatuit Orbem luſtrare.

Virtutes cũ Cæleſtino Romam deſerũt.

Veritas fugit

Virtutes regit, & cunctis ſe interſerit actis;
Quæ ſolium medio Pietas locat ignea corde;
Caſta Fides, Probitas; Virtus, quæ falſa profari
Neſcit, ceu mediâ fulgentia ſidera nocte,
In triſti rutilant luctu, Romamque ſequuntur.
His comitata choris, Spoleti luſtra pererrat;

Roma Cæleſtinum quæri.

Et iuga perluſtrat: terit Algida, & inde Sabinos
In ſaltus conuertit iter, tentatque latebras,
Quà tegit vmbriferis ſe nobilis Arſia ſiluis;
Et quà cornigeros enutrit Aricia ceruos;
Et quæ fonte ſonant, nemorum penetralia magnæ
Conſulit Albuneæ; per opacos ſemita calles
Ducit in Albanos quà ſentibus aſpera campos.
Omnia ſcrutatur. Picenaque in arua quadrigas

In Piceni ſilua defeſſa itinere ſedet ſolitaria. Rurſus querelis indulget

Denique ſollicitat: lucoque allata, receſſus
Heu fruſtra rimata omnes, defeſſaque curſu,
Eleuat in mœſtas ſic triſtia corda querelas.
Cæleſtine, mei numen venerabile Regni,
Quà Regione lates? Mundi quæ pondere nunquam
Succubui, quærendo tuum, Pater optime, vultum
Deficio peregrina. Scythas, totoque Britannos

In vno quærendo fatigatur, quæ populos omnium terrarũ quærẽdo, & ſubigendo fuerat indefeſſa.

Æquore diuiſos, Perſas, Garamantas, & Indos
Paſſibus indefeſſa meis, haſtiſque cruentis
Fulta, peragraui. exiguo nunc victa labore,
Immemor hic ſedeo Regnorum. Scilicet vnus
Cæleſtinus eras pro Regnis omnibus; in tê
Dum tranquilla quieſcebam, totoque ferebar
Irrequieta tuis meritis Regina per Orbem.
Mene fugis, Princeps? Româ ſic ſoſpite regnas?
Virtutum tu forma, æui melioris origo;
Tu noſtri decus Imperij; quo Principe, Diuûm
Inuidet aula mihi; liuet Sol; ringitur æther.

Digitized by Google

Mene fugis! Romæ lacrymis nec flecteris, hoſtes
Quam videre quidem Martis ſudare ſub armis;
Fundere ſed lacrymas nunquam; cordiſque tributa
Exegi, non victa dedi. Si frangitur Æther
Vnius heu miſeri lacrymâ, non omnia vincat
Roma gemens, didicit lacrymiſque cedere tantùm, *Roma ferro inuicta ſolis miſerorum lacrymis cedere ſolita.*
Quos domat audaces ferro, miſerata precantes.
Non dolet heu, miſeretque mei? quas incolis vmbras?
Quæ te ſilua tegit? quæ rupes antraque celant?
Rupibus Alpinis, & duris durior antris,
O genitor. lacrymis rupes, antra inuia frangam,
Complexuque meum retrahã ad mea corda Parentẽ.
His vinclis captiue redi, quibus arceo terras,
Et cælum Numenque ligo. Si Regna recuſas,
Si vitam; moriture veni: mecumque, dolore
Quæ pereo, compone animam, cinereſque beatos.
Si latebras quæris, Romæ ſub corde latebis;
Roma tuo lateat dum corde, vbi Gratia viuit,
Viuit Amor; viget Integritas; Sapientia regnat.
Virtutes referunt Romæ lamenta dolentis,
Cantibus atque leuant. Citharã dum vellicat vngue *Virtutes Caleſtinum flebili cantu concelebrant.*
Mœſta regit cantus Prudentia. Carmine primùm
Relligio tremulâ ſoluit cum voce. Quid, inquit,
Quid primùm neglecta querar? me deſeris hoſpes, *Cantus regit Prudentia.*
Vt nemorum digeſta vagos arbuſta per agros
Viminibus religes flexis, lentiſque geniſtis? *Canunt Religio Iuſtitia Pœnitentia.*
At vincire homines, & luxuriantia mecum
Pectora debueras, cæloque affigere mentes.
Anulus Orbis eras, aurati nexus amoris,
In quo gemma Deus. Cæli in connubia Tellus,
Perque Fidem veniſſet Amor, tê præſide: ſed nunc
Diuidet auratos regnans Diſcordia nexus.

In cæcas en rurſus, ait, ferar ardua nubes:
Aſtriferos Aſtræa oculos caligine condam,
Ne ſcelus aſpiciam ſacras peſſundare leges.
Enſis erat tua lingua meus; clypeuſque voluntas;
Cor pondus; libratæ animi Sapientia lances;
Formaque Iuſtitiæ mores; mens arbitra Recti.
Et fugis! heu vacuam ſocijs Virtutibus aulam
Ambitio ſacrum inuadit læſura Senatum,
Diſſimilemque animo componit ſubdola vultum.
Sæue redi: fera monſtra fuga: da iura ſubactis.
Sol redit è tenebris; redeunt quoque ſidera; Phœbe
Sæpè redit, reparatque oriens argentea cornu.
Ver, Æſtas, & Hyems, Autumnus, pomaque, flores,
Omnia ſi redeunt; redeas; magnumque gubernes
Magnis Imperium factis. his regia tantum
Edidicit ſeruire volens mea Roma. Quid oſtrum,
Aſpera tunc ſubdit Metanœa, ex Vrbe Latina,
Et Regum è Patria prædator diripis? oſtrum
Redde, quod è membris, flagris trepidãtibus, hauris.
Murice digna tuo Roma eſt, guttâque cruoris
Illa tui magis ornatur, quàm ſanguine toto,
Quem dedit Auſonijs exhauſtus ab enſibus Orbis.
Et fugis! in vacuas ſuccedit Cypria Sedes;
Grata, libido, lues: natat inter pocula luxus,
Perdomat & mentes, & pectora neſcia vinci.
Sæue redi; Veneremque tuis contunde flagellis:
Fige voluptatem villis, quibus induis artus.

Silua, in qua Roma cum Virtutibus ſedet, olim exuſta, & cinefacta, plorantium lacrymis nunc refloreſcit, & lauros parit.

Hic, vbi fundebant lacrymas, & carmina, quondã
Silua fuit: Phœbum quercus, platanique vetabant:
Populus vndabat ramis. Cum fortè fauillæ
Corripuere nemus. mediâ de nube vocantur
Cum fago pinus, querulis cum quercubus orni.
Silua iacet, perditque vmbras, atrâque relictus
So-

Digitized by Google

Solus erat tellure cinis. Sed viuida Romæ
Lacryma plorantis, Virtutum mixta fluentis,
Vt rotauit humum, rurſuſque animauit inertes
In ſegetem cineres, Lauri noua pullulat agro
Silua. Viret primùm: tenero mox caudice ſurgit:
Stipite duratur: frondes cum flore maritat:
Imminet vmbriferis ramis; blandoque ſuſurro
Perſonat, & pandit baccarum prodiga gemmas.
Dum virgulta ſonant, volucres dum nota reuiſunt
Arbuta; Roma ſinu percurrere gaudia ſenſit;
Attollenſque manus cum voce: Hæc omina lauri
Semper amica mihi: Virtutes, plaudite, dixit.
Hæc mihi ſilua domus. Ciues, vrbanaque Romæ
Tecta valete: Deus nobis hæc otia tecum
Cæleſtine, dabit. Stygijs emiſſa cauernis
Heu noſtram ſcelerum ſi turba coiuit in Vrbem,
Hic tecum ſpelæa colam, nemorumque receſſus,
Non hic bella tonant; animos non aſperat ira:
Non agit ambitio tranſuerſos; non metus vrit:
Non odium nubes in honorum lumine cogit.
Viuitur in mœſta nemorum quàm clariùs vmbrâ!
Dulcior iſta mihi, quàm lux inimica Senatus,
Velamen ſcelerum, tenebroſæ nuncia mortis.
Cede comis diadema: tuus caligine fulgor
Obſcurat mentem: pretioſâ compede torquet;
Et libertatem, dum crines impedit, arcet.
Dorſo cede chlamys. Sunt ſyrmata vela, procaci
Heu nimiùm ſubiecta Noto; ſunt vincula torques;
Tempeſtas Regnum; populorum gratia turbo.
Hæc ego fida reor mihi littora. Regna valete:
Vmbroſi lucent meliori lumine luci.
Principis exemplo fingor: fugitiuus hic vno

Roma hoc prodigio lætatur.

Sperat ſe cum Cæleſtino in ea lauri ſilua victuram.

Vt ſine Regno priuata viuat, ac ſolitaria cum Cæleſtino, ſe Regni nudat inſignibus.

Omnia collegit, dum reppulit omnia, iactu.
Sed iacio dum cuncta; redi; qui ſolus inanem,
Cæleſtine, bonis Romam cæleſtibus imples.

Cæleſtinus Romæ apparet.

Dum canit hæc, Lauros allambere viſa virentes
Fulgura, & innocuo ſuper æquora frondea tactu
Serpere. Per medios ſed fulgure clarior ignes
Se Cæleſtinus cæleſti luce videndum
Obtulit. Auſonio pro murice purpurat oſtro,
Numinis auguſto Pietas quod pinxerat ore.
Lurida veſtis erat; ſed lucida: nigra renidet,
Sordibus & gemmat: triplici nudata coronâ,
Tempora Sole micant triplici, Regnoque relicto,
Regnat in ore magis Maieſtas: imperat aſtris,
Imperium aſpernata hominum. Tūc Roma reuixit,

Roma Cæleſtinum ſalutat, et ſe ſociā illi addicit æternam.

Et lacrymas & verba dedit. Pater, ô Pater, inquit,
Expectate venis. iam Roma ſuperbio, rurſus
Obtutu Regina tuo. Capitolia rupes
Hæ mea ſunt. tecum medijs vel in Alpibus exul,
Syrtibus in medijs, Libyeſque calentis arenis,
Et viuo, & regno. Tua me præſentia, Princeps,
Imperio palmiſque beat. per inhoſpita tecum
Duc, age: cōde vmbris: quæcumq; ad teſqua vocantē
Audio. Si liceat tua iuſſa capeſſere; regno.

Cæleſtinus Romam ſolatur, optimos in Sede à ſe relictæ ſucceſſores egreſſuros è Lauretana Domo vaticinans.

Dixerat. Ille graui poſtquam cæleſtia riſu
Ora colorauit, ſonuitque exterrita rupes
Maieſtate viri. Mecum, mea Roma, venere,
Inquit, iter deſiſte. Sedes vbi roſcida fletu;
Hac in rupe Deus magni tibi deſtinat arcem
Imperij. Populos, ſubiectaque Regna, triumphos,
Cum Superis Regem Superum, diademata, Mundum
Hic feret vna Domus; quæ non fundata, Latinum
Fulciet Imperium, fundamentumque ſalutis,

At-

Atque coronis erit. Super hanc Regina ſedebis,
Et totum aſpicies exciri ſedibus Orbem;
Inque tributa animas, mox aurum ferre videbis.
Omnes anguſto concluſas Limine terras;

Prædicit populorum concurſum.

Exutas membris imitantia corpora mentes,
Exiguos penetrare Lares; fremere atria fletu;
Secla quibus parcunt, corrodere læuia muros
Oſcula; & attactu molleſcere ſaxa genarum.
Pontifices hæc Aula dabit tibi, Roma; meamque
Firmabunt Virtute fugam, referentque labores.
Hos Deus Imperij iam ſignat honore Latini;
Nazareæque Domus educere geſtit ab aluo
Paupertatis opes, & Maieſtatis alumnos.
Eductus Barbo Paulus de ſanguine, ab Æde
Virginis in Latiam quantus ſe proferet Vrbem!
Mors conſanguineas morborum pallida turmas
Inferet Anconæ laribus: virgâque potenti
Angue ter excuſſo dum verberat, inficit oſtrum,
Barbe, tuum. Patres vocat ad Conclauia Roma;
Dira lues lecto te diſtinet. Excute ſordes:
Nomen, Petre, meum, Regnum, & me redde Quirinis.
Proximus ille neci cæleſtia Limina Vitæ
Æger, & obducto caligans ſanguine viſit.
Deuolat ante Virum Cæli Regina: precantem
Vultu animat, peſtemque fugat, Regnoque redonat.
Petre, ait, Imperio per me ſuccede Latino.
In Vaticanum ſolium tibi verto ſepulchrum.
Promiſſi tunc ille vades iuueneſcere vires
Sentit, & immiſſo ſalientes ſanguine venas.
Optatum maturat iter; populique receptus
Plauſibus ille tui, nullis diſſenſibus Aulæ,
Conſpirare videt Romani vota Senatus.

Petrus Barbus Card. peſtilentia tactus deferri ſe confeſtim ad Templum Laur. iubet. Oranti ſomnus obrepit. Virgo apparet, ipſum propediem Pontificem futurum pollicetur. ſanatur: fit Dei nutu, & Deiparæ Pontifex dicta die. Turſ. l 2.c.1. Hiſ. Lau.

Fit dubitaſſe nefas; mentes dum numine verſat,
Ducit & in Petri ſuffragia Virgo. Voluptas,
Gaudiaque inuoluunt, puro ſed gurgite, ciues:
Cor plaudit, voceſque. Faue iam, Roma, Parenti,
Qui tibi procudet meliori ſecla metallo.
Virginis auſpicijs dominabitur ille, ſuiſque
Inferet hanc Dominam Regnis. Pede nudus, obibit
A populo dictas, populis vndantibus, aras.
Icona Virginei vultus hinc Ætheris Atlas
Efferet, ancile in Turcas, vexillaque belli,
Et Lunam, Odryſius quam Cerberus ore trifauci
Oblatrat. Epirum nam poſtquam dente ſubegit;
Sæuit; & Illyrium rurſus dare rictibus optat.
Paulus in arma vocat, magna ſub Virgine, Reges,
Armigero centum quæ continet agmina vultu;
E ſolido argento cui propugnacula malæ;
Cui bellatores obtutus; vbera turres;
Lumina cui rutilant armamentaria Cæli;
Palpebra cui clypeus; cui frons equitatus Erythræ,
Qui tamen haud pelago tumulatur, at obruit hoſtes.
Gaude Roma: fluent, hoc Principe ſecula mellis;
Mellaque ſudabunt quercus. Nam mellea Virgo
E quercu pendens pluuium ſtillabit Olympum.
Delicias, & amoris opes, liquefactaque nimbis
Sidera mellitis: rorabit & ipſa liquatum
Virginis vlna Deum, populosque ſparget in omnes
Fuſilis ad Mundi flagrantia vota per Orbem.
Namque vbi Fama canet, viridi miracula quercu
Pro folijs vernare nouis; pubeſcere dona,
Glandibus abiectis; floreſcere gaudia ramis;
Aligeros iterum menſas componere ad vmbram
Arboris; & gemmis ramos intexere Numen;

Pro-

Caleſtini de Pontif. vaticinium Virginem, cui eſt à Populo nomen, nudo pede circumferet, vt Turcam auertat, qui, victa Epiro, minabitur Illyrio. Chriſt. etiam Principes ſacrũ ad bellum vrgebit. Ciaccon. &c. an. 1470

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea Cant. 1.

Reperta eſt in Viterbienſi ditione S. Maria de Quercu. Ciaccon.

Hanc peruiſum aſpexere duæ fœminæ menſe Iulio in tegula è quercu pendẽte. an. 1467. Id.

Xerxes ſatã à ſe arborem gemmis ornabat.

Protinus vnda fremit populorũ,immiſſaque cunctis
Exilit è Regnis : Viterbi fertur in agros :
Perluſtrat nemus omne, ſonat quà plauſibus Arbor,
Arbor adoratas factura nepotibus vmbras,
Lumine ſed grauidas vmbras, Soliſque maritas
Æterni, Lunâque ſuper creſcente, feraces.
Ciuibus à magna ſeruatis Virgine, quercus
Virginis in ſertum, folijs ſe ciuica texet.
Fulciet hæc Stygijs direpta latronibus arma;
Votaque ſuſpendet ramis, & corda precantum.
Nomina, quæ folijs mandabit, in aſtra, Deique
Tranſcribet mentem, vanis non credita ventis.
Hæc eadem geminas in vertice fida columbas
Attollet, niueum, niuea cum Matre Puellum,
Monſtrantes iter ad Superos. Dodonia quercus
Rumpitur inuidiâ : namque hæc oracula in omnes
Vocalis fundet, ſed non fallacia gentes.
Gaude Roma : olei, Paulo ſub Principe, fontes
Dulcia ſecla liquant, ab Amoris proflua flammis.
Hæc Capitolinis radicibus exilit vnda.
Induperatricem Superùm Tarpéia Rupes
Parturit, Imperij ſedes; cui Gratia nomen
Indidit. hinc plenâ ſolatia verſat ab vrna :
Dumque fluunt populi, Cæli fluit imber. In arce,
Formidata ſedes vbi, Roma, triumphat, & hoſtes
Muneribus debellat Amor. Pia ſceptra Quirini,
Et trabeas hìc Virgo gerit : fora faſcibus ambit;
Atque triumphatæ proculcat colla Mineruæ.
Hìc ſedet armipotens, pacemque miniſtrat & arma.
Ad ſua Templa catenatas hìc illa cateruas
Pertrahit, atque onerat poſt ferreã vincula donis.
Euocat hìc Reges, Fridericum, Roma, latentem

Olim ex arbor. trophæa. De hac Virg. l. 6. in qua columbæ geminæ, Aeneæ iter monſtrãtes.

Erat ſacra Mineruæ dabatque oracula.

An. 1471. ſub Paulo ad Capitolij radices prope S. Mar. Gratiarũ reperta in muro B. V. imago, cui à Conſolatione nomen. Ciacc.

B. Virgo Capitolii præſes, & Domina.

Sub panno aſpicies procumbere ad oſcula Pauli;
Regalemque animum regali fonte linire,
Quem trahit è vultu Pietas & Gratia Diuæ.
Excipe Marcellum: venit in ſuffragia Mundus.
Hoc regnante reges Orbem, violentus amore
Quem rapiet, mitis populorum in corda tyrannus.
Principis ante pedes, cæli qui margine claudit
Imperium, pede conſerto gens omnis in Vrbem
Illabetur; vt in ſolio ſe colligat vno
Finibus è multis; vtque vni ſubdita regnet.
Indomiti bello, feritate, atque Orbe Britanni
Diuulſi venient: veniet glacialis Ierna,
Cum populo in Tyberim dilutâ cæde ſuperbus.
Illius obſequio Tanais, Niluſque relinquent
Littora cum lymphis: transfundent flumina gentis.
Biſtonij Romæ arua tegent; ignotaque Thule
Abruptas tranſgreſſa vias: ſua ſpicula Mauri
In Vaticano frangent duriſſima ſaxo;
Mollia quo pedibus dent oſcula. vulnus amoris
Hinc referent, Fideique iugum, Pietatis & arma.
Quis voci obſiſtat Virtutis? cuncta ſilendo
Euocat ad plauſus: rapit vrbes, Regna, Tyrannos:
Quà Sol vrget equos & retrahit, illa ſuſurrat,
Allicit, exterret, ſonat imperioſa, vocatque
Saxa, feras, mutumque pecus: trahit omnia Virtus.
Vox eſt tota: manus, oculi, frons, corda loquuntur;
Et vel muta tonat, vel factis viſa perorat.
Excipe Marcellum. Tamen ò! ſuſpende micantē
Pectore lætitiam, mea Roma. hunc Virgo Latino
Oſtendet Regno tantùm. Date lilia, ciues,
Et violas miſcete roſis, & gaudia luctu.
Huic, Lauretanas dum Myſta operatur ad Aras,
Can-

A. 1468. Fridericus Imp. ad Paulum Romam venit an. 1470. Fridericus adoleſcens Ferdinãdi filius. Ciac.

Marcellus Ceruinus. Sub hoc aureum ſeculum dũ ſperatur, intra 22. dies obit. Ciac.

Marcello rẽ ſacram in Sacello Lauretano facienti eximio candore ac ſpecie columba ſæpè aſtat. rurſus ad eamdẽ Aram operanti apparet Virgo, et ipsũ clariſſima luce circumdatum fore Pontificem indicat. Turſ. l. 5. cap. 20. Hiſt. Laur.

Candida Cælituum delapſa Columba viretis,
Incubat; & frontem pennâ rutilante coronans,
Deſtinat Imperio. Sed Mors circumuolat vmbrâ
Ipſa etiam malè fida caput. Romana propago,
Felix, heu nimiùm felix, ſi fata dediſſent
Regna tenere diù. Rupes Tarpëia Ditem,
Et Stygios compreſſiſſet, ceu Caucaſus, hoſtes.
Ipſa Auis, Imperij Regina, in viſcera roſtro
Impia deſcendens, iecur immortale voraſſet.
Heu Pietas, heu Pacis Amor, concuſſaque numquam
Flamine adulantum Virtus! impunè tuliſſet
Non cædes, Aulæque dolos, luxumque potentum:
Diuitis vrticas, repuliſſet munera; honorum
Nec pretijs vltrò commercia fœda dediſſet.
Non ſitiens, ſed largus opum, inuitaſſet honeſtos
Diuitijs mores, preſſiſſet crimina pœnis.
Pone tamen luctum. Sol occidet: attamen ingens
Occiduo de Sole Aſtrum, ſoror inclyta Solis,
Cynthia parturiet, cui ſe Sapientia riuis
Omnibus iufundet lucis; Romana colorem
Purpura & vnde bibet, lacrymis abluta decoris.
Simplicitas, Pietas, Doctrina, modeſtia, robur,
Maieſtas & honor, paupertas, copia rerum,
Cura quietis, amor populi, pax, iraque vindex,
Pectoris atque index magni, paciſque miniſtra,
Hoc benè conuenient in Principe. Vincere fraudes
Hæreſis edoctus, ſed fallere neſcius, arma;
Bella, minaſque manu tractabit victor inermi;
Et reſpondebunt magnis cognomina factis.
Innocuus feriet noctuos ſine cæde Colubros,
Terribilis calamo; cæli cui bellica ſuccum
Sidera ſtillabunt; cui ſe, ceu pagina, Candor
Sub-

Religato Prometheo in monte Caucaſo aquila cor exedebat. Oratori Regis Hiſp. iuſſi licami veniam homicidij pro viro nobiliſs. Romano reſpondit: nequaquam ſibi placere ab homicidij abſolutione Pontificatũ inire. Luxum odit: vaſa argentea remoueri iuſſit è menſa, ænea ſatis eſſe dictitans. paucorum miniſterio contentus fuit. Ciaccon.

E Cynthia Marcelli ſorore natus eſt Bellarminus.

Bellarmini laudes.

Sæpius auuculi purpurã lacrymis, eam gerens inuitus. inuit.

Vir ſynceræ fidei contra hæreticos fidē defendit lingua, & calamo.

Subſternet; ducetque Fides in prælia mentis
Scriba characteres, nullis infecta lituris.
Bellarminus erit. Nec adhuc formidine, tanti
Nominis ad ſonitum, trepidatis Tartara? Sola
Nominis vmbra faces Fidei dum præferet, vmbras,
Inferet ingenijs, Barathri quæ Lucifer igne
Fecundat tenebris, cæcoque illuminat aſtu.
Bellarminus erit. Stellata volumina, nomen,

Volumina Bellarmini arcana ſapientiæ.

Ætheris implebit; dum docta volumina dextra
Arcanis Sophiæ theſauris implet, & ornat.
Filia quid Latij, Romæque colonia, pigro,

Pius II. Senenſis inſignis eloquentia.

Sena, Pium gremio complecteris? Aggere fracto,
Frange moras, fluuioque viam da læta ſonantis
Eloquij. Pius ore poteſt turgere diſerto,
Et ſuperare Tigris, vel Hydaſpis flumina curſu.
Vox olli dulcis; ſed amoris plena ſeueri,
Flexa, polita, rapax animorum, florida, culta,
Leniter imperioſa, potens, librataque mente,
Pondere conſilij vibrata, opulentaque, victrix,
Libera, fuſa, tonans, frenis ſed ducta pudoris,
Vndans aggeribus, quos ſola modeſtia pandit,
Egregijs dictis animoſa, inuictaque ſemper,
Qua Romana Fides, Deus ipſe è Rupe Latina
In populos fundet diuinæ oracula vocis,
Atque animos fluido rapiet ſermone volutos.
Sena, nequis retinere vndas, quibus alueus Orbis;
Roma caput fluuij; ſunt littora Regna. Quot ille,
In Vaticano dum ſtagnat vertice, gentes
In ſacra bella rapit, Turcarum noxia Lunæ?
Euocat armatas acies; cum Regibus aulas
Sedibus euellit patrijs. Vix Mantua cœtus
Conciliumque capit Regum, pia bella frementum.

Dum

Dum Byzantinam Thrax occupat impius vrbẽ;
Alligat eloquio Venetos, & fœderat armis.
Nectitur & parili Burgundia fœdere. Fundit,
Protrahit, & torquet pretioſas ore catenas
Sanctior, Heroes ducturus, Iuppiter auro,
Quod ſermone liquat. ſed Mors quæ muta triũphat,
Imponitque Viris inimica ſilentia, morbo
Linguam lethali deuinciet. Ille dolorem
Exuperans, lethi fraudes, incendia febris,
Corde exorabit Verbi, ſine voce, Parentem.
Ipſa loqui ſi dona ſolent; ad Virginis aras
Aſpera tranſmittet Lauretum cymbia gemmis,
Immortale merum propinatura Tonantis;
Muneribuſque preces addet. Pia Virgo, dolenti
Affer opem. febris incendit: ſed pectus adurit
In Thraces magis ira. Sacri molimina belli
Interrupta iacent: vox deficit arma vocantis:
Creſcit amor belli. Geminus dum prouocat ardor,
Contenditque ſinu; gemino conſumor ab igne.
Sic freta diuerſis lacerantur peruia ventis.
Tu noſtras compone faces ô Virgo: coactis
Agminibus me redde Ducem. ſit noſtra triumphi
Augurium ſtimuluſque ſalus: conſurgere detur,
Vt iaceant hoſtes, iaceam vel conditus hoſte,
Hoſte ſed extincto. Tunc ſidera vertice tangam:
Tunc Vaticanâ ſtabit mihi firmior arce
Structa cadaueribus moles; licet oſſa iacentis
Opprimat; impietaſque Pium me ſaxea condat.
Tela priùs membris deſueta trementibus apto.
Regibus exemplum, ſexagenarius arma,
Pacis at arma fero. Pax eſt ad funera Thraces
Proturbare armis. decus eſt mutare thiaras

In concilio Mantuano ſua præſentia ac voce ad Turcicũ bellũ principes, & populos incitat. Turſ in Hiſt. Laur. Ex itineris laboribus febri ægrotat, & tuſſi. Vouet calicẽ aureum opere inſignem.

In

In galeas. Superûm æquè militat infula Regi,
Militis & caſſis. non fœdat ſyrmata ſanguis,
Sed ſacrat; ſi cauſa trahit, ſed iuſta cruorem.
Sica Sacerdotem, ſcortantis in inguine fixa,
Dedicat æternùm Phineem cæleſtibus aris.
Hæc vrunt me vota, Parens. Gemmata pyropis
Pocula ſume, tui caleant quæ ſanguine Nati,
Atque meo. Propino tibi: ne reſpue, Virgo.
Miſceo dum noſtrum ſacro in cratere cruorem;
Sanguine diuino, vita eſt in ſanguine, viuam.
Orantem Genitrix audit; placataque donis,
Donat opes vitæ. Pius ora reſoluit & artus.
Iam graditur: creſcunt animi: ſtat robur; at impar
Auſibus: extinctæ remanent nam ſemina flammæ.
Morbi relliquijs languet: veſtigia nutant:
Exanguis notat ora color: rigor occupat artus.
Non aliter ſcintilla faces ſi paruula magnas
Intulit in cæcas ædes ſub nocte ſilenti,
Incumbuntque Noti; calido ſe vorticeflumen
Prouehit ignitum: flammis torrentibus aulam
Obruit: eructat fractis incendia tectis:
Dependet quaſſata domus, patuliſque feneſtris
Cum fumo vapor expirat, quem turbinat aura,
Vicinoſque lares inimico murmure terret.
Vndique conueniunt populi, quos publica tangunt
Commoda: Neptuno Vulcanum vincere tentant.
Materiem rapit hic flammis, cedroſque ſubeſas
Proijcit in præceps: vellit laquearia: menſas
Scriniaque euoluit: largas ille ingerit vndas;
Donec flamma, ſuo tandem tumulata ſepulchro,
Cum fremitu cadit in cineres. ſed mortua viuit:
Fumat adhuc nam triſte ſolum, fibriſque ſub imis

Phinees ſurrexit, & accepto pugione perfodit ambos ſimul, &c. erit tam ipſi quam ſemini eius pactū Sacerdotij ſempiternū, quia zelatus eſt, &c. Num. 25

Voto nuncupato cœpit febris refrigeſcere, tuſſiſq; remittere.

Peſtis adhuc inſida latens, noua damna retentat.
Ergo mouere gradus in Virginis Atria certat
Spe Pius innixus. Lauretum, Templaque longè
Dum cernit; vigor exoritur: ſe firmat eundo:
Relliquias abigit febris: delubraque tandem
Virginis ingreditur. Tunc protinus omnis in auras
Vis abijt morbi, ſteteruntque in pectore vires.
Intonat attonitus rurſus Pius arma: ſalutem
Deuouet acceptam Diuæ, vitamque redonat.

Quò pr. piùs Lauretũ accedit meliùs ſe habet.

Ad conſpectũ B. Virginis valens peruenit, ac vegetus, & vota ſoluit. ex Turſ. in h. La

Pontificum Mater, Lunæque ſimillima Virgo,
Æthereâ ſecum ſtellas quæ ſede reponit,
Orbis ad Imperium, Xiſti gentilia ducet
Sidera. Proh quali rutilabit luce timendus!
Hoc dominãte cadẽt vmbræ, quibus improba frau-
Occulit impietas: morti damnata latronum (des
Corpora perquiret gladio; nemorumque receſſu
Extrahet ad laqueum. Sic Maieſtate ſeuerus
Sol venatores iubet ire per antra ferarum;
Cædibus & cædes cumulare; leonibus apros,
Et miſcere lupos vrſis; & ſæpè vorati
Sanguinis humani proprio dare ſanguine pœnas.

Xiſtus V. B. V Lauretanę addictiſſimus Sicarios, & exules exterminat ex Turſ. h. Lau. c. 11. l. 5.

Qui fuerant tacitæ quondam tentoria mortis,
Montes æquabit Xiſtus, ſiluaſque reuellet
Quà face quà ferro, Gedeone potentior; irâ
Qui ferus vltrici denſiſſima robora ſaltus,
Et gladio annoſæ violauit robora ſiluæ.

Collem Laureto proximũ æquat.

Tunc ſuſpecta priùs Peregrinus compita tuto
Calcabit greſſu. niſi fortè in ſanguine furum
Lubrica gaudebit currens veſtigia labi.
Inde viatorum reſonabunt omnia cantu:
Mæandris inde irriguis turba vndique lapſa,
Et multis infuſa vijs, fundetur in Ædes

Vir-

Virginis, Auroræ populos & Regna trahentis
Vltima. Complecti Laureti Villula totum
Sed nequit auulſum patrijs è ſedibus Orbem.
Laureti ſtagnum exſiccaſſet Ergo humile oppidulum, pelagus quà littora lunat,
Sumptibus immenſis fines protendet auitos,
fontem aperit. Leniter emiſſos perfoſſo è monte perenni
Se fons cum ſonitu flectens ad mœnia riuo,
Præbebit populo latè populariter vndas.
Innumeri cum fonte fluent ſaliente coloni:
Namque loci facies lætiſſima. noxius aër,
Iam felix Aquilone, nouas excurret in oras;
Nec vitiabit agros nebulâ, neque corpora tabo.
La. oppidum ciuitatis iure & Epiſcopatu donat. Hanc dabit eſſe Vrbem: Paſtore, & legibus Vrbem
Conſtituet: Puerique Dei cunabula magnis
Poſtibus armabit Xiſtus ſtridentibus ære.
Lau. Templi ianuas ex ære celat 40. aureorū millibus. Munera Pontificis ne labilis impetus æui
Letheos ferat in fluuios, quibus omnia dona
Degener obſcuris obliuio deuorat vndis,
Picenum in Statua, velut aggere, ſtare iubebit.
Signum aneū Xiſti in Templi gradibus poſitum. Marmoreis Templi facies diſtincta columnis
Qua fora ſpectabit, diademate cincta domorum;
Maieſtate ſolum grandi premet ardua moles,
Pontificis referens vultus ex ære, quod igne
Scintillare pio vicina è Virgine credas,
Et ſacrâ populos in Templa laceſſere flammâ.
Alexander VII. Te quoque, Alexander, Reginæ Virginis Aula
Efferet in Regnum, gemino quod ſidere ſignat;
Et gemino, lucent vbi conſita ſidera, monte.
Lucifer in puero tantæ cunabula lucis
In hunc adhuc puerum ira Luciferi. Horreſcet, præcepſque animi, nec ſobrius iræ:
Matutinus, ait, Fabij mihi nubila fulgor
Protendit, nigrumque diem: à mihi Sena quid vltra

He-

Heroes paris illuſtres, inimicaque Diti
Caſtra tenebroſo ? Puer ecce timendus Auerno
E Vaticanis mihi montibus inferet arma;
Inque meas vmbras pro telis aſtra vibrabit.
Auſpicia heu malè captantur, quà Chiſia ſurgunt
Culmina: Tænareas hac auguror arce ruinas:
Experiar tamen ingenium, fraudeſque locabo.
Non vrit Fabij mea ſubdita flamma medullas,
E Cypriæ correpta focis: auertit amoris
Impuri ſtimulos, durans ad vulnera ſenſus.
Aggrediar corpus; ſi mens, ſibi clauſa, recedit
In ſe; ſi tantùm cæleſti carpitur æſtu.
Vt cadat ante diem, venis inſpergere virus; *Grauiter ægrotat.*
Diſtillare necem iuuat in præcordia ſenſim.
Lapſa minutatim trahat oſſa, & cruda fatiget
Ora ſiti: vires furtim paſcatur & artus;
Donec procumbat mea victima febris in igne.
Lucifer hac æſtus agitabit voce. Tegendo
Flamma furens viuit: vitiato ſanguine vultus
Pallet; edaxque ſitis ſub pectore perfurit imo,
Ingenuæ florem febris libata iuuentæ,
In venis abſtruſa latet: vitale flabellum,
Quas trahit, infectas ex ore reciprocat auras.
Iamque propinquabit letho; cum Virgo vireſcet
Cui lauro titulus, pubeſcet gloria factis,
Inferet hanc iuueni mentem: auguſtale ſalutis *Ope Lauretanæ Virginis conualeſcit.*
Virginis eſſe Domum: Lauri ſuccedat ad vmbram;
Febris vt immiſſum procul arceat vmbra calorem,
Sola refrigerium vitæ. Spem votaque corde
Concipit arcano Fabius; medicaſque peroſus
Inde manus, adhibet ſolam te, Virgo, medelam;
Inque diem morbo preſſum caput altius effert,
Mem-

Membraque iam tabo reparat dilapſa proteruo.
Non ſecus agricolæ quercus diſſecta ſecuri,
Florida robuſtos dum tendit in aëra ramos,
Trunco ignominiam malè ſuſtinet, atque ſuperbi
Siluicolæ plagas: mox Vere fauentibus auris,
Frondibus aucta nouis, Zephyri petit ęthera plauſu.

Vota ſoluturus Lauretũ iter habet.

Tum verò Fabius, victa nece, ſurget; & ambas
Tollet in aſtra manus, greſſuſque ad limina flectet
Lauretana. Pedem vix inferet: ecce precanti
Mens rapitur ſenſuſque. Petrum, ſtipante corona
Cælituum, ſacras operantem cernit ad aras.

In ara Laur. B. Petrum inter alios Pontifices ſacrificantem videt. Poët.

Nomine magnus adeſt, vmbratus tempora lauro,
Gregorius, dextrumque latus ſplendoribus ambit.
Terribili Leo luce placet, læuumque coronat,
Dalmaticis ambo tunicis linoque decori.
Diſſimili ſtant veſte Pij: nam diuite luxu
Addita Virtuti Sapientia fila Secundo
In chlamydem voluit, Soleſque intexit in auro.
Arte Fides mirâ tenuat ſed ſyrmata Quinto.
Prodigijs variatur opus. Stola ducta ſub ala
Tranſuerſim duplici, promiſſa, & penſilis, omnes
Verſicolorato decorat pulcherrima ductu.
Cingula candidulus turgeſcit ad aurea byſſus,
Et fluitat rutilas gremio criſpatus in auras.
Stant ſuper Aligeri; Regnique inſignia dextris
Attollunt, diadema triplex. Libamen ad aras
Expedit è cælo Michaël; Cereremque miniſtrat,
Poculaque. Auguſto Petrus ore incumbit, & afflat

B. Virgo Lau. D. Petro Fabij pontificatum prædicit. Poët.

Voce dapes pollente. Deus tunc Æthere lapſus
Victima ſuccedit Cereri, ſed viua, fugatæ,
Atque mero. Sequitur Genitrix diuina Tonantem
Triticeo vectum curru. Quo ritè litato:
Re-

Petre, inquit, iuuenem cernis, qui affunditur aræ,
Votaque perſoluit? meus eſt, pupillaque frontis,
Theſauruſque mei cordis, quem matris ab vlnis
Diripui, fouique ſinu; quo ſceptra, coronæ,
Et ſacra Pontificum floreſcit purpura ſucco
Sanguinis, in Mundi pretium quem ſanguine noſtro
Duxit Amor. Noſtris quia nunquam Chiſius vlnis
Regalique ſinu cecidit; regnabit, & Orbem
Fulciet hic mecum, ſcelerum dum pondere nutat.
Omnibus accitus ſtudijs, bella, omnia bella,
Virtutum radijs, & maieſtate fugabit.
Hunc vehet alta humeris & pectore Roma: cruoris
Inter lætitiæ lacrymas ſiccabitur vnda,
Telaque frangentur. Tamen hos in ſemine fructus
Perdere Mors tentat, genitrix & filia belli.
  Bis omnē, in tumulū lapidē importuna mouebit.
Sed tumulo emerget, lapidumque è mole ſepultus; *Bis eundem calculo laboraturum*,
At viua ſemper Virtute. In viſcere cautem
Sentiet heu tenero latitantem inoleſcere morſu
In ſegetem mortis, lapidicinamque dolorum.
Quis clauſam ſperet peſtem lenire medendo?
Ille Deo mentem, ſenſumque affiget Olympo;
Tormenti genus horrendum ne ſentiat. Aſtra
Viſa iuuant; & ſæpè dolor fulgore leuatur
Ætheris, applicito morbis. Medicina Futuri
Sola malis prodeſt præſentibus. Vna voluptas,
Vna quies Fabio, nunc ſidera quærere vultu;
Nunc ſtellata mei, melioraque vulnera Nati
Explorare oculis; rimari corde; lapillos
Sanguinis, & gemmas furari; allambere; venâ
Dum lapidum arcanâ lapidatur, & horret ad ictus
Vita labans, hoſtemque fouet, munitque tegendo.

Bis ſanctum obiecta ægroto Christi patiẽtis imagine.

Tunc ego ſidereis depicta coloribus ora
Numinis obijciam, pallentis imagine mortis.
Rore leui tabulam aſpergam, ſuccoque ſalutis.
Funeris vltor erit Natus, dum funera vultu,
Dum luctus curaſque refert. Hunc ille feroci
Sollicitus morbo ſpectabit: & vmbra Tonantis
In fatum properantis, erit lux aurea vitæ.
Dulci conflictu dolor; ardor; amica voluptas;
Petra Deus, qua lætitiæ ſalit vnda; fodina
Calculus indomiti luctus, & vena doloris;
Hinc Nati cruor; hinc ſudor languentis alumni,
Solantur pœnâ Fabium, & dulcedine torquent.

Hanc imaginem ab eo ſeruandam.

Naufragij hanc victi tabulam, licet actus ad oras
Et Vaticani ripas, anathemata mortis
Bis domitæ, & Petræ, qua prominet, omen amabit;
Atque oculis iterum vigilique requiret amore.

Ad hæc Virginis vaticinia Superum plauſus.

Virginis has voces lituis fidibuſque tubiſque
Excipiet Superûm pubes; diademaque triplex
Crinibus imponet Fabij, ſua dona timentis,
Et lacrymantis. At in niueas abit humida gemmas
Lacryma; lecta leui Diuûm quæ pollice fingit
Regni ſtemma ſacri. Nolens ita ſeruit honori
Ipſe ſuo Princeps, quem pondere territus odit.
Affuſo ſed qui circum Sacraria Patres
Aſſiſtunt cœtu, Fabio lacrymante, benignis
Arrident oculis: iuueni dant brachia collo:
Hærent impliciti; infunduntque per oſcula mores,

D. Petrus Fabium alloquitur, & ad Laur. Virg. amorem hortatur.

Inſinuantque animas, vnoque in pectore viuunt.
Quem ſic affatur Petrus; ſed voce per aures
Quæ non miſſa ſonat, tacito ſed corde perorat,
Arcanoſque mouet ſenſus. Iuſtiſſima Diuûm
Cura, Fabi, Regno tibi ſit præſentius omni

Vir-

Virgineæ Genitricis amor ;qua præſide , quiſquis
Sceptra tenet,nil ſceptra facit;Dominuſque regentis
Cuncta Dei , nil cuncta putat . Te Virgo Quirino
Deſtinat Imperio , ſuperis quia deſtinat aſtris .
Lubrica res ſublimis apex : trahiturque ruina
Sæpius elato Regnorum è culmine . Sed tu
E Vaticano , ſubnixus Virgine , monte
Diſce ſubire arcem ſtellarum . Hoc edocet aſtrum
In gentilitijs quod montibus Æthera monſtrat ,
Et facilem ſuper aſtra viam . tamen ante memento
Annis implendam ætatem , virtutibus Orbem .
Hoc etiam memori ſignabis corde ; catenis
Æternis poſtquam fera bella ligaueris , Ædes
Has iterum vt viſas ; paciſque inſignia muris,
Laurigeriſque aris , domiti ſpolia ampla furoris,
Accumules victor . Tibi Virgo corona triumphi
Immortalis erit . Suſceptos gratus honores
Huic dum mortales reddes , æterna refundet
Regna tibi,documentum ingens : bis Regna parari,
Si tibi ſeruitium tantùm , ſed nobile , Regnum eſt;
Teque regis,famulumq;geris,dum ſceptra gubernas.
Hæc Petrus: Superûmque chorus dilapſus in auras
Soluentem lacrymis iuuenem ſua vota relinquet .
Attonitus viſis non ille è pectore voces , *Fabius ſacris ordinibus initiatur .*
Facta ſed ex animo laxat : ſe deuouet aris :
Aurea Pontificis ſequitur vexilla togatus ;
Succumbitque Aulæ , ſeruit cui curia Regum ,
Regia quæ Mundi , maieſtatiſque tribunal , *Seruit Aulæ Rom. negotijs.*
Eſt innixa Domus Cælo , Diuiſque propinqua ,
Cardinibus ſuffulta Orbis , fratreſque ſerenos
Regali complexa ſinu . Tunc fortior vſu
Vrbani iuſſis , magniſque exercita curis , *Quæ ſit vera Politica .*

Lumine clara ſuo, Fabij prudentia in omnes
Diſcurret, ceu vena actus argentea, Cælo
Corriuata, canaliculis non ducta Catonum.
Scilicet hæc Reges regnandi ars vnica format:
Hæc Superos regit vna, fluens è mente Tonantis,
E Chriſti fluuijs, magnoque volumine Verbi,
Omnis vbi lex eſt legum, deſcripta cruore.
Hanc non metitur lucrum, non gratia vulgi;
Non agit ambitio, non relligione ſuperſtat
Succollante; ſed hanc tollit ſuper omnia; & ipsâ
In ceruice locat Regum; cenſumque lucrumque
Eſſe putat, cumulare animis æraria cæli.
Vt geminis ripis & regno Rhenus aquarum
Deuehit argentum, gemino ſic littore, cordis,
Dona ſui voluit Fabius. Prætermeat aulam
Fuſilis in curas Sapientia: flumine Virtus
Profluit aurato, Pietatis & otia quærit.

Fab. aſcribitur nobilium in ſodalitiũ, quod ſub titulo Virg. eſt in cælum aſſumptæ.

Nobilitas quà Parthenio Romana Senatu,
Virginis auſpicijs cælum ſubeuntis, amore
Iungitur, ò quantum tua, Chiſi, gratia creſcet!
Gemma maritatur ceu circo pulchrior auri,
Moribus ingenuis ſic Virginis inter alumnos
Effulges rutilis flammis; aurumque pyropus
Nobilitas medius. Iunior maiore cothurno
Attamen incedis virtutum. Extare popello,
Ceu Saul, in medio magnum eſt: ſuperare Gigantes

Eius in faſtis hoc repertum Elogium: Fabius Chiſius eximiæ virtutis adoleſcens.

Sed quid erit? celsâ palmam quid fronte, trophæũ
Virginis auguſtæ, contingere? Cernite. viuet
Non delenda vnquam Mariano in codice Virtus.
Egregium referet iuuenem, cuſumque metallo
Nobiliore, animo canum, ſpemque Vrbis & Orbis.
Dum creſcit Pietas, Solem velut vmbra fugacem,
Pur-

Purpura proſequitur Fabium, qui lumina vibrat
Non fugitiua. Quirinali ſuppoſtus Olympo,
Fulcit onus; dorſoque orbes & ſidera torquet.
Laureti memor ex adytis, roſeoque Cubili
Proxima ſupremo tenuiſſe cacumina Regno,
Grati animi tibi, Virgo, locat monumenta. Sacellum,
Quod Lauretano ſimili ſe nomine iungat,
Incluſum Templi ſpatijs, cui proflua nomen
Turba dedit Populi: conſpirabuntque duello
Hac in ſede artes. Mirantur Memphide ſectâ
Ad latus in cælum ſe tollere mauſolea;
Et ſuper Auguſtos cineres impoſta ſacrari;
Ægyptique nefas abolere, domuſque beatæ
Relliquias ſeruare ſinu, cæleſtia vitæ
Pignora perpetuæ. Pictura coloribus afflat
Aræ animam, muriſque, tholo circumque ſupraque,
Imponunt oculis ſimulacra, indutaque formam
Temporis & vitæ mortiſque, è marmore credas
Luminibus lucem vibrare, animamque loquacem.
In medio vacuum titulis pompâque ſepulchrum
Sternitur ad Fabij cineres cum lemmate: Ad aſtra
Mors iter eſt. Fabij non hæret marmore nomen,
Nec debet tellure premi, quod ſcribitur aſtris.
Emeritum pridem, curiſque Deoque vacantem,
Tot complexa gradus tandem ſuprema poteſtas
Eriget in ſolium, Mundique imponet habenis.
Hoc regnante lues multas dominata per vrbes,
Principis aſtra timens, in Turcas caſtra mouebit.
Horrida funeribus mea Roma, atque obſita luctu,
Ipſa ſibi feretrum, ſibi præfica, & vrna ſepulchri,
Dum tabo graſſante gemit; fera nubila mortis
Franget Alexander, quia lampada quaſſat amoris.

Cardinalis creatur.

In Templo B. Mariæ à Populo ſacellū Lauretanæ V. ſacrū ornat, ac renouat.
In hoc ſtatuæ ſunt, & pictæ tabulæ inſignes.

Et Chiſiorum ſepulchra.

In area media Fabÿ ſepulchrum ſine nomine.
Fit Pontifex.

Eo Pontifice peſtis Romæ graſſata.

Ergo age Pontifices cum fœnore, Roma, rependit
Lauretana tibi Sedes :ſpem tolle cadentem :
Hæc tibi Regna dabit; Rex hìc nam regnat Olympi,

Boniſ. VIII. Cæleſtini ſucceſſor poſt ſeculum Iubilæi annum aperuit, & totius Orbis cõcurſu aucta eſt celebritas Lauretana, et Romæ gloria. Ex Tur. & al.

Quoſque creat Reges, hìc perficit. Humida fletu
Lumina terge. Nouum dum Sol reuocauerit annum,
Quæ Tanaim pia turba bibit, fluctuſque Garumnæ,
Flumina Gangis, Hydaſpis aquas, Rhenumq; Tagũq;
Danubium, Rhodanum, Tameſim, fonteſq; Sicanos,
E Lauretanis immiſſa Penatibus, Vrbis
Quattuor intrabit, luſtralibus obuia ſacris,
Limina. Nam poſtquam noſtris conſederit aruis
Alma Domus, bis luſtra decem referentibus aſtris,
Recluſis aderit Cæli Indulgentia valuis.
Maieſtate fores Bonifatius implet apertas,
Cæleſteſque profundit opes, & mixta dolori
Gaudia iucundo. Populi veſtigia calcant:
Inuehitur cum gente Salus; & Gratia poſtes
Occupat, Aligerûm deuecta curulibus alis.
Infert ſe radijs Titan melioribus: annos

Cæleſtinus verſus mare Adriaticum fugit, vt in Dalmatiam traijciens in Eremo lateret. Deprehẽſus in via, Pontificis iuſſu honeſto carcere detentus eſt in Hernicis, quoad vixit. Ciacc. in vit Pont.

Deuocat æternos, & candidiora ſalutis
Secla redorditur: Virtutum panditur ætas.
Scilicet ex vna tibi Sede pateſcet Olympus.
Illa peregrinum peregrina vocabit in Vrbem
Cum populis Orbem; patriâque reuulſa, reuellet
Sedibus è patrijs Reges. Dum Regia Mundi
Roma eris & Superûm, me carceris horror habebit.
Sed breuis vmbra mihi pariet fecunda perennem,
Et ſine nube diem, faceret cui nubila, Regni
Celſus apex. Qui ſumma tenet, mage diſtat ab alto
Æthere. deſcenſus rapit in ſublime. remiſsâ,
Demiſsâque manu dum ſtringitur arcus; in auras
Altiùs intorquet ſuâ tela: vt ſaxa vibrentur,

Emi-

Eminus, hanc retrahis. rapit hæc violentia Cælum.
In curſu, pro carceribus, mihi carcer ad Axem
Inſidioſus erit. grauius mihi carcere Regnum;
Aula fuit compes; regalia ſyrmata pondus.
Expedior; iam iamque volo. Tu, Dædale, pennas
Nectis, Amor; Mundi ſed non fallacibus auris,
Atque ſoluturo ceram, me credis honori.
Flatibus ipſe tuis volucer committor & igni.
Sic labyrintheis anfractibus exeo. Roma,
Roma vale; ciueſque mei, mea Regna, valete.
Cæleſtinus amat Cælum. Sic itur ad aſtra,
Dum terrena fugis. fugiendo prendimus arcem
Ætheris, atque Deum: Regnumque acquirimus; vltrò
Dum iacimus. Terræ facit hæc iactura beatos.
Dixit, & abſcondit cæleſti lumine vultum.
At deſiderijs ſequitur dum Roma fugacem,
Quà maris aula oculis eſt peruia, motibus vndas
Inſolitis feruere videt: per inane, rotarum
Percipit & vocum varium crebreſcere murmur.
Clareſcente ſono, bibulas dum ſubrigit aures,
Diſcedit cælum, roſeæque volumina lucis
Nubibus apparent fractis. vox miſſa reſultat.
Fraudes, bella, neces, ſcelerum contagia, totâ
Cedite ab Heſperia. Deus hic Tentoria figit,
Pax, Pietas, & Virgo. procul, procul ite profani.
Tēpus erat, ſolitos quo Sol properabat in ortus,
Feſſaque poſtremo cedebant ſidera lapſu.
Ecce autem nouus axe nitor prorumpit aperto.
Virginis inde Domus, Superûm comitante Senatu,
Apparet. Quis membra mihi circumſtetit horror!
Lætitiæ quæ flamma rapit! Rege, Diua; per auras
Quæ Sedes regis alta tuas, abſiſtite curæ.

Regnum cælorum vim patitur, &c. Matth. 11.

Cæleſt. diſcedit.

Circa hoc tēpus, quo facta eſt Caleſtini abdicatio, Nazar. Domus è Dalmatia in oppoſitam orā Italiæ trans Adriaticum ſinū, quà traiectus patet millia paſſuū fermè cētum, translata eſt ab Angelis. in vit. Cæleſt. Idem aſſerit Spondan. ad an. 1294. Cōcluditque: quaſi hoc munere ſolari voluiſſet Deus mœrorem populorum conceptum ex abdicatione Caleſtini. Id Turſ. in h. L. l. 5. c. 6.

Virgo venit. Tu ſola meo, Diſcordia, plauſu
Importuna gemes. non ſtabunt, perfida, paruo
Hoſpitia Italiæ. Tantæ nunc neſcia cladis,
Teutones extimulas armis; ſpolijſque ſuperba,
Fœda cruore, paras reditum. Tua regna reuiſes,
Non viſura diù: nam te iam deſtinat vmbris
Natiuoque Erebo Domus Omnipotentis Amoris.

Roma Naz. Domũ è mari venientem vidET.

Tenet fama, nec vana eſt fides venienti Deiparæ domicilio arbores obuias veluti venerabundas inclinaſſe ſe. Turſ l.1.c.6.

Iamque iter euadit pelagi, nemoriq; propinquat
Sedit vbi pia Roma. Metu commixta voluptas
Corda tremuſque trahit. Prono famulantia trunco
Arbuta curuantur, præſentem Numinis Ædem
Obſequio teſtata: pauent: ſed territa gaudent,
Lætaque terrentur. Cæli mirabile pignus
Inſertis mirè ramis in ſerta coronant:
Hoſpitis aduentu gratantur, fronde diſerta.
His loquitur linguis arbor vocalis, & aurâ.
Hanc vbi ſuſpexit ſcenam, flammaſque propinquas
Roma oculis hauſit, dulci formidine voces
Obruit attonitas. lacrymas mox aggere cordis,
Brachia in amplexus, totumque in gaudia pectus
Laxauit. gemitu riſum, ſuſpiria verbis,
Verbaque confundit lacrymis; loquiturque ſiletque:
Rurſus & in fletus concepta ſilentia ſoluit.
Erigit in cælum palmas: ſe corpore in auras
Toto ſuſtollit, volucrem meditata volatum.

Roma Naz. Domum ſalutat.

Ardet & exclamat: Superi dimittite pondus;
Quod fertis, noſtras Cælum deponite in vlnas.
In nubes ſic alta ferar; ſic Æthera, & ipſum
Roma Deum tangam, terris atque Æthere maior.
Quæ mora, penngeri ciues? recludite poſtes.
Hac minor Æde vnà, quamuis ſim grandior Orbe,
Ingrediar. magnæ parua eſt mihi machina terræ,

Et

Et Romæ minor Imperio: tamen vnica Romam,
Immenſum complexa Deum, modò continet Ædes.
Imperijs Caſa par cunctis iam deſere nubes:
In noſtras deſcende manus: his collige flammas;
His cumula ſplendoris opes, quibus omnia Regna
Splendidè inardeſcant, agitent & prælia lucis.
Dum manibus te ſuſcipio; cor ſuſcipe noſtrum:
Vel pro corde meo defixa in pectore, motum,
Senſus, ingenium, vires, atque inſere vitam.
Pendula quid Romæ ſuſpendis vota gementis?
Vel deſcende; alas humeris vel necte volucres,
Ad te quò properem. Debes te, regia Sedes,
Credere Reginæ. breuiato ampliſſima Verbo
Me capis; & caperis Romæ ſub pectore. curſum
Siſte, meo fundanda ſinu. Fundamina primus
Cor lapis inſternat: totus ſternetur & Orbis,
Quem Regina premo. Viden! hæc vt ſilua recuruis
Subditur arboribus? ſic inclinabitur omnis
Terra tibi: rami flectentur, & ipſa virentes
Inflectet faſtus, pompaſque ſuperbia: frontem
His teret in ſaxis: hac Paupertatis in Aula
Addiſcet manibus primùm ſeruire reuinctis.
Pandite vel rapite, ò Ciues, æraria Romæ:
Proijcite arma manu: Capitolia vertite fundo.
Veſtra ſedens hîc Roma domo pacata rebelles;
Theſauroſque paro; ſubeo iuga; ſceptraque pono.
In ceruice iugum diuina Domuncula pendet;
Dulce iugum, Romæ quo terra iugabitur omnis.
Hoc Regina fero, captiuaque. pondus amoris
Hæc Cæli Domus eſt: premor; erigor; aſtraque pulſo
Hac Maieſtatis ſub mole caduca. triumpho,
Regnaque ſubijcio, quæ vis non flexerat vlla,

Nec

Nec belli moles curuauerat vlla. potentem
Hac in Sede Deum qui vicit, amabilis hoſtis
Me debellat Amor. Roma eſt inuicta; ſed armis
Vincitur, & vincit, Numen ſuperantis, Amoris.

Paſtores, dum in aëre ſuſpiciunt veſtitam flāmis, & fulgoribus Domum, quid ſit inter ſe diſceptant.

Fortè toro Mopſus viridi compoſtus, ouile
Nocturnis vigil excubijs ſeruabat; in agros
Cum ſe Picenos Domus intulit. Ille nitore
Territus inſolito, & ſcenæ dulcedine captus,
Excitat è ſomno, vicinâ in rupe cubantem,
Et monet Antophylum. Dubiâ nictantia luce
Lumina dum tollit, ſtupidoque volantia viſu
Limina pertentat; ſibi credere neſcit, & ora
Sæpè fricat, paſſuſque iubar, ſic incipit. Æther

Alter ſe rapiē dum in ea domo putat in cælū, vt olim Elias igneo curru raptus eſt.

Voluitur in terras, ò Mopſe: relinquimus arua:
Ducimur in nubes: magalia deuorat ignis:
Silua flagrat: noua Tecta vocant, cæleſtia Tecta.
Viles ite caſæ: meliora mapalia quærunt
Antophylus Mopſuſque. Domus, quę perſecat auras,
Paſtores rigidâ raptos è rupe fouebit.
Si non voce pares, at ſaltem cordibus æquis,
Cum Superis reſonâ ducemus carmen auenâ
Luminis ad fontem, quod Limine profluit. inde
In paſtorales ſpargemus gaudia ſiluas:
Fronde fores viridi velabimus, atria flore.
Inter Cælituum choreas ſaltabimus ambo,
Fontanæ ad numerum flammæ, feſſiſque labore
Fas erit in vigili ſecuros lumine ſomnos
Carpere. Nocte lupus qui terret ouilia, ſicco
Territus effugiet, flammis vigilantibus, ore.
Ite meæ pecudes: Paſtores aſtra ſequuntur
Mopſus & Antophylus: vos quærite mōtibus vmbras,
Et frigus captate. faces vigilantis Olympi

Nos

Nos fulgore vocant: Solis penetrabimus ædes.
Numen habet ſiluas: ſiluæ ſunt Numine dignæ.
Pabula vos medijs contundite in vrbibus. agnis
Lac ibi, vel ſanguis ſubducitur. ite capellæ,
Innumeroſque cauete lupos, quos educat aula,
Cui Mopſus. Fallax quid ſi nos ludat imago,
Antophyle; aut viſæ fundant incendia flammæ,
Corripiantque vlmos, & cum paſtoribus hædos?
Infelix ò ſemper ouis pecus. vbera, fontes,
Arbuta ſiccabunt, & lecta ex arbore poma.
Non vos vmbra teget; rabiemque lyciſca domare
Fontibus haud poterit, dum fauce latrabit anhelâ.
Collibus è nudis pecudes pendere videbo:
Ad mulctram fruſtra venient: fruſtra vbera palmis
Mulgebo; queſtuſque dabunt pro lacte capellæ.
Viminibus textum, iuncoque mapale, fauillas
Euomet: in fagis quæ congeſſere palumbes,
Ambuſtæ repetent turres, fumantibus alis.
Heu cogamus oues ad flumina: præcipit æſtus,
Iam lactis ſuccum pecori, iam vellus adurit.
Infelix Mopſus cannas diſperge canoras.
Non poſthac, arente labro, cantabis amores
Virginis & Nati. Quamquam ò ſi Virginis eſſet
Hæc flammata Domus; ſudo quæ peruolat Axe!
At memini Solymæ ſuſpenſam monte. quis illam
Vertice Nazareo noſtros ſubduxit in agros?
Spe tamen accendor; patris dum mente recurrunt,
Credita verba mihi quondam: namque ore parẽtis
Tunc ego pendebam; ceu pendet fiſtula collo;
Arboreis pendent ceu poma tenerrima ramis.
Dum lateri hærebam, multa hic referebat ad aures,
Cum, medio ſub Sole, cauo proiectus in antro,

Can-

Alter timet ne viſa è Domo incendia in oues ſiluaſque ſpargantur.

Exhilaratur, & arcano lætitiæ ſenſu præſagit Virginis eſſe Domum, cuius aduentum ipſius olim Genitor prædixerat.

Digitized by Google

Cantibus & cannâ Solem, curaſque leuabat.
Diuino (ſic mente ſedet) diuinus ab œſtro,
Quod ſpirabat Amor, paſtoris Apollo, canebat:
Poſtquam ter decies flaueret campus ariſtis,
Noſtra coruſcantem venturam deſuper arua
Cælituum cum pube Domum. Lanugine malæ
Tunc mihi florebant: genitorque trementibus vlnis
Me ſuper incumbens, dicebat: Nate, maneret
O mihi ſi longæ tecum pars vltima vitæ;
Donec diuino nutantes pondere montes,
Cereaque aſpicerem decurrere culmina flammis
Virginis ante Domum! cor pectore, lacryma vultu;
Spiritus ipſe liquaretur cum montibus. Ædes,
Nate, oculis tu cerne meis, mea vita. ſed vnum,
Nate, vnum memori ſub mente repone. volucres
Numinis vt noſtro ſteterint in monte Penates;
Quam puer inſeui pratis, & fonte rigaui,
Erue cum fibris præduram ſtipite laurum:
Da mutare ſolum, virides & ſpargere ramos
Virginis ante Fores. præ plantis omnibus vnam
Hanc colui, voluique meo pubeſcere cultu.
Sæpiùs emunctæ rorabam lacte capellæ:
Flore maritabam: recubans ſub frondibus, æſtus
Ætheris arcebam; calidas & cantibus horas
Solis ad inuidiam fallens, te muſica molli
Vincebam, philomela, ſono. Tu, nate, memento
Hanc inferre iugo laurum, cordiſque trophæum
Ponere cum fibris: fibris nam cordis inhæret
Æterni Mater Paſtoris Virgo; dabitque
Laureto nomen folijs victricibus arbor.
Hoc quoque fige animo. Cineres atque oſſa Parētis
Conde ſub hac lauro. cum fronde vireſcere, vitæ
In

Montes ſicut cera fluxerũt a facie Domini Pſ. 96.

Praeceperat nato Genitor, vt laurũ ſibi dilectam Virginis ante fores collocaret, & ſub ea paternos cineres.

In ſpem perpetuæ poterit cinis ipſe, papillis
Quem vicina rigat Genitrix dulciſſima Vitæ.
Arboris in trunco iaculis incide. Menalca
Hac viridi ſub ſtirpe iacet: procul vmbra ſepulchri.
Luminis hæc Sedes: procul horrida mortis imago.
Te quia non vidi, perij, Domus hoſpita Vitæ.
Mortua ſubſterno quia nunc tibi membra, reſurgo, *Sub B. Virginis pedibus ſaxa, ſpinæ, mors, omnia florent, ac viuunt.*
Et viuo Mariæ pedibus. Si ſubderet æquor
His pedibus ſyrtes; ſi ſpinas arida Tellus,
Oſſaque ſi rupes; ſi æternas Tartara mortes;
In tellure vepres, ſcopuliſque in marmore, in Oſſa
Viueret & rupes; mors viueret ipſa: vel Orcus
Promeret in vitam ſontes, in germina flammas.
Hæc mihi tunc Genitor: genitori dixit Amyntas;
Fatidici vates ambo, pecoriſque magiſtri.
Antophyle, Antophyle, ò facili quæ tramite currit
Arua ſuper rutilante rotâ, foret illa, canebat
Quã genitor, promiſſa Domus! cõſumptus ab igne,
Quo natat illa, leues flueret timor omnis in auras.
Sic eſt (ni dubiâ fallunt me lumina luce)
Vicino ſedet illa iugo. Viden? agmina Diuûm,
Tecta locant; poſitâque locum iam mole pererrant
Curſibus & choreis, nutantque cacumina plauſu.
Ergo gradus celerare iuuat, propiùſque videre.
Fulmina non terrent; nebulâ nõn cingimur atra;
Non clangore tubæ; pluuio non igne. Voluptas, *Moyſes paſcebat oues, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c. Exod. c. 3.*
Gaudiaque inuitant, ſenſim illabentia ſenſus.
Paſtor erat Moſes: media de rupe loquentem
Cum ſtetit ante Deum: cum ſerpere ſentibus ignes
Vidit; vbi folium, flammataque caſtra locarat.
Cæca Fides, & ſimplicitas velata Tonantem
Aſpicit; aſt acuit quæ faſtus, lumina cæcat.

Digitized by Google

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXIII.

ARGVMENTVM.

Diſcordia è Germania, vbi Guelphorum, & Ghibellin. nata diſſidia, in Italiam redit. Dum miratur omnia pacata, videt in Recineti ſilua Nazaren. Domum. In hanc, quia timet expelli, acuit ingenium, & vires armat. Inuidiæ, & Auaritiæ ſuarum arte Satellitum rem totam agit. Vt fugiat Cella, ſanguinis inimica, Viatorum ſanguine ſiluam polluit. Fugit illa duorum fratrum in Collem: & aream, quam linquit, viuo ſemper flore conueſtit. Flores calcat Diſcordia, qui contra illam acuuntur in ſpicula. His irritata, per Auaritiam & Inuidiam ſpecie boni fratres accendit in bellum. Rurſus horum ſanguine collis inficitur; Cellaque in veſtibulo dum belligerant, ab Angelo eius Cuſtode deterrentur.

Hæc inter Diſcordia è Germania redit in Italiã Eius ſpecies, & aduentus effecta.

TAlia dum ſecum vario ſermone volutant,
Pallida Teutonicis properat Diſcordia regnis,
Italiæque reuiſit agros, notumque cubile,
Neſcia venturæ cladis. Coma ſanguine fumat,
Verberat atque Notos, dum colla flagellat: in auras
Palla cruenta fluit: quatit ira tremore medullas:
Iactatur caput impatiens; incertaque in omnem
Lumina voluuntur partem. nunc ignibus ardent;
Nunc immota fouent rabiem: modò cõpita quaſſat
Inſtabili monſtrum curſu: fert nubila fronte;
Fulmina fert oculis: ſe turbinat; aſtraque ſaltu
Et pulſare putes, pulſataque vellere dextrâ.

Se

Se rotat in gyrum; mox hæret: ſtridula fundit
Luctifico lamenta ſono, Superoſque laceſſit
Dentibus infrendens tremulis. cеruſſa colorat
Illius haud vultum, fuſi ſed vena cruoris.
Halat ab ore faces, quas latè euentilat aura,
E calido pulmone ruens. manus altera torrem,
Altera ſanguineum gladium ſuſtollit: hic horret
Sanguine; fumiferos vomit illein ſidera nimbos,
Regnaque cum populis putore & peſte vaporat.
Vulneribus lacerum lacerâ de cyclade pectus
Occultam oſtendit rabiem, & diſcordia corda.
Hac viſâ, turbantur aues, nidoſque requirunt:
Mergunt ſe pelago mergi: petit ardea littus:
Sub platano philomela ſilet; pompâque colorum
Prodere ſe variâ monſtro formidat acanthis.
Accipitres, milui, ſtrix, veſpertilio, corui
Victrici pæana canunt, Dominamque coronant;
Sanguinis & pluuiam vocitant, turpeſque rapinas,
Et Mundi cædes, & triſtia nubila luctus.
Dum campis vultus aduertit, frondibus arent
Arbuta decuſſis: dirum virgulta loquuntur:
Confuſo ſtrepitu tellus perfoſſa rebellat,
Excutit atque latus, colliſoſque abſcidit artus.
Viſceribus feſſis, tellurem exoſa parentem,
Germina prorumpunt, lethi ſuffuſa veneno.
Poma tument: riget herba: canes rabida ora latratu
Indomito laxant: furijs armenta feruntur;
Ictibus & cornu vires in nubila iactant.
Ipſa lupus fit ouis: lambunt qui germina, riui
Turbantur, retrahuntque gradus. Si flumina tranat,
Territa ſanguineo maculantur flumina curſu:
Triſtibus exiliunt ripis, ſegetique minantur.

Si ſalis arua petit; formidine Tethys abortit,
Impatienſque dolore furit; ſubitòque procellas
Parturit ex vtero, querulâ cum matre gementes.
Concha, parens gemmæ, niueos nigreſcere partus
Miratur, ſobolemque odit: pallore maligno
Coralium mutat, pelago mirante, ruborem.

Diſcordia in Ancona mōtem ad Italiæ proſpectum aſſurgit.

Iamque viam, ſociata odijs, Diſcordia littus
Vertit in Heſperium; dubiâ ceruice remittit
Quà ripis Ancona maris malè pronuba montem
Connubio iunctum, Pontoque obſiſtit iniquo.
Vt vidit Dea dira iugum, quatit aëre pennas,
Culminaque inſcendit. Radicibus horruit imis,
Seſeque in partes mons diſſecat. Illa ruinis
Incumbens, campoſque oculis ſpeculata patentes,

Omnia tranquilla eſſe miratur.

Obſtupuit placido non murmura ſerpere cælo;
Arcanâ circum florentes pace penates;
Atque diem Solemque rotis plaudentibus ire,
Non radiare acies ferro; quæ mouerat olim,

Iraſcitur, & multa Italiæ minatur.

Bella ſilere. Quies hæc, inquit, corda tumultu
Noſtra premit, laceratq; animū. Quis bella repreſſit?
Sanguine quæ fuſo pax arua tepentia terſit?
E Superis num Picenos irrupit in agros
Aliger, & gladios, & tela retruſit, & iras?
Hunc ego. Sed furias in bella recentia ſeruo.
Ah miſeri ciues, iuga dira, arceſque nefandæ!
Hæc vobis multo ſtabit pax empta dolore,
Ambitio, Fraudes, examina Mortis, ad arma:

Tuba clangit vt Furias euocet, ſed fruſtra.

Hæc memorat, clangitque tubâ, qua vertere terras
Aſſolet, & ſonitum fera caſtra ſequuntur Auerni;
Scinduntur nubes in fulmina; terra remugit;
Inceſtantur agri tenebris; odia aſpera ſurgunt,
Semina bellorum. Sed nunc nec Tartarus vmbras

Euo-

Euomit ; aut rumpit populi furor, iraque leges ;
Non chlamydem lucis Sol exuit : omnia rident.
Altiùs illa tubâ reſonat , ventoque furoris
Infremit. aura ſilet, populique, vrbeſque quieſcunt.
Indignata tubam ; nec ſuffectura labori ,
Proijcit arma manu . Sonuere cacumina pulſu .
Inde ſubit campos Recineti , & lumina tabo
Fœta mouens , videt Aligerûm per ſuda cohortes
Ire , redire viam toties ; & monte propinquo
Stare Domum , pax vnde fluit . Sed nube latentem
Haud Pacem aſpexit. Reprimit formidine curſum;
Anconæque iugo ſe territa reddit : inani
Corda manu pulſat , trepidâque ita voce precatur.
Di fontes , & fumifero Styx liuida fundo ,
Iam redeo : reſerate lacus , inamœnaque regna .
Trudor ab Imperio . Noſtro quæ fumida luctu ,
Et flammas, cędeſque vomit Domus improba valuis
(Noſco notas) hoſtis ſunt atra cubilia Pacis.
Ergo meis cedam regnis ? ſic ſæua iubetis
Fata . ſed abrumpam fatorum iura , Deique .
Vincar ab Æde vnâ , Mundi cui machina paret ?
Vel figam mea ſigna tuis , arx lurida , tectis ;
Vel ſi mole premis , patrioque remittis Auerno ,
Sub Styge colla leuans, fundamina conquaſſabo .
Non cedam ſine cæde : loco , non crimine cedam.
Ipſane ? Pulſa redi , meliorque reuertere virtus .
An tergo deſcendentem ſub Tartara nudo
Me videat Tellus ? vel ad hoc inuicta redirem ,
Si priùs in Ditis fugiſſem victa cauernas.
Flammas , Chriſte , para , totoque tonitrua cælo :
In me belligerans, abruptâ nube , coruſca .
Non cedo; non ceſſo malis. Fida agmina, Fraudes,

Recinetum contendit exploratura vnde pax tanta naſcatur . Videt Nazarenã Domũ ; territaque ad Anconę montem reuertitur : Diſcordię tumentis, & furentis vox . Ad nouos ſeſe auſus animat

Digitized by Google

Dux, auri veſana Fames, & crimina mille,
Huc agite, atque animum noſtris aduertite dictis.
Quod poſſum, quod non poſſum, tentaſſe iuuabit.

Monſtra vocat, et è Tarturo exeunt Inuidia, & Auaritia.

Vocibus his, tremuli, radicibus, ardua montis,
Imaque vertuntur. Laxato monſtra meatu
Apparent. lucem niger hinc exercitus haurit.
Sicca genis, ſed plena ſinu, liuentia vibrat
Lumina Auarities: exertat turgida linguam:
Ora flagrant, oculique rubent:. deformat aniles
Sordida ruga genas: magnis ſtridoribus alas
Concutit accipitrum: pedibus veſtigia aduncis
Fœda relinquit humi: tumet inguine ventris obeſi
Proluuies: creſcunt manibus graue olētibus vngues.

Diſcordia huic ſuadet, vt ſiluam, vbi Sac. Cella quieuerat, ſuo cum choro, Sicariorum perſonata vultib⁹, latrocinijs infeſtet.

Quam ſic alloquitur Diſcordia: Diues, inopſque;
Cæca, ſed ad fraudes ſoboles oculatior Argo;
Innumeris ſaturata opibus; ieiunaque ſemper;
Infelix, felixque; auro gemmiſque repertis
Pulchra magis, ſed fœda magis; genitrixq; malorū;
Et luxus mendica ſoror, nutrixque dolorum,
Ingenium iam vince tuum: quà duco, ſequare,
Plena dolis odijſque parens. Picena Cubile
Silua tegit, quo, credo, latet Pax æmula. vultus
Tu quoque conde tuos: facies mentire latronum
Cum grege, Diua, tuo. Denſis ibi frondibus antrum
Vrget vtrinque nemus. vaſto tua caſtra receſſu
Occule, teque ſimul. Sedes viſura pudendas,
Dum, ſecura Doli; fluet hoſpita turba, cruentam
In cædem irrumpas, foribuſque affige ſuperbis
Ora reſecta virûm, turpi pallentia tabo.
Extinctis prædam auertas, truncoſque tepentes,
In caueam abreptos, ſaxo occultabis opaco.
Sic, malè ſana, ſitim ſpoliorum, aurique leuabis;

Et

Et populis deſerta, iterum ſe credet Olympo,
Cellaque diffugiet noſtris ingloria regnis.
Annuit imperijs: aſſuetaque corda rapinis
Aduocat in ſolitas artes, Harpyia potentum,
Ales Auarities, & perſonata tenebris
Collocat inſidias. Alato penula dorſo,
Vt vagina, tegit pennas: latus enſe ſuperbit:
Suſtinet anguiferus, preſſa ceruice, capillus
Caſſida, quam Stygijs confecerat Ira caminis.
Squamea deſudant ſub ſclopo terga minori:
Germanos, armata, Dolos ſimul inſtruit armis.
Multa fremũt: nemora alta petũt, atq; antra capeſsũt.
Interea pius hoſpes adeſt: ſubluſtribus vmbris
Quærit iter: visâque Domo dominantis Amoris,
Dum greſſus, dum vota vrget, ſe ſubdola furum
A tergo manus attollit, vincitque, trahitque,
Vt pecus attonitum; multis & feruida furtis
Inſtat, & expoliat vitâque auroque pauentem.
Nil miſero celerare fugam, vel ſiſtere contra;
Quærere nil prodeſt diuortia cæca viarum,
Hinc atq; hinc, omnẽq; aditum Mors, hoſtis, & enſis
Obſidet, atque Dolus. Pacis propè Limina bellum,
Fataque graſſantur: nec inhoſpita ſilua leones,
Indomitaſque tigres immittit: ſæuior auri
Exerit ora fames; minio quæ ſemper inaurat
Sanguinis, & cudit ferro ſtridente monetas.
Vndique ſaxa rubent tabo, traiectaque membra
Inſuper & ſpinis lacerantur: terra, recenti
Strage calens, roſeo progerminat imbre timores.
Ante Fores Paupertatis ſic efferat iras
Auri dirus amor, miſcetque in ſtrage rapinas.
Et ceſſas, & nube lates, Pax hoſpita? vultus

Facinoroſi nō magis prædandi opportunitate illecti, quàm ab infernis Furijs inſtincti, in obſcuris ſubſidere inſidijs, cœperũt: inde adoriri incautos, pecunijs armis vitaq; ſpoliare. Itaq; breui totus ille ſaltus latrocinijs cædibuſque infeſtus, atque infamis ad ſolitudinem eſt redact°. Turſ. in h. Lau. l. 1. c. 7.

Pax ex eo Colle cædib' infam diſceſſura Aligeros alloquitur.

Deus indignũ ratus paratũ ab ſe mortalibus perfugiũ ſalutis, inferni hoſtis ſcelere in perniciẽ verſum, tutiorẽ Aduenis ſedem ſuo matriſq; ſuæ domicilio delegit. Turſ. l. 2. c. 7.

Fuga plerumque decora.

Pax diſceſſura Soli præcipit, vt minora ſidera conuertat in flores, in area, quã S. Domus occupauerat perpetuò vernaturos.

Area quã S. Domus occupauerat nitebat sẽper vernantibus herbis floribuſq; cũ omnia circa denſis obſita virgultis,

Indue terribiles, prædonumque agmina perde.
Diſſimulat, bellumque ferit; nebulâque furores
Conglobat ignitos, meditaturque abdita cædes.
Sic vapor in nubes tacitè coaleſcit opacas;
Mox micat horrendos caligine adultus in ignes.
Aligeros è nube vocat: dein talia fatur:
Ter quater exactis compleuit menſibus orbem
Cynthia, ab Illyricis ex quo migrauimus oris.
Caſtra mouere iuuat rurſus; ſimulare timorem,
Et verâ Stygias formidine pellere turmas.
Quid noceat fugiſſe ſemel; Diſcordia ſemper
Vt terris fugiat? fugiendo prendimus hoſtem,
Conterimuſque ſolo. Vicit ſimulata rebelles
Hæc fugâ ſæpè Duces. tellus pede preſſa fugaci
Extulit & palmas, victriciaque agmina & arma.
Sol fugit, & tenebras exterminat. Infere fraudes
Italiæ campis, Diſcordia: congere prædas.
Viciſti: fugimus: verſas, age, funde cateruas.
Mox regnis impreſſa tuis, & fulta ruinis,
Stabo loci Regina. Fugæ veſtigia linquo;
Sed non indecoris. Vos aſtra minora, Penates
Aſſociata meos, hac Sede quieſcite. Cæli
Quæ floretis agris, in amœnos vertite flores
Sidereos vultus: Genitor, diſtingue colores,
Infere telluri cæleſtia ſidera, Titan.
Hoc pretium hoſpitij. Quæ ſubditur area noſtris
Ædibus, in viridem ſine ſemine germinet hortum;
Quem non mater alat tellus, non imbribus æther;
Luce tuâ, mammiſque meis ſed creſcat alumnus.
Te color; at ſpecies ſemper tranquilla colorum
Me referat. Reſonis vel mugiat aura procellis;
Vel ſileat, niuibus glacieque rigeſcat acutâ.

Ver-

Verberet aut circum latè loca turbine; nunquam
In flores gerat Imperium : nam ſidera turbo
Florida non lacerat. Dum Sirius ore vorabit
Arua Canis; ſocijs placidè florentibus aſtris
Parcet, & in rores mutabit torridus ignes.
Vos maiora, mei pompa immortalis honoris,
Pergite, quò fugimus, bona ſidera. Donec Olympus
Sidereos orbes & clara volumina vertet,
Perpetuas hoc excubias ad Limen agetis.
Vos reget imperio Virgo, Soliſque nitores
Supplebit vultu, Solis quo lumina vincit.
Attu quid ceſſas, Pacis qui bella miniſtras
Lucis & arma moues, Chriſti rubicunda cruore,
Pacifer, in terris noſtri defenſor honoris?
Vulneribus munita Dei, te milite, pugno:
Tê pugnante, premo, quod proterit omnia Bellum.
Per te victa gemet rurſus Diſcordia: ripas
Præter Hyperboreas, trans vltima flumina Gangis
Tethyos occiduæ trans Regna, & feruida Sole
Littora me videat per te protendere fines.
Macte animo: occultâ lateo dum nube; coruſca
Fulminibus. Superûm ſpectabit bella Virago;
Et mecum texet noſtri tibi ſerta triumphi.
Dixit; & euulſit facili tellure Penates.
Area quà fuerat Domui ſubiecta reuulſæ,
Pars minor Aſtrorum fit amabilis incola ruris,
Atque abit in flores, populo tranſcripta virenti.
Sic lacrymans abrumpit iter; lacrymæque nouelli
In riſum floris vertuntur, & vbera roris.
Vt bellè ſecto via limite quadret amœna;
Quælibet & proprio floreſcat ſtellula vultu,
In frondes tenuat radios: lux vna colores

ac ſentibus horrerent. Turſ. l.1.c.9. & alij.

Pax maioribus Aſtris perpetuam aſſignat S. Cellæ ſtationem. Sidera quippe fuere ſæpè ſpectata ſacris Laribus impendere ex Turſ. l.1.c.17 l.3.c.14.

S. Dom9 abit è ſilua. Stellæ minores, quę ſequutæ fuerant S. Domum, vertuntur in flores, et in area florent, quam occupauerāt.

Fingitur in varios: tunicas de cortice rumpit:
Mox gemmas trudit: libro molleſcit: hianti
Mox labro præpandit opes. Roſa purpurat oſtro,
Lucifer in viridi cælo, vel Solis imago;
Siue Helena agrorum, ſed caſta, ſed ignibus inſons;
Roſcida fax terræ, cæli languentis amore.
Frondibus in medijs flauentia fila recludit;
Theſaurumque ſui regni, complectitur aurum.
Qui fuerant ſtellis radij, ſunt aurea fila;
Quæ non cuſtodit rigido ſpina horrida vallo;
Sed Charites, ſed cultor Amor. nam Virginis horto
Spina rigere nequit, floret quo Gratia tantùm,
Quæ primo ſpinas fregit de crimine natas.
Nupta roſæ, candore ſuo ſecura pudoris,
Lilia candeſcunt amaranthis iuncta: ſmaragdis
Herbarum nectis rutilos, Hyacinthe, pyropos.
Hìc narciſſus hiat, violis ibi pallida tellus
Diſtinguit malis riſum ferrugine dulci.
Perpetui flores, & tempeſtatibus omnes
Ignoti, tantùm Zephyris cæleſtibus halant,
Floræ virgineæ ſoboles, & villula Vitæ,
Hortus concluſus, ſignato fonte rigatus,
Areola è ſuperis ad nos translata viretis,
Forma perennis agri ſtellarum, gloria Veris,
Cæli terreſtris Via lactea, riſus Amoris,
Atque characteres, quos magna Dædalus arte
Duxit humi ſic diſpoſitos; vt redderet hortus
Has texto cum flore notas. Hìc ſiſte, Viator:
Pone genu; floreſque, ſolum quos lambere cernis,
Grande pauimentum Superûm, tu rore decoro
Sparge priùs, ducit Pietas quem roſcida corde.
Has expectamus pluuias, non ætheris imbres.

Amor horti admirandi Cultor.

Intertextis inuicem floribus indices loci, & miraculi literas Amor effingit.

Si

Si tibi feruet amor; pia ſi ſuſpiria promis,
Et Solis radios, tepidas & temnimus auras.
Oſcula mille ſolo ſupplex infige virenti.
Hic in complexus, & in oſcula venit Olympi
Connubio ſtabili Tellus, & Pace ſequeſtra.
Expanſis metire vlnis, & pectore terram.
Parua, ſed immenſi patet hæc menſura Tonantis.
Hic Puer ille fuit, magni cui machina Mundi,
Cui mare, cui cælum, cælique volumina punctũ eſt.
Floremus; flos namque fuit, cui florida pubes
Sternimur. Humano ſine ſemine naſcitur Infans:
Nos quoque vernamus puri ſine ſemine flores.
Inſcriptas roſa fronde faces ardentis Amoris,
At violæ pœnas, candorem lilia, fletum
Et lamenta gerunt hyacinthi, nardus odorem
Nominis effuſi, formam narciſſus honeſtam,
Nigra ſecuturam ſignant vaccinia mortem.
Nos non vaſtat aper; non turbinat Eurus & Auſter.
Pacis ager non arma timet, non ætheris iras.
Nos oculus, non dextra legit: ſpiramus amores,
Halamuſque Deum; Deus his dedit otia campis.
Vernos ille dies, & aperto pandit Aprilem
Æthere: ver peperit nobis in Virgine vernans.
Virginis hæc Domus eſt: frontem ſubmitte, Viator.
Virginis his Foribus faſces ſubmiſit, Olympi
Conſul, & abiecit verſo cum faſce ſecures.
Mitis ad imperium Matris, flammata furoris
Fulmina depoſuit; quæ dum cæleſtia adorant
Limina, fulmineo liueſcunt Limina fumo.
Hic Diuæ fundata Domus: fundamina flores
Ponimus. illa etiam nimbo concepta ſereno
Floruit, & flores in fundamenta Pudoris

Florum vox.

Ego flos cãpi, & lilium conuallium Cãt. 2. flos de radice eius aſcendet. Iſa. 2.

Diuerſi flores diuerſas Chriſti virtutes, & geſta deſignant.

Nardus mea dedit odorem ſuum Cant. 1 Oleum effuſũ nomen tuum Cant. 1.

In Nazarena Domo factus eſt Deus, & formidabilis, & amabilis.

Vnde ſacræ Cellæ illitus fumi color.

Sub hac Domo ſtrati pro fundamẽto flores floridam B V. conceptionem ſignant, quæ vitæ fundamentum eſt.

Ad vitæ iecit fabricam, quæ vertice nubes
Tangeret, aſtra, Deum. Cur Cella reliquerit, hoſpes
Ne quæras, hæc arua. fugat Diſcordia Pacem;
Lubricus atque rotas ſubiectat ſanguis eunti.
At ſemper Pax vlta fugit: fuga pœna fuganti eſt.

Terra nouis, & miris floribus exultat. Eius vox lætitiæ index.

Interea tacitâ ſenſit dulcedine Tellus
Viſcera tentari: caput extulit. arua recenti
Flore videt gemmata. Meis quis germina, dixit,
Non mea ſeuit agris, violaſque intexit acantho,
Atque liguſtra roſis? Stellarum an trāſtulit hortum,
Meque colit, ſuperis qui ſeminat aſtra viretis,
Aliger, ætherei cuſtos fidiſſimus Axis?
O ſoboles dilecta, meæ decus addite fronti,
Cæli pupillæ, Terræ nunc lumina, flores,
Chryſolithi molles, baccati luce pyropi,
Creſcite ad inuidiam cæli, cui ſidera flores;
Cui pater eſt florum Titan, Auroraque mater.
Non vos contundat Boreas, non faſcinet Auſter;
Non grando, fera ſaga, premat, Medeaque florum;
Non vaga carpat ouis; vobis ſicarius horti
Non inſulet aper veſtro nociturus honori.
Æmula ſiderei, mea germina, creſcite campi.
Dum riget omnis ager, niuibus dum prata ſeneſcūt;
Vos, pubes formoſa, meis pubeſcite in vlnis.
Non ego veſtra parens; nutrix ſed amica, parentis

Non mater, quia non eos Terra pepererat.

Munera ſupplebo. vobis, mea pignora, flores
Subdo lubens, non antefero. vos parturit æther;
At flores ego fundo ſinu, minor æthere Tellus.
Æmula ſiderei, mea germina, creſcite campi.
Vos matutinis gemmet Tithonia nimbis;
Atque ſuas pertæſa roſas, vos pollice molli
Decerpat, cumuletque ſinus: vos veſtiat ortu

Sol

Sol primo : medio cum tramite flammeus inſtat,
Condat anhelantes nebulâ rorante quadrigas,
Ne veſtras exurat opes ; rurſuſque ſerenet,
Atque diem meliore comâ, vultuque reducat.
Dum redit Autumnus, dum læta reuertitur æſtas,
Vos videat ſimili ſemper florere iuuentâ.
Florida diſtinguat veſtris Ver ſyrmata baccis,
Atque ſolo ſolium veſtro defigat auitum.
Sol roſa camporum, rubicunda puerpera Veris,
Cæli delicium, Naturæ pompa caducæ,
Filia pulchra Venuſtatis, fax viua; cadentum
Dum campis agitur miſeranda tragœdia florum,
Hoſpitibus, mea nata, nouis tua ſceptra remitte :
Cede roſis, quas ſeuit Amor. vos lilia Reges
Cedite, queis hyemis cedit, Boreæque tyrannis.
Hæc recinit dum Terra; Domus diuulſa ſupernum
Radit iter, lentoque volat per ſuda volatu.
Oppoſitus prope collis erat, non fractus aratro,
Floribus intonſus, pecori gratiſſimus herbâ.
Vertice iungebant gemini ſua prædia fratres,
Quos iungebat amor communis, & alea lucri.
Huc diuertit iter Sedes peregrina : iugoque
Vt ſtetit; ex omni populos regione coëgit.
Centenis vaga Fama tubis obnoxia furtis
Luſtra, nemuſque pio tepidum fugiſſe cruore
Nunciat, & placidâ ſtatione quieſcere collis.
Cella volans toti pennas accommodat Orbi;
Et volat. Attoniti ſuperant faſtigia montis :
Explorant renouata oculo portenta fideli.
Repſerat in lapides, pedibus qui mancus, in altum
Greſſibus vrget iter, flexum patiuntur & oſſa :
Mole valens iam membra regit; iam brachia iactat.

Sac. Domus è ſilua trasfertur in Collem duorum fratrũ. Turſ. l. 1. c. 7. H. Laur.

Auxit loci mutatio, nouique miraculi fama, vt admirationem, ſic religionẽ accolarum, æquè, & aduenarũ Turſ. l. 1. c. 7. Sũmis vndiq: ſtudijs conuolant. ibid.

Nouis miraculis Aedis ſacræ celebritas augetur.

Eri-

Plerïq; morti proximi conualeſcunt.

Eripitur cæcis nubes, atque æthera luſtrant:
Voluitur in vacuis noua iam pupilla latebris,
Scintillatque ſuis viuax in ſedibus albor.

Amor prædator noſtrorū malorum, & ſuorum bonorum largitor.

Non peſti, ſibi dirus, hydrops indulget aquoſæ:
Artubus abſcedit macies, languorque, dolorque,
Et capitis vertigo; neci præcluſaque acerbæ
Ianua, felices, ſua fata morantibus, annos

Diſcordia natos recenter flores inuida calcat.

Eiectis aperit morbis. Amor ipſe decoris
Hic latrocinijs vires impendit & artem;
Dum mala prædatur mortalia, fataque nudat,

Prò floribus ſuboritur ſeges armorū, quæ Diſcordiam vulnerant.

Et ſpolijs mortem expoliat. Diſcordia vidit
Vt fugiſſe Domum; quà circumſcripta notatur
Area flore, pedes mouet improba: calcat amomum,
Atque roſas; ſi forte necet fax atra furoris
Hoſpitis expulſæ veſtigia florida Pacis.

Diſcordię prę vulnere frementis vox.

Tunc ſeges armorum pro floribus horruit ingens.
Lilia dureſcunt in ſpicula: fit roſa telum:

Lux auro pulſis à Chimiſtis educitur, cui ſi admoueas ignē, per omnes obices eluctatur ad ima. Strada in Prol.

Sanguine caltha rubet. Preſſis transfixa ſagittis
Infremit; hiſque acuit Diſcordia queſtibus iras.
Inſidijs agimur: viridi latet anguis in herba:
Inſidijs ego rurſus agam. Fugere Penates
Virginis, infames tenebris & cæde, cauernas:
Nunc loca tuta tenent, quæ luci obiecta timores
Deſpiciunt inimica meos. Sub Sole quis vmbras

Diſcordia in S.Domum in aprico locatā auri luce parat inſidias.

Conferat atque dolos? luci lux aurea tantùm
Fabricat inſidias. lucem lux inficit auri.
Hac ſub luce nihil tutum, quæ nata ſub vmbris
Parturit æternas patriâ caligine nubes.
Ima petis? petit ima aurum: dum fulminis inſtar
Igne ruinoſo ſi accenditur, oſſa ſinumque
Permeat abruptæ flammato pondere terræ.
An ſuperas montes? olli cunabula montes

Ser-

Serpentes inter præbent gryphoſque rapaces.
Hinc lacerat curis; animos hinc inficit aurum.
In geminos angues, geminos Diſcordia fratres,
Te Duce, conuertam, lucri veſana Cupido.
Dona ferent populi: ſed enim quot munera, diræ
Fraternis tot erunt animis in prælia tædæ.
Virginis inuiſæ Laribus creſcetis honores:
Cæde meus quoque creſcet honos; odijſque litabo,
Transfuga Cella, tibi; donec Iouis atria nigri
Mole tuâ, & fuſo populorum ſanguine dites.
Nunc age; Auarities, quaſſas quę Regna tumultu,
Quæ miſces acies, cognataque pectora bello.
Sume, colubrorum radiantem funibus, arcum;
Fratribus & geminis telum exitiale: latebras
Scrutetur, fibraſque animæ. comes orſa ſecundet
Inuidia. hæc ferro generis conſortia rumpat,
Et cupiat vidiſſe nefas: nam cæca malignos
Sæpius hæc oculos alienâ in ſorte relinquit.
Talia iactanti caperata fronte, ſorores
Improuiſæ adſunt, oculiſque trementibus angues
Intentant, ſpumantque luem, parentque volentes
Principis imperio. Medium confecerat axem
Pallida nox, tectoque vno, geminoque cubili
Mulcebant ſomno curas Torquatus & Vgo.
Exuit obſcœnam nigrâ fuligine frontem
Inuidia; Aligerique, artus velauit amictu.
Fit Michaël, vittâque comas, & tempora lauro
Nectit odorata: crepitant in ſyrmate gemmæ;
Flexilis in gremium per collum circulus errat.
Chryſolithis auroque grauis. Priùs illa iacentem
Vgonem increpitat. Dormitas, Vgo; benigno
Dum vigilat vultu, & donis tibi depluit Æther?

Gryphi auri cuſtodes in montibus, ex Plin l. 7. c. 2.

Diſcordia Auaritiā inſtigat, & Inuidiam in fratres mōtis Dominos à Sac. Cella occupati.

Opulentiſſ. in dies donis ædē cumulari cum viderent cupido animos vicit, ſacro auro argẽtoque inbiare primò, inde ſtimulante auaritia odio plus quam fraterno inter ſe diſſidere cœpęrũt. Turſ. l. 1. c. 8. H. La.

Inuidia, vt ſpecie boni Vgonem decipiat, induit Angeli Michaelis vultũ. Illum noctu conuenit, alloquitur, & odium ſerit in fratrem.

Non

Non ſic Torquatus, cui mens inſomnis in omne
Excubat ingenioſa nefas, geminanique laborat
In rabiem, tibi fata ferens, poſt fata rapinas.
Attamen haud crimen pariet, quod concipit: ipſo
Conſilium in partu, Cælo vigilante, peribit.
Ædiculæ dum Nazareæ malè deperit aurum.
In te recluſis Paupertas aurea valuis,
Hoſpita virgineæ Sedis, ſua munera fundit.
Aſpice. Suſpenſis nutant laquearia donis:
Ara flagrat gemmis: ſacro ſub pondere muri
Exultant: pleno verſatur copia cornu,
Quod tenet in ſuperis habitans Opulentia Regnis.
Indue fortunam: tua ſunt quæ congerit Orbis.
Hæc tibi dotalis Domus eſt; hæc præmia morum.
Quid ſine mente lares, ſenſuque carentia ſaxa,
Dona iuuant! quid pignus iners, & inutile pondus?
Non regit aſtra animus, tamen irrequieta rotantur.
Nec Phœbi torpet ſuperis in mœnibus aurum;
Nec Lunæ ſedet argentum. fugit otia cælum.
Et deſes ferat illa aurum cæleſtis imago
Cella Domus! Iubet Omnipotens: vertatur in vſus
Diues pompa tuos: tibi flexile ſeruiat aurum:
Subde Dei te ſeruitio. Sic vaſa Canopi
Iſacidæ rapuere, maris per inhoſpita vecti.
Sunt tua, quæ Domino rapis indulgente. rapina
Numinis imperio fit victima. viua Tonantis
Templa, homines ornare iuuat. Sic fata, latenti,
Cum tæda totum ſub pectore inerſit Auernum.

Nec minùs Aligeri ſeſe transformat in ora
Turbida Auarities, Torquatique inſilit ædes;
Illius atque toro dictis ſe talibus offert.
Tolle oculos, Torquate; tibi lux ridet amica

Argentum, et aurum, ſi eſt otioſum, eſt inutile. ideo voluit Deus argentũ lunę, & ſolis aurũ hominibus perpetuo motu prodeſſe. Petierunt ab Aegyptijs vaſa argentea, & aurea. Exod c.12. Auaritia Angeli Gabrielis vultu Torquato apparet & in odium fratris accendit.

Nu-

Numinis atque auri. Fratris ſecure, quid altâ
Nocte iaces, qui mente dolos molitur iniquâ;
Aggeſtis vt diuitijs in Virginis Aula,
Et ſolus, renuente Deo, parto incubet auro?
Anne iterum in ſcenam dabitur violata, Caino
Inſidiante, fides, pollutaque ſanguine tellus?
Haud equidem. tu iuſtus Abel, fraterna ſecabis
Enſe prior fraudum molimina. Diſcute noctem;
Atque manus, oculoſque para vigil hoſtis in ictus.
Ipſe tibi, ſuperis verſatum incudibus, enſem
Suggero vulnificum. Gabriel ego, fortis in arma,
Arma fero, quæ fraternæ ſubtegmina fraudis
Filaque reſcindant. huic lumine nuncio flammas;
Sed tibi lætitiam, qui Virginis Atria quondam
Nuncius intraui, radijs pietatis & iræ
Orco terribilis, terræ iucundus. Ad arma.
Iam rotat arma hoſtis; qui ni mea cura reſiſtat,
Lumina dum claudis, reſerabit vulnere pectus,
Vitalique aurâ fratrem ſpoliabit, & auro.
Pro tæda gladium tibi præfero: perge per vmbras:
Dimoueas tenebras hac luce, animique timorem.
Dixit; & illuxit ferro, noctemque fugauit;
Atque odij iuuenem viuis afflatibus vrget.
  Ille auidus pugnæ, rabie cogente, repellit
Strata manu, tunicâque artus indutus, anhelat
Fratris in exitium. Se vocibus aſperat vltrò.
Perfide, ſic fraudes potis es componere riſu,
Innocuiſque meis illudere moribus? aſtus
Conde ſinu: gladio pandam. tibi ſanguinis ardor
Languet Auaritiæ flammis, mihi cædis amore.
Aurum te ſtimulat; me ferrum inuitat ad auſus.
Nunc adero, atque tuo reſtinguam ſanguine flãmas.

Torquatus ſe vel ad Vgonis cædem, vel ad ſui defenſionem verbis irritat.

Quid

Iræ, & amoris vario agitur æſtu.

Quid titubo ? quid crura labant ? ego viſcera ferro
Rimabor fratris ? cedet natura furori,
Dimidiumque mei per me cum fratre peribit ?
Non meus eſt : ego non fratris. cognomina iunxit,
Sed natura animos odijs diuulſit iniquis.
An prior intentos cum vulnere demorer enſes
Mitis in immitem ? furor ò furor exere vires.
Excidimus fratri ; ſic pectore frater ab iſto
Excidat. Ira iterum trepido ſub pectore creſcit.
Me petit ille ; petam iugulum prior enſe pudendum.
Hic fratrem decet amplexus. Diſcede ; quid vris
Me pietas iterum ? mihi me natura relinque.
Eſt frater. non eſt frater, qui iura reuellit
Sanguinis. eſt hoſtis, ceſſas ? moriatur vt hoſtis.
At memini, nec vana fides, pater vltima natis
Cum monita ingereret moriturus, & oſcula ferret.
O nati, dicebat, amor, dum corpore ſoluor,
Vos liget æternis in dulcia fœdera nodis.
Vixi ; voſque meâ nunc viuite pectoris aurâ.
Concordes animos ſequitur Fortuna ; ſed illos
Si ſecat ambitio, Regni vel ſeparat ardor,
Sola ruina manet. Diſcordia diruit vrbes :
Et ſtabit priuata domus ? Librata pependit
Terra diu Pacis manibus ; ſi brachia bellum
Admoueat, ruet in præceps. Concordia cælum
Tot ſeclis immota mouet. Cadet ætheris agmen
Sidereum ; tuba Naturæ cum fœdera franget
Terribili clangore. Pari, mea pignora, ſenſu
Creſcite vos, paribuſque animis ; Martiſque libido
Si fremet ante fores ; penetralibus exulet. Author
Sic pacis veſtra arua Deus, montiſque vireta
Rore riget cæli, lactiſque coagula reddat.

Monita Patris vltima Torquato redeunt in mētem, & reuocant ad amorem.

Terra nō fundata, ſed ſuo librata pondere non cadit, quia elementorum cō ordia, & veluti pacis manib⁹ ſuſtentatur. Facit concordiam in Cæleſtibus.

Et

Et patris voces, & vota nouiſſima fallam?
Ne feriam, feriunt cor vota extrema: cruoris
Lãguet amor, lacrymæq; fluũt. Pater ah pater! hoſtẽ
Pro germano animas verbis, formaſque Tyrannum,
Atque ferire doces tigres, acuiſque leones?
Te patre, tigris ero? Tigris, vrſa, leæna, leoque.
Vrſa, leæna, leo, tigris es ſic perfide frater.
Ingenium tibi reddo tuum: crudelibus auſis
Te refero; ſimilemque tibi me crimine fingo,
Et probo germanum. ſed patre indignus vterque,
Qui genuit tigres agnus, colubroſque columbus.
Perge manus: Capto quid retro voluitur enſe?
Quid ſtupet, officiumque fugit ferale? Reſume
Depoſitũ, pigra dextra, enſem. Cor perculit horror.
Perge iterum. magnis animis poſtrema parantur
Crimina. Mene lues, dum ſanguine polluo fratrem,
Polluet admiſſi ſceleris? Non crimina cælum
Imperat. auſpicijs agimur cæleſtis Ephebi.
Hoc ſcelus eſt: Superûm iuſſis obſiſtere contra.
Numinis irati ſatiarunt ſanguine flammas
Fraterno Iſacidæ, vitulique immixta fauillis
Interfectorum caluerunt corpora fratrum.
Ergo Deo famulare, manus, ſacranda cruore.
Perge; ſequor. dixit. Sunt arma & tæda furenti
Flammiger Inuidiæ gladius: lucet via Ditis
Fulgure. Auaritiæ monitis tunc fortè ruebat
In iugulum fratris, ſtratis ferus Vgo relictis.
Nam Dea fallaci poſtquam formidine luſit,
Coniecitque faces iuueni, fratriſque rapinas,
Et ferrum extimuit; nudo ſeſe enſe periclis
Obtulit ingratis, noctique immiſcuit armis.
Vt ſe luſtrarunt media in caligine fratres,

Mons coagulatus in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. pſ. 67.

Rurſus rapitur in iras.

Oboritur religio, ſed excutitur, & iubentis imperio, et Hebræorum exemplo, quibus poſt aurei vituli cultum dixit Moyſes: occidat vnuſquiſque fratrem ſuũ, &c. conſecraſtis manus veſtras Domino, &c. Ex. 32

Vicit ira. it Torquatus in Vgonem eodẽ temporis articulo, quo ficti Angeli dolis accenſus ibat Vgo in Torquatum.

In-

Improuiſus vtrique fratrum occurſus.

Intumuere animi rabie. furor, ira, timorque
Præludunt pugnæ: rapit ira; metuſque coërcet.
Ac velut immiſſi clauſtris bipatentibus Vrſus
Atque aper in caueam, tacitis terroribus ambo
Se circumſpiciunt: fremitu mox arua fatigant,
Extolluntque aures: aptant mox ictibus vngues,
Deſignantque oculis figendos dentibus armos;
Et iam conuerſis in prælia frontibus ardent,
Incurruntque feræ; ſic ſe Torquatus & Vgo

Ante pugnam ſe verbis fratres impetunt ac feriunt. Ex ore turbato & ſtrictis armis vnuſquiſque conijcit alterius animum & ſibi paratas inſidias.

Aſpiciũt pauitantque. Tonat priùs ore, morantẽque
Vgo ferit dictis: I nunc Germane, tenebris
Conde dolos: tege nocte iras: illuxit Olympus:
Prodidit ille tuas, non frater, proditor, vmbras.
Et dubitem! te forma oris, teque arma, furorque
Inſimulant hoſtem. Cælo damnaris: & vltor
Criminis ipſe tui, Superis plaudentibus, adſum.
Cui frater: Meditata diù quæ vulnera portas
Scilicet expectem? tua tela retorqueo, vultu
Argueris, ſcelerate, tuo. Quid nocte ſilente
Me petis armatus? num limina noſtra tueris?

Cõgrediuntur ſingulari certamine. Ad vltimum, dum vterque ad ſe emolumentum trahit, cũ altercatione congreſſi ab irarum certamine ad arma venere lib. 1. cap. 8. Turſ. in Hiſt. Laur.

Oſcula vt infigas, an vulnera? Perdite, Cælo
Iudice damnaris: me nunc lictore peribis.
I nunc; quære aurum, cæca in tellure ſepultus:
Hoc ferro tibi pando viam, tumulumque recludo
Viſceraque. His Vgo reſpondit vocibus enſe;
In fratremque ruit. Furijs certantibus, ambo
Ingeminant ictus, armiſque, odijſque frementes.
Funditur ille ſolo: mox ſubſilit: auribus, ore
Murmurat & iugulo ferrum; queriturque, nocendo
Quòd calidum nequeat membris potare cruorem.
Torquatus celeri vertigine corporis, Vgo
Mole valet ſtabilique gradu. Sermonibus iras

Arma

Arma interiaciunt, feſſi dum Marte quieſcunt.
Inſtaurant vires, bellumque, animoſque reſumunt.
Corpora corporibus tunduntur, & enſibus enſes:
Ictibus excipiunt ictus, pariterque repellunt.
Grandinis in morem, crepitat per tempora ferrum;
Sed ferro redit excuſſum. Sudore furentum
Fumat humus, puluiſque flagrat. Sic Eurus & Auſter
Confligunt, Pontique ſecat diſcordia fluctus.
Subſidunt valles: montes tolluntur aquarum;
Et dubitat pelagi cui militet vnda Tyranno.
Sed tandem intepuit fraterno ſanguine mucro,
Et venas bibit Vgonis. Calor, iraque ſenſus
Abſtulit, atque vmbris operit nox ſigna cruoris.
Iamque rubeſcebat, ſtellis cedentibus, æther,
Dum campis Aurora roſas ſpargebat Eois:
Cum videt Vgo ſinu clareſcere vulnera, & atras
Mortis ineſſe notas. Stimulat formido furorem;
Atque ait: Extincto iam victor fratre, triumpha:
Crudelis cane; io Pæan: pete dona, domumque,
Direptiſque potire opibus. Sint illa dolorum,
Curarumque tibi ſeges horrida; ſanguine fratris
Hæc quando, ſcelerate, rigas; aconita, cicutæ,
Sint colubri ſanies, & amaræ toxica mortis.
Si quid vota valent, poſt funera fata reponam:
Te ſequar; abrumpam pauidam leuis vmbra quietẽ;
Dum dabis inuiſo crudelia lumina ſomno.
Te face, te ferro, facibuſque, flagriſque laceſſam:
Oſſibus inſtabo; ſcrutabor & intima cordis.
Perfide, ſerta para: viciſti; at tendere palmas
Non niſi cum calido gladij mucrone videbis.
O mecum ſi fortè cadas! ne deſere fratrem,
Frater acerbe: ſinu, noſtrâque cremaberis irâ.

Protrabitur vſque ad Aurorã pugna, et inflicta ſibi vulnera videt Vgo, quæ præ Martis ardore non ſenſerat, & cæca in nocte non viderat. Voce furit, & ferro.

Hæc iactans, referenſque retrò veſtigia, callem
Sanguine ſignabat, gladiumque rotabat in ictum.
Dant animos, rapiunt iuueni dum vulnera corpus.
Sic dum miſſa venit per viſcera arundo leoni,
Venantum aduerſas acies, & vulnera temnit:
Non haſtas, non tela timet, nubemque cadentum
Suſtinet armorum; donec cum ſanguine robur
Deficit, & neſcit cedendo cedere virtus.
Diſſimulat fugiendo fugam: nam fortior ora,
Dum fugit, oſtendit, non terga, minaſque, cruoremq;
Euomit ex vno moriturus vulnere in hoſtem.
Torquato magis increpito violentia gliſcit;
Et ferro fratrem inſequitur. Iam pugna Tonantis
Æſtuat ante fores. Sed dum iactantur in ictus,
Protinus obriguêre manus: ſtant marmoris inſtar
Aëre pendentes vacuo, fruſtraque requirunt
Et motum, & gladios. Subitò nam flammeus enſis,
Fulguris in morem, tenues euaſit in auras.
Illi obnituntur multâ vi brachia retrò
Flectere; at in caſſum. Pudor, atque inſania luctu
Mixta furit: nec adhuc imis infixa medullis
Tartara diſcutiunt: odijs, non enſibus inſtant:
Pro telis voces iaculantur: dextra fit ira.

Haud procul erat, quin Deipara Cellam cruore reſpergerent, cum Deus tantum facinus ſublata facinoris cauſa præuertit. Turſ lib. 1 c. 8.

Magna canum, & venãtium vrgente vi contẽptim renitẽſque cedit, &c. Plin. Nat. hiſt l. 8. c. 16.

Calet pugna Virginis ante Domum.

Pugnantibus areſcunt brachia.

Enſes euaneſcunt.

Durat ira.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXIV.

ARGVMENTVM.

Fratres germani deteƈtis per Angelum Tartari dolis odia ponunt, amoremque redintegrant. Sed interim è Colle cruore polluto S. Cella diſcedit. Hanc illi dum dolore lymphati ſequuntur, Michaëlis audiunt cantus poëticè vaticinantis, ante vniuerſale iudicium cæteris igne combuſtis, eam Domum à ſole cremandam, & iterum excitandam ad eorum puerorum ſolatium, qui fuere cum prima originis labe vita funƈti. Gabrielis quoque canora vaticinia percipiunt prædicentis: omnes artes in eius ornamenta conſenſuras; populos omnes ad eam cum donis venturos, & vt facilè excipiantur, tres in ea portas mirè aperiendas.

CEde furor: Domus hæc Pacis. fuge ſanguinis ardor
Noxius; in venis vbi Numinis, vnda ſalutis
Arſit, & effluxit nobis è virgine venâ.
Defenſor cuſtoſque Laris volat Aliger: enſem
Cum tonitru intentat vocis; quo protinus omnis
Detonuit fratrum rabies, compoſtaque mens eſt.
Ille autem: ò Iuuenũ malè prouida peƈtora fraudũ,
Quid placidos turbatis agros? ſic Limina Pacis
Belligeri excipitis? tanti quæ cauſa furoris?
Scilicet Inuidia, & vanis exercita curis
Turpis Auarities vos hæc in prælia miſit.
Vultibus Aligerûm ne credite: credite faƈtis.
Aligeros non forma facit, ſed vita. Quid ergo?

Defecit tandem ira Angeli ante Virg. fores apparentis aſpeƈtu.

Angeli minantis, & Tartari fraudes aperientis vox.

An Superi, æternæ ſoboles pulcherrima Pacis,
Impia bella mouent, & fratrum ſanguine gaudent?
Numinis hæc Sedes, gymnaſque docentis Amoris,
Exedraque, hoc docuit, dum veſtris appulit aruis?
Hic fratrem Natura Deum ſi veſtra vocare
Attonita edidicit; ſi flammea ſpicula ſaxis
Fregit in his, hominum dudum ſitientia venas,
Heu fratris violata diù patientia Verbi,
Vos dira capite arma manu: diuellite fratrum

Vt Ioſeph peruenit ad fratres ſuos, miſerunt eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam ex Geneſ. c. 37. Miſerunt Danielem in lacum leonum. Daniel. c. 14. Daniel ab Angelo ſeruatus eſt. Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in Domo. Reg 3. c. 6. de Téplo Salomonis

Fœdera, & impuro temerate hæc ſaxa cruore.
Sit Ioſeph ciſterna, Domus Pietatis: in antrum
Currite, ieiuna ſtimulati fauce leones,
Hac latet in cauea Daniel. lacerabitis? ite.
Aligero præſente ferox cadit ira leonum;
Et præſente Deo, fratrem ſuper ipſe ſequutus
Frater agat? morienſque, ſolum venerabile vterque
Calcibus obtundat, muroſque cruentet & aram?
Non hæc in noſtris offertur victima Templis.
Quærit oues hæc ara, agnos, niueaſque columbas:
Reſpuit accipitrem, quæque implicat vngue, leænã:
Imbuitur lacrymis, & lacte: cruore tepeſcit,
Quem Pietas, quem dia Fides, non ardor Auerni
Eliquat, hinc ferri ſonus exulat omnis: Amoris
Tunditur hìc tantùm placidis concentibus incus;
Dum mollit ſua tela faber, verſatque, trahitque,
Temperat & reſonis lacrymis, flammâque canorâ.
At vos in Pacis ferrumque odiumque Penates
Infertis, fabri ſcelerum; ſtrepituque flagellum,
Quod quatit Alecto, quaſſatis? vos ego. Pacis
Sed vetor imperio. Pedibus calcata profanis,
Debuerat tellus, colliſque dehiſcere: ſanguis,
Veſtibulum quo fumat adhuc cæleſte Tonantis,

Fas

Fas erat æternas vobis accendere flammas.
Tartara ſed longè Laribus cæleſtibus abſunt.
Ille vocat pœnas; veniam ſed ſanguis Amoris
Hîc vocat, & clamat, gremio quem Virginis hauſit.
   Vos etiam innocuos Stygij dolus efficit hoſtis.
Credula res timor eſt. peccaſtis imagine culpæ:
Ficta fides veras extorſit amantibus iras.
Ille dabit pœnas: vos viuite. Sed tamen Ædes
Sanguine pollutam hoſpitiū montemque relinquet.
Dixit, & in nebulas iterum ſe condidit Ales.
Vt Ditis patuere doli; vis improba ceſſit;
Atque animo melior, melior vis addita membris.
Tunc ſubitò rigidos humeros, facilèque morantes
Lentauere manus, mollitaque brachia collo
Implicuere nouo fratres certamine. Pugnam
Corda vocant gemitu: ſunt oſcula vulnera: ſanguis
Non fluit è venis, ſed ſanguis, lacryma cordis,
Labitur ex oculis, tergitque caduca cruorem.
Se quærit, faciemque ſuam, lacera ora, ſinumque
Vgo ſanguineum: rediiſſe in priſtina vires,
Et ſtupet obducto plagas coaleſcere labro.
Vox hæret ſuſpenſa diu; ſed denique prodit.
Viuimus. ò Pietas Cæli miſerantis! ab vmbris
Euigilo Barathri, mortis, noctiſque profundæ,
Virginis ad lucem. mihi reddor, reddor amori:
Ad mores iterum fratris, nomenque reuertor,
Transfuga qui me deſerui. cadat vmbra furoris:
Lux amor haud triſtes irarum promouet vmbras.
O frater, Torquatus ait. ſed plura parantis
Dicere, iucundus dolor occupat ora; ſiletque;
Rurſus & abrumpit facunda ſilentia. Frater,
Frater ades! num vulnus hiat, quod barbarus enſe

Sanguis, quē S. in Domo Verbum ſumpſit à Virgine, veniam poſcit pro ſcelere fuſi à fratribus cruoris.

Excuſat, & imminuit fratrum culpam.

S Domum pol luto è colle diſceſſuram nunciat.

Fratres recepto brachiorū ſenſu in mutua conſpirat amoris officia.

Noua inter illos amoris pugna.

Euaneſcunt Vgonis vulnera.

Amica fratrū colloquia.

Artubus innocuis impreſſi? parce; vel artus
Ferro finde meos: cum fœnore ſanguinis vndas
Extrahe: fata moror; remorer dum funera fratris.
Si parcis, ſi viuis, amor ſi vulnera curat,
Tê viuo, ſi viuo, mei pars optima, frater;
In mea corda redi: redeam in tua corda: ſed vnum
Cor nobis effingat amor, mentita quod ira
Abſcidit in partes, fecitque è fratribus hoſtes:

Vt veniã poſcant, proſternũt ſe B. Virginis ante fores.

Hæc illi. Se complexu; mox Virginis arcent
Veſtibulum, pauitantque fores intrare profani.
Prouoluuntur humi; genibuſque tepentia preſſis,
Pronis atque genis, & fuſilis imbre doloris
Diſceſſura rigant violatæ Limina Pacis.

S. Cella, vt vicinæ fugæ ſignum daret, intremuit.

Fratres timẽt ne diſcedat: veniam ſceleris poſcunt, vt detineant.

Illa tremunt: tremuere ambo. Num triſtia, clamãt,
Sunt hæc ſigna fugę? Parce, ò Domus hoſpita, parce:
Ne fuge crudeles terras. ſi ſanguine montem
Polluimus, lacrymis corpurgat, & expiat ignis,
Quo nos vrit Amor nunc Virginis. ò pia Virgo,
O Domus, ò Superi! Ditis peccauimus aſtu:
At non ſponte mali. Pietatis Regia, parce.
Te poſthac, non dona tuis pendentia valuis,
Non auri quæremus opes: tua ſaxa pyropis
Præferimus. tu gemma animi: tu ſideris aurum.

S. Cella diſcedit lento gradu, & radens terræ ſuperficiem.

Quod ſi ſupplicium meditatâ è cæde repoſcis,
Hîc dabimus: diuelle animam, dum velieris: aras
Sparge cruore pio, ſi tabe infecimus attâ:

Germani fratres eam diſcedentem ingenti luctu ſequuntur.

Eorum voces luctus indices

Hos inter gemitus telluri affixa leuarunt
Colla. Sed, ò lacrymæ! complexibus hoſpita fratrum
Cella recedebat. Vacuis tunc pectora palmis
Obtundunt miſeri, fugitiuaque Tecta ſequuntur,
Vocibus & lacrymis. Fratres quæ terra nocentes
Excipiet, fugiente Domo, quæ ſola dolentis

He-

Heſperiæ fortuna fuit? Nos illius arcem
Vertimus, atque omnes vno ſpes fregimus ictu.
Italiam, Italiam ferro vaſtauimus illo,
Sanguine qui tepuit noſtro. Iam Roma rebelles
Deſtinat exitio. Latijs, viden? agmina campis
Arma, arma expediunt, furijs bacchantia noſtris.
Crebreſcit matrum pauidas vlulatus ad auras,
Et ſtrepitus Martis, coniuratique furores.
Picenum ruit ecce; abreptaque corpora vellit,
Spargit & in pelagus. pelagi miſereſcite lymphæ;
Quos furor euulſit, fratrum componite membra.
O regio, ò ciues, illuſaque Patria, ſalue:
Te fugimus, fugiente Domo. proh vana ſalutis
Nomina! prodidimus tentatâ cæde ſalutem.
Noſtro pulſa ſalus fugit enſe. ò Patria, ferrum
In nos, & gladios, vltriciaque arma capeſſe.
Haud miſeris ſpes vlla fugæ, qui Tecta fugarunt;
Spes vbi cum Patria fundauerat Itala tellus.
Interea, Colles, vlulate: areſcite campi.
Ætheris haud pluuiæ, roris non vbera lactent:
Expectate graues Dominorum ſanguinis imbres:
Creſcite: pro flauis aconita profundite ariſtis.
Non vos carpat quis: lateat ferus anguis in herba:
Prodidimus Patriã: laceremur ab anguibus angues.

Dimota præ dolore è ſede mente, videre ſibi videntur omnes Italiæ vrbes ipſorũ culpa tanto bono priuatas ruere in vltionem. Hac rerum vana ſpecie turbati fugã meditantur.

Cum lacrymis dum verba ferunt; cũ Sede volucri
Lymphati volitant. Non ſaxa morantur euntes,
Non rupes, rigidique rubi. nam Virginis Ædes
Radebat vicina ſolum, tardoque ſecabat
Suda gradu. Stagnis pennâ ſic, Cycne, niuali
Deſuper incumbens, humili te tramite flectis,
Atque canis. Dum diſcurſant, dum prendere palmis
Expanſis certant iuuenes fugientia Tecta;

Miteſcit fratrum luctus cantibus Angelorum.

Michaëlis domum veſtantis muſica vox.

Auditi Superûm cantus. Sic primus ouanti
Verba liquat ſonitu Michaël; eademque canoris
Plauſibus Aligeri reddunt. En littus aramus:
Denique in hoc tandem iacienda eſt anchora portu.
Dicite io Superi: Fortunæ figite clauum
Italiæ. læti ſedes intramus amicas.
Hic dabitur tranquilla quies; dum ſidera cælum,
Dum venti voluent vndas, frondeſque loquaces.

Canit S. Cellæ perpetuitatē eo in loco, in quo erat ponenda.

Cæca dies aderit, terræ poſtrema cadenti,
Nox horrenda malis, lacrymis rorata malignis.
Nulla ſalutabit quam garrula vocibus ales;
Sed tuba terrebit, vocalis turbine mortis:
Flante Deo tunc terra cadet, tunc mortua ſurgent
Corpora, quæ defixa ſolo, vel nube locata
In ſcenam venient, tædis fumantibus iræ.
Terribili clangore tubæ tremet excita tellus:
Sol iter abrumpet: rutilo currentia paſſu
Luminis in ſtadio, curſus ruitura relinquent
Sidera: ſede ſuâ turbata elementa recedent.
Hærebit quoque flamma, gelu conſtricta timoris;
Vndaque ſoluetur, nam detrectantia ripas,
Atque aurâ ſtimulata tubæ ſe flumina fundent:
Fata ferent populis, liquidâque in morte ſepulchrū.
Torpentem flammam, quis crederet? vnda vocabit,
Atque acies ſimul in Reges, in Regna mouebunt.
Hæc fluctus; aget illa faces: feret vtraque ſigna
Irati metuenda Dei, plagiſque cruentis
Chriſte, tuis depicta, rubet quibus ira Parentis.

Vidi cælum nouū, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non eſt apoc. 21.

Ignis, & vnda in exitiū terræ conſpirabunt; Deiparæ verò Domum non perdent, ſed colent.

Flumina ſed poſtquam, ſtrepitu iaculantia fluctus,
Inſaturabilibus manderunt faucibus vrbes;
In lymphis purgata ſuis, venerata Penates
Virginis, & muris affuſa, oblita nocere,

In

In feſtas mutata faces, in flumina lucis,
Atria demergent pulchrâ obſidione nitorum.
Fumida quin etiam Mundi qui tæda, roguſque
Funeris extremi, ſpatiabitur ignis in Orbe,
Haſtis flammarum verſis hanc ambiet Aulam
Virginis, & diſcet componere mitior iras:
Littoribus mare prorumpens, terriſque refuſum,
Ante Fores criſpabit aquas; tremuloque ſuſurro
Omnia perterrens, terrebitur. Inde procellas
Torquebit retro, campoſque vagabitur; vrnâ
Vt Mũdum in liquidâ componat, & vndique luctus,
Quos vindicta Dei proſeminat, irriget vndis.
Deſcendent armata ſuis aſtra omnia flammis,
Succendentque pyram, quâ terra cremabitur omnis,
Vmbra è ſideribus naſcetur, noctis alumna,
Scilicet in medio palpabitur illa nitore:
Obuia mors tenebris occurret: ſtella fauillas
In ſtrages in bella vomet: iugulataque tellus,
Et donis extincta ſuis, in luce peribit,
Munere quæ lucis vitales duxerat auras.
Sed quis virgineæ, quæres, erit exitus Ædis!
Occidet illa etiam, ſed pulchro ſplendida fato,
Et caſu magis alta ſuo. Quæ Regia Solis
Diuini fuerat, radijs ſolaribus vſta,
Non fumi tenebroſa globos, ſed luminis imbres,
Et pro ſcintillis pretioſâ grandine paruas
In cælum ſtellas ſonitu glomerabit amico.
Harmonico quoque ſaxa ſono compage ſolutâ
Diſſilient muris, ſtellas imitata canoras.
Exitio renouata ſuo, meliorque reſurget
È tumulo cineris Domus, indignata ſepulchrum,
Lauretana. Perire nequit Domus hoſpita Vitæ.

S. Domus non igne cõmuni, ſed Sole comburetur: nam ab ipſo Sole ignẽ elici poſſe vero nauium incendio Archimedes oſtẽdit. Hoc tantùm poeticè dicitur, nam re vera igne communi cũcta conflagrabunt. Suis deinde ſurget è cineribus.

Vita-

Vitali è ſucco Vitæ quæ dicitur arbor,
Antiquam referens, primis quæ floruit aruis,
Flores ante fores maturaque poma colorans,
Perpetuum pueris renouabit robur in æuum.
Altera & hic, viridi lacrymans opobalſama trunco,
Arbor erit, pallens vmbrâ, circumdata dumis,
Turturis hoſpitium, miſeroque ſimillima ligno,
Quo Sophiæ quondam pomum fatale pependit.
Sol qui ſplendorum, ceu ſanguine, purpurat oſtro,
Luce colorabit ſimulacra cruenta Tonantis,
E Cruce qui pendet. Sed Virginis Icona, malas
Quæ gerit vmbratas fumo, Sol veſtiet vmbrâ,
Fixâ in veſtibulo quam ſpargit ab arbore Vitæ.
At quæ materies operis? Via lactea cæli,
Cum ſtellis compreſſa ſuis, ſolidataque Solis
Artificis dextrâ. Sic conglobat Aliger auram;
Conſtipat, ſpeciemque addit, flectitque, trahitque,
Ora, ſinus, oculos, frontemque imitatur & aures:
Artubus igniculos miſcet, calidoſque vapores.
Sidera, quæ cælo cecidere, Penatibus iras
Virginis abijcient, hoc Limine caſtra locabunt;
Lumineque in gemmas lapides & mœnia vertent.
Hæc nam, ſubiectâ telluris in intima peſte,
Non ſuperas repetent ſedes vexillaque Solis;
Virginis in Laribus detersâ cæde quieſcent,
Anguſtâ contracta Domo, maioraque tanti
Maieſtate loci, læto quem fulgure cingent,
Semper & ornabunt, flammis vitalibus ortum.
Felici generata rogo, nece viuida rurſus
Secula ſic iterat Phœnix, Phœbumque ſalutat,
Quò moritur, rurſumque oritur. ſic fragmina vitri,
Dum liquat igne faber, componit, fractaque iungit,
At-

B. Virginis è ligno ſignum, & Chriſti tabula è Cruce pendentis, quę nunc in S. Domo viſuntur iterum à Sole formata. poët.

Angeli ex aëre formata corpora ſæpè aſſumunt.

Complicabũtur ſicut liber cæli, & omnis militia eorũ deſluet, ſicut deſluit folium de vinea. Iſa. 34.

Quæ cadent è cælo aſtra, orbe cinefacto in S. Aedem nouum velut in cælum ſe recipiẽt. poet.

Atque tubi cyathum per ſpiramenta figurat,
Qui dum pellucet, bibit æthera, vinaque fundit.
In veterem formam poſtquam renouabitur Ædes,
Atque ſuis Tellus ſaxis antiqua ſedebit
Condita ceu tumulo; Tellus noua ſurget ab igne,
Excutiens humero cineres & Numinis iras.
E cinere arboreo pubent ſic pulchriùs arua,
Et pigris immiſſa iuuant incendia campis.
Perpetuo veris poſt horrida funera riſu
Exoriens ridebit humus. non grando necabit,
Non Aquilo ſegetes: ſegetes ſed lumina paſcent.
Luminis vt radij, cum floribus herba micabit;
Cunctaque prorumpent vt amœna roſaria Solis.
Non rerum Natura vices, Fortunaque voluet:
Educent æterna nouas elementa figuras:
Arua ferent fruges inarata; metallaque montes
Non cæcis condent latebris, ſed vertice proment.
Arnus erit Pactolus, erit quoque Tybris Hydaſpes.
Non mare Tyrrhenum, non Adria cedet Erythræ:
Sol melior, meliorque nouos lux induet agros:
Clarior electro, radios tranſmittet in imum
Terra ſinum; nec opaca ſuis celabitur antris.
Turba minor Puerûm colet hęc cunabula Mundi
Prima renaſcentis, quos culpa aliena nocentes,
At proprijs impreſſa animis, vitâque Deique
Abſtulit aſpectu, melioribus abſtulit annis,
Ante ſalutaris quam labem tergeret vnda.
Infelix ſimul, & felix has Virginis Ædes
Læta frequentabit pubes, ſolatia cæli,
Et ſimulacra. Dei velabunt fronde Penates:
Limina nunc choreis; niueis nunc luſibus aras
Luſtrabunt: feſto captabunt gaudia cantu;

Vaſorum è vitro conformatio.

Perſpicuũ eſt cælum, & terrã nõ perire, ſed in melius commutari. S. Hier. in Iſa.

Terra erit lucida, & peruia ſicut vitrum in ſuperficie, aqua ſicut cryſtallus, aër ſicut nunc eſt, cælum, ignis ſicut nunc sũt luminaria cæli. S. Thom. diſt. 48. q. 2. ar 2.

Pueros ante baptiſmum cũ originis culpa defunctos canit Michaël futuros incolas Cellæ La. Hæc illis Domus pro cælo erit, & tamen eſſe beatis infinitis in ſolatium. poſt.

Et

Meditantur aliæ iuniores luſciniæ, verſuſque, quos imitentur accipiunt, &c. Pli l.10.c.29

Prædicit futurā ſacrā Lauret. Domum Laurinā ſiluam Idcirco Michaël, dū canit, iubet angelos minores lauri ſurculos e cæli campis afferre ad huius ſiluæ inſitionem.

Vos pueros renouatam in meliùs terrā poſt vniuerſale Iudicium habitaturos nonnullorum ſapientū opinio eſt, vt refert Martin. Rea in lib. de glor. Beat. & ſtat. anim. Poteſtate, quā habeuunt in corpora lumi noſa, in S. Domo more pue-

Et queruli curas, ſine queſtibus & ſine curis,
Ætheris amiſſi ſolantes, otia ducent.
Sic canit, & queritur: nido philomela repenti
Explicat argutæ naſcentia murmura linguæ,
Erudit & pullos, gemitu lætata canoro.
Frondibus æternis, hæc circum Limina, lauri
Silua perennabit: fundet pro fronde pyropos;
Et quæ fronde viret, flauo grauis inde metallo,
In ſceptri molem conſurget virga: ſed auro
Pro baccis inerunt gemmæ, pro floribus aſtra.
  At mihi Cælitum pubes affuſa canenti,
Nunc age; cæleſtes, dum carmina proſequor, hortos,
Quàm primùm reditura, ſubi: decerpe viretis
E ſuperis lauros, venturæ germina ſiluæ,
Iucundam poſthac factura infantibus vmbram.
Hinc nomen feret æternum; feret omina Pacis
Cella triumphalis. Citharas poſt carmina feſſis
Suſpendent pueri ramis; & mille theatra,
Mille dabunt ſcenas, ſpectacula mille. Penates
Intra virgineos facili Præſepia luce
(Materies nam lucis erit ſubiecta puellis)
Formabunt. Stipulam radijs, algentis Amoris
Luce artus fingent calidâ, rorantia labra,
Os niueum. lux ipſa niuem conſtringet amantem,
Fœdere quam pariet dulci. Pro cantibus antri
Sidera ſubſternent; creſcentem in cornua Lunam
Pro cunis; mites iumentaque initia flammas
Afflabunt. æſtu Leo qui perterret Olympum,
Ceu rude procumbet Puero pecus: ætheie Taurus,
Aprilem qui cornu aperit, deſcendet ab alto
Pubis ad imperium; latos qui cernuus armos,
Et caput acclinans, trepido ſe poplite flectet.

Va-

Vagitum infantis ſimulabitis, aſtra, canoris
Motibus. At ſenior quâ luce micabit Ioſeph
Ante Deum? qua Virgo parens? Hâc arte magiſtrâ,
Et Phœbi, & Phœbes radijs, omnique nitorum
Flore colorabunt: depingent floribus ora.
Deficiet lux ipſa ſibi; dum verticis aurum,
Malarumque roſas, varioſque ornabit amictus.
Verret ſyrma ſolum, lambunt ceu fulgura nubem:
Candida ſed niuibus fluet æmula palla per artus.
Cætera quid memorem? Paſtorum turba precãtum
Lumine diues erit, cultu ſub paupere: veſtes
Nubis erunt inſtar, Solis quam fulgura frangunt,
Atq; magis lacerando ornant. rutilantibus Hædos
Geſtabunt manibus, quos fabula ſacrat Olympo,
Æquora claudentes. Humero famulante, capellam,
Non quæ lacte Iouem mendaci pauit; at aſtrum
Vellere candidulo Pueri ad cunabula ponent.
Præterea nigris Oriens quos miſit ab oris,
Thus, aurum, myrrhamque alacres, & corda ferẽtes,
Depoſito inerrantes faſtu ſtabula obuia Reges
Lumine conflabunt; crinitaque ſtella beatum,
Mota tholo, monſtrabit iter. Sola agmina Diuûm,
Qui circum excurrant, feriant excurſibus auras,
Atque Dei iungant varias ſuper antra choreas;
Haud pueri artifices condent. ipſi atria pupi
Complebunt, more Aligerûm; niueaſque phalãges
Moribus & vultu referent. Puerilibus alas
Aptabunt humeris: curſus per inane, recurſuſque,
Inſtructi ordinibus, pennâ crepitante, mouebunt.
Sic Natalitiæ redeunt dum gaudia Lucis,
Parua ſigilla puer, nati ſimulacra Tonantis,
Argillâ compoſta, domo diſponit; & omnes
Con-

rorum præſepia cum pupis fingent è luce. Leo, cæli ſignum, fiet aſellus in præſepia, taurus bos.

Cantus edere aſtra, dũ mouentur, putarunt Pyth.

Ioſeph, et Maria in præſep.

Paſtores.

Hædi ſigna cæleſtia. Colu mell. l. 2. c. 2.

Capella, quæ Iouem aluit, inter aſtra locata fuit. Pli. l. 16 c. 81.

Magi in præſepio.

Angelorum Dei gloriam canentium in præſepio nullæ erunt ſigilla conflata, nam ipſi pueri pro angelis erunt.

Conuocat æquæuos, imitatus grandia paruis,
Ætheris & lucem ſpeculis, lychniſque remotis;
Sed tamen aſpectu, & clarâ fallentibus vmbrâ.
Sic pueri cælo extorres, cæleſtia ſiccis
Gaudia libabunt labris in imagine cæli.

Sentire aliquam triſtitiam de Iuſtitia, & beatitudine amiſſa docent Abul. Matth. 25 q. 662. Sot in d. de nat. et gra. c 14.

Lætitiam è lacrymis etiam, ſcenâque doloris
Lallantes auidè ſugent; vexilla videbunt
Dum laceri depicta Dei, priùs abdita menti,
Nunc obiecta oculis hilaris fomenta doloris.
Scilicet hoc noſtro ſimulacrum vertice pendens
Numinis extincti, gremio quod continet Ædes
Virginis, in cineres cum toto corruet Orbe.
Sole ſed exuſtum, renouatum Sole, reſurget:

Imaginem Chriſti cruci affixi à Sole cõbuſtã, & ab eodem luce refectam in S. Domo dum aſpicient, memores ſalutis amiſſæ dulciter plorabũt. poët.

Deletos ducet ſolari è luce colores:
Præferet & ſtellas quino pro vulnere membris,
Solamen pueris humanum, pompaque Mundi.
Hoc dum ſuſpicient: Quis flumina clauſit amoris
Clamabunt dulci queſtu? cur lympha ſalutis
Aruit heu pueris, terras ſi proluit omnes?
Crudelis genitor, crudelis tu quoque mater!
Aut ſaltem mors crudelis, quæ funere merſit,
Ne mergamur aquis, Cælique ſalubribus vndis.
Viuimus, & morimur: rapimur, dum infida tenemus

Infelices quia è vita ſubitò abrepti.

Littora: ſic vitæ miſeri deludimur vmbrâ.
Vmbrâ deluſi vitæ, viuamus ad vmbram
Numinis ah ſaltem cruciati! lambere profit,
Si quid adeſt reliqui per membra decora cruoris.
Care cruor, gemmate cruor, cur noſtra relinquis
Arida labra? Dei, puerûm vos vbera, plagæ:
Lac date: diuino pendemus ab vbere nati.
Queſtibus hís ad ſigna fluent, pectuſque tenellis
Numinis aſtringent vlnis. ille oſcula clauis,

Hic

Hic manibus figit, trahiturque dolore voluptas:
Sic puerum Cæſar, quem gratia, ſanguis, & ætas
Fecerat illicium cordis; ſed funus acerbum
Preſſerat, expreſſum, viuumque colore, gerebat
Ante oculos: longas ſolatus imagine curas,
Oſcula caſta dabat, ludens errore dolorem.

At pueris quis ſenſus erit, cum ſigna Parentis
Fumida Virgineæ cernent? Quid lucida, dicent.
Ora tegis? noſtris color hic eſt concolor vmbris,
Quos primæua lues è vultu Numinis arcet,
Atque tuo. Deterge oris cæleſtia, Virgo,
Fulgura. Si matres, quæ nos in luminis auras
Emiſere, latent; natos tu, Diua, latebis?
Ne lateas. tu Mater eris pro matribus vna
Omnibus. hoc gremio læti potiemur Olympo,
In Cælum quem ſola Dei præſentia vertit.
O Genitrix, tua nunc ſoboles pendemus ab vlnis,
Fortunati omnes, ſi nos hac Sede tueris,
Qua fortunauit te Pupulus ille tuendo,
Qui beat aſpectu. deerit nec gratia facti.
Nunc etiam tibi mille tholum funalia circum
Cerea lucebunt. puerûm tibi cereus ardor,
Vitaque pro facibus, niueis ardebit in aris.

Vocibus his pia turba manus miſcebit; & auro
Luminis, effingent in vertice Virginis aſtra.
Subijcient pedibus Lunæ ſimulacra curulis:
Sole coronabunt pectus. Qui labitur Anguis
Per geminas Arctos, vigili reuolutus ab Axe,
Orbe cadente, volutabit rutilantia terga
Virginis ante pedes; puerisque trahentibus, Ædi
Nazareæ illatus, preſſuſque à Virgine, fletus
Extrahet à pueris pro fluminis imbre vibrati.

Duo infantes rapti, quorum vnus inſigni feſtiuitate. cuius effigiẽ habitu Cupidinis Liuia dedicauit: Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam quotieſcumq; introiret, exoſculabatur Suet. in Cal.

Subnigrum B. Virginis in Laur. Cella ſimulacrũ ſpectabunt pueri nõ ſine luctu, quod eius aperto vultu perfrui non poſſint in cælo.

Signum magnũ quod apparuit in cælo. Ap. 12. pueri ea poteſtate, quã gerent in corpora luminoſa, in ſimulacro Vir. Lauretanæ repræſentabunt.

Nam

Nam primi memores ab origine criminis, atro
Anguis ab aſpectu, quem cærula colla tumentem
Calcauit Regina parens: Proh noſtra, querentur,
Sors inimica! lues in nos ebullijt anguis;
Vlla nec afflato facta eſt medicina veneno.
Te iugulaſſe tamen lætamur, Diua, Draconem,
Non penitus miſeri, victum quia ludimus hoſtem.
  At non hæc Fidei cernent ad lampada: lumen
Sed dubium pueris infundet opinio, noctis
Filia. non illos ornabit gratia; nullis
Augeſcent meritis; ſed fama docebit, adultos
Quæ docuit diuina Fides, quam Gratia dulci
Alligat amplexu, Pietas cui ſola per vmbras
Lumine diuino prælucet, & abdita pandit.
  Nunc age, quæ maculā referens ab origine inuſtā
Regna colis, pubes, inamœna, repoſtaque teſqua,
Pro matrum mammis ſpem ſortis ſuge futuræ.
Italiæ Superi tua Regna locamus in agris.
Sæpius Aligeri, viſuri hæc Atria Cæli,
Te quoque viſemus, labentes Æthere: vultu
Luſibus, & noſtro ſolabimur ore dolores.
  Haud aliter Gabriel recolens ventura canebat.
Erige te Cælo par Itala terra: ſuperbum
Tolle caput: ſublimem animum ſubmitte Tonanti.
Vrbibus innumeris, & regnis exue frontem
Roma coronatam; pro Regnis omnibus vnam
Crinibus auguſtis diuinam imponimus Ædem.
Vnica Picenum Prouincia pluribus æqua eſt
Imperijs: illi nam Colchis, Iberia, Pontus,
Armenia, & multis Albania diſſita linguis,
Sex & viginti regnataque Regibus; omnis
Africa, caſtellis quæ frontem Europa coronat,
Boſ-

Aſpectus anguis eis reducet in mentē primam origines culpam, qua fuere à Dracone afflati, & cum, calcato Dracone, Virgo deuicerat.

Gauriel pueros ſolatur.

Hæc no Fide ſcient, nec vlla certà notitia:

Regnum puerorū erit Lauretana Domus.

Gaurielis vaticiniu, cātus.

Roma laudatur eò quod Picena Domina ſit.

Prouincia, quas olim ſub ſe habu i antiqua Roma. ex Iuſto Lipſio l. de magn Rom.

Boſphorus, Annibalis Bithynia magna ſepulchrum,
Cappadoces, Cilices, Galathæ, populique Cyrenes
Lydia cum Numidis, Getulia neſcia legum,
Atque vmbrata ſuis ſemper Pamphylia ſiluis,
Illyrium, Macedûm regio, coniunctaque ripis
Dacia Danubij, Germania, Mœſia, Pontus,
Græciaque, Epirus, fecundaque Thracia bellis,
Infecunda aruis, patiens Hiſpania Martis,
Gallia belligero quæ feruet ab igne, parenſque
Italia Heroum; quidquid generoſa ſubegit
Roma olim ferro, vel amoris fortior armis,
Piceno cedit. Cedunt cui cætera, Roma
Huic quoque ſe ſubdit, Mundi Regina ſubacti.
Filia ſed matris decus eſt. Sit filia Romæ
Hæc habitata Deo & Superis Prouincia; regnat,
Romaq; cum Regnis amplectitur omnibus Orbem.
Vna fodina Domus Regnorum, venaque Regum,
Quam Rex incoluit Regum, Reginaque Diuûm.
At vos, æternæ proles pulcherrima mentis,
Ingenij ſed alumnæ hominum, concordibus, Artes,
Huc properate animis, iunctiſque laboribus Ædem
Artifici decorate manu. Tu Numinis Orbem
Æmula fundantis, Templumque locantis Olympi,
Aude opus, & donis opulentum, & nomine Diuæ.
Templum conde, Lares quod Virginis ambiat vlnis,
Ditis & impoſitum capiti, ſub mole furentis,
Terreat immenſis nigra Tartara fundamentis.
Sit ſedes formæ miranda tricorporis. ære
Ianua ſuſpensò triplex gemat: æraque ſignis
Spirent innumeris, artis portenta perennis.
Alba Paros faciem, conſumptis montibus, ornet,
Culta manu artificis, ductuque cohæreat vno.

Picenū eſſet Roma nobilius, niſi eſſet Roma mater & regina Piceni.

S. Cella fodina Regnorū, & Regum.

Gabriel prædicit artes omnes in ornāda Laur. Domo cōſpiraturas.

Architecturā ad opus Tēpli euocat.

S. Domus Tēplo circumdata. Turſ. l. 1. c. 18.

Templi fores.

Facies.

Iſtria conſpiret, Templi mage turgida vultu,
Natiuo quam celſa iugo. Suffulta ſuperbis
Gradus. Limina ſtēt gradibus, quibus Orbis inhęreat omnis,
Dum molles aditus per ſubdita marmora quærit.
Pars interior Interior ſpatio ſe proferat area magno,
Hinc inde extructis extendens brachia muris
Lauretana Cella intra Templum incluſa. Ædis in amplexum, quam circumplectitur; arcet
Anulus vt gemmam; cæleſtis vt orbita Solem.
Stent circum immanes niueo ſub fornice pilæ,
Fulta quibus teſtudo ingens, cameræque minores
Hemiſphęriũ vulgò cuppola. Ad latus immineant, alis vmbrantibus aras.
Summa ibi ſe moles cælo inſerat, aſtraque pulſet
Sublimi conuexa iugo, laxata per auras,
Laterna. In medium porrecta globum, turritaque ſurgat.
Hinc coëat tholus exiguus, paruoque ſuperſtans
Vertice, quo lumen vitreâ de nube refundat
Vicinâ ebibitum Solis de luce. Lucernam
Dum peregrina tholi proſpectat turba minoris,
Quæ maiore patet procul è teſtudine Templi,
Flexa genu, venerata Pharum, ſpeculamque ſalutis,
Primas inde faces è Virginis hauriat Æde,
Prima tributa ferat lacrymarum: incendia diſcat
Iam vicina pati, flammiſque aſſueſcat Amoris.
Aude opus, ô Pictura: tholum, qui tecta coronat
Pictura. Virginis, in ſuperos mutare coloribus arcus
Paulus II. opus orditur. Turſ &c. Incipe. Qui Mundi Paulus dominabitur aulâ,
Grande opus incipiet, tē iuſſa ſequente. Laborem,
Iulius II. abſoluit, ab ictu æneæ glandis à Laur Virgine liberat⁹. Idē l.2.c.11. Et molem abruptam fatis tu, Iule, reſumes,
Inter bella memor pacis, vitamque regentis
Virginis & Regnum, Martis dum turbine pendet.
Pinge tholo Superûm ludos. Volet ille: ſilentes
Vngue fides fecet arguto, clangore tubarum

Per-

Perſonet alter, & erumpat ſine murmure murmur
Auribus illudens, oculiſque: huic pendeat ore
Muſica vox; muſſet cæleſtia carmina labro.
Aëris ille plagas citus ambiat: ille phalanges
Ducat, & in gyrum iubeat diſcedere gyros.
Ridenti ſimilis, ſua gaudia verſet in orbem:
Agmina Diuorum volet inter, & inde recurſu
Deuolet illuſtri, ſinuetque volumine flammas.
Tu maiora moue, mentemque intende, manumque,
Cælatura. Decet prope Virginis atria, Vitam
Quæ genuit, lapides animari, viuere cautes.
Exhaurire ſuos geſtit Carraria montes,
Lætitiâque micant rupes, ferrumque morantur
Vulneraque; vt multam ducant per vulnera vitam;
Vt manibus rediuiua tuis vel ſaxa loquantur,
Virginis & patrio celebrent candore pudorem.
Ergo age quadratâ muros amplectere mole,
Diuerſis aduecta plagis cui ſaxa decoras
Affigant maculas; auro illita Iberia mittat,
Lesbos nigra, Phryges rubicunda cruore, Caryſtos
Formoſis variata notis, criſpata Canopus,
Pulchra virore Lacon, Tyros æmula muricis, igne
Thebais innocuo flagrantia. Marmore ludunt
Cælum, terra, æquor, varijſque coloribus arua.
Sepiat ima locum Luculli è marmore circum
Faſcia; multiplices diſtinguant ſigna columnæ.
Arte Corynthiacâ, ſtria, ſpirâ, paraſtatâ ſurgat
Inde ad epiſtylium: niueo ſe margine claudant
Signa minora, extent columellis inſita paruis:
Promineant niueo Virtutum ſymbola ſaxo,
Quæ poſuere ſuas in Limine Virginis aulas.
Magnis ſubter opus ſimulacris turgeat, ingens

Clemẽte VII. Pont. Templo faſtigium cũ tholo impoſitum Id.

Sculptura. Paulus III. cælatũ opus, quo S. Aedes vndique veſtitur, à Iulio II deſtinatũ à Leone X. inchoatũ, effectum à Clem. VII. ipſe aperuit an. 1538 Turſ. l. 3. c 6. Eius operis deſcriptio.

Quadratum eſt ornamentum. Id. ibid.

Exiguæ diadema Domus ; geminúſque ſit ordo.
Stent loculis baſibuſque ſuis, & mœnia vallent,
Et quà biſgeminus ſe colligit angulus, errent.
Cruſta nitens lapidum circumliget aggere ſigna,
Conſumatque omnes in ſe, quas excipit, vmbras.
Inferne Vatum duces è marmore vultus,
Ieremiæ concreta genis pia lacryma currat
Labilis, & ſaxo non ſaxea; fronte caduca
Dum ſedet, haud ſedeat, præduraque molliter vndet,
Et fallat ſculptura oculos, dum lumina fingit.
Sic pupilla vocet ſimul arida, & humida Numen,
Ipſaque ſaxa gemant, iucundo languida luctu:
Nec lapides hæc gutta cauet, quam parturit arte
Obſtetrice lapis, labra Vatis hiare dolentis,
Atque Deum raptare putes Genitricis in aluum:
Nam Superis, Superûmque facit vim lacryma Regi.
 Quem ſecuit quondam feritas, in marmore ſecto
Spiret Iſaias non viuo è pectore vota,
Venturo calefacta Deo; ſaxumque rigeſcens
Frigore natiuo, diuino ferueat æſtu.
Scriptum lamentis, & lamentabile carmen
Explicet è libro Ezechiel, quem corde vorauit;
Quemque hac ſignatum ſeptenis Æde ſigillis,
Agne, reſignaſti, roſeâ ſed ſanguine dextrâ.
Vel terris iterum dare nunc oracula credas,
Vera tamen lapides, animatos hoſpite Verbo;
Aut Vates, longo verſos in ſaxa dolore,
Proque animo ſpe viuaces, mollire querelis
Ora, vocaturos vitæ in diſcrimina Numen.
 Hic puer, & Pueri Dauid cæleſtis imago,
Et calamo, & linguâ, dextrâque armatus inermi,
Efferat in ſcenam diuini facta Gigantis,

Maiora SS. Vatum ſimulacra Meſſiã depoſcentium in ſpeciem.

Ieremias præ deſiderio Verbi reparatoris illacrymans.

Iſaias; quem olim medium ſerra ſecuerat Sedecias.

Ezechiel. Fili hominis comede volumẽ iſtud etc. Ezechiel c. 3.

Vidi librum ſignatũ ſigillis 7. & vidi, & ecce Agnum ſtantẽ. Dignus es Domine accipere librũ, & aperire ſignacula. Apoc. 5.

Dauid, vt propheta, & bellator inſculptus, & Dei pueri hac in Domo figura.

Infan-

Infantiſque ſimul. Caput exitiale Goliæ
Pro clypeo gerat impauidus; raptumque Tyranno
Intentet rurſus iugulo ferrum : ira minacis
Ignea ſcintillet frigenti è marmore : flammis
Ipſa rubere putes candentia ſaxa furoris.
Torqueat at prædo ſingultans ora ; puelli
Seque manu excutiat, crinemque auellere tentet
Motus & immotus; ſaxoque ſimillìmus albo
Palleat,& maculet lapidoſo ſanguine rictus.
Nam lapidis tibi vena fuit quoque vena cruoris,
Barbare,viuenti, Gorgon tibi ; ſaxea quando
Corda geris, ſiliceſque rigent pro ſanguine venis.
Dauidis ſignum ſignabit Numinis auſus ;
Mõſtrum informe Erebi dum Pupulus enſe decori
Corporis,& fundâ,lapidiſque volubilis ictu
Affixitque ſolo victor, gladiumque Tyranni
Non Ephod, ſed faſciolis inuoluit, & iſtis
Poſtibus affixit. Victorem hæc ſaxa molarem
Mole ſuâ dum formabunt, Vatiſque triumphum,
Læta triumphabunt victoris imagine ſaxi.
Vaticinæ, Vatum ſuper extent ſigna, Sibyllæ;
Virgineuſque chorus prope Virginis excubet Aulã.
Pendeat è mutis Chriſti vox nuncia ſaxis.
Veriùs illa Deo credas radiante diſerta,
Soluerit in voces radijs quàm Memnona Phœbus.
Conſcia venturi ſacras Cumæa cauernas,
Vnde ruunt populis centeno è limine voces,
Poſthabeat Laribus, quos verior implet Apollo.
Nec tumeant rabie fera corda; at pectus anhelet
Numinis afflatum radijs, mortale ſonantis.
Quas Perſis, Libyeque colunt, terra Itala, Tybur,
Helleſpõtus, Erythra,Samos, Delphique,Phrygeſq;

Caput Goliæ manu præfert.

Medea vna è Gorgonum numero, aſpicientes vertebat in lapides

Accingere gladio tuo, & ſpecie tua, &c. pſ.44.

Ecce hic gladius Goliath, eſt inuolutus pallio poſt Ephod. Regũ c.21.

Alter ſupernè ſignorũ ordo Sibyllarum eſt, Chriſti aut Deiparæ Virginis ortum vaticinãtium.

Statua Memnonis tacta à Sole vocalis erat.

Omnes fatidicæ, niueis pro mœnibus aſtent.
Quà Sol, occiduâ moriturus luce, feneſtram
Ædiculæ ingreditur, poſtremaque munera lucis
Illius auguſtâ deponit lætus in Ara,
Virginis extabit ſimulacrum. Illa ebria ſenſu
Diuino, precibuſque vacans, nexiſque modeſtis
Ad pectus manibus, pandet cæleſtia votis
Limina. Sidereus patefacto ex Æthere ciuis,
Marmore formatus niueo, te, Diua, niuali
Fronte ſalutabit. referet lapis ipſe Pudorem,
Atque humili formâ, ſculptoque ſuperbiet ore.
Nuncius hærebit libratis Aliger alis,
Atque recognoſcet, quas lumine perluit, Ædes,
Rurſus adoranti ſimilis, ſimiliſque timenti.
Me reddet, ſenſuſque meos, mea munera marmor,
Saxea ad aſpectum terræ, molliſſima ſemper
Ætheris ad viſus diuina Modeſtia, ſaxo
Miris expreſſa illecebris effulgeat: afflet
Inde venuſtates, vel ab ipſo marmore florens.
Quin etiam caſtis oculis accendat amorem,
Quo caleat lapis ipſe; metum dum frigore monſtrat,
Quo laudes pauet illa ſuas. è marmore pondus
Ducere diuinum vox Virginis ipſa putetur,
Qua Cælo Verbum non enarrabile ducit.
Haurit naſcentem quâ Solem Cella, Canopi
Virgo terat peregrina vias; imitetur & Ædes
Ipſa peregrinas. Immoto è marmore greſſus
Accelerare putes ſine motu; hærentia ſaxa
Cum gradiente gradi, pedibuſque micare citatis.
Molleſcat violis tellus, & ſaxea vernet:
Alba herbis vireat: librent Diuûm agmina pennas
Virginis ante pedes; lapideſque volatibus errent

In facie S. Gellæ, quę occaſum reſpicit, eſt imago B. Virginis ab Angelo ſalutatæ.

In facie, quæ proſpicit oriētem ſolem, eſt imago Chriſti, Deiparæ, Ioſephi cum aſello in Aegyptum iter habentium.

Dum

Dum Superos fingunt, cæli per inane volantes.
Fundere quæ ſtolidis labris iumenta querelas
Obſtupuit tellus; artis miracula, cernat
Rudere nunc cautes, & mutâ caute vocari
Vile pecus, montana petit dum ponderis expers,
Oblitumque vorare vias, vorat arua, nec audit,
Pabula dum carpit, Ioſephum voce monentem.
Artificis portenta manus hæc ſigna, Corynthi
Deſuper exornent inſignia. Mordicus ore
Binæ aquilæ encarpos carpant, & germina florum,
Et frugum reſtes. Sint his ſubiecta leonum
Roſtra, feræ, Aligeri; columellas, pomaque circum
Aduolitent, ſertumque operi & faſtigia ponant.
Æmula Naturæ diuinæ filia Mentis,
Viuaciſque parens populi ſine munere vitæ,
Quæque animo, nō ventre paris; ferroq;, quod hoſtes
Exanimat, lapides animas, Sculptura; Leonis
Te monet imperium: ſtimulat manus aurea ferrum.
Tunde, retunde: Domoq non mœnia condis, at Orbi,
Omnibus & Superis. Laribus noua limina pande.
Turba perit, turbis compreſſa prementibus: vnus
Non ſatis eſt aditus, dum confluit Orbis in vnum.
Sed quid ego audaces propria in diſcrimina dextras
Infero. Torpeſcunt ſacros ferientia muros
Brachia: percurrit gelidus morientia ſanguis
Membrā: rigent oculi: tacitâ formidine crinis
Subrigitur, palmæque cadunt. fugit inde volutus
Malleus, officiumque timet. Iam ſpiritus artus
Deſerit, horrificatque genas, vocemque, coloremq;
Omniaque extincto ſimilis. Sed rurſus ad auſus,
Non tamen audacter, te ſubrige. frangere muros
Sola poteſt Pietas, quæ mœnia pandit Olympi

Dixit aſina nonne animal tuū ſum, &c. Num. 22.

Sculpturæ laus.

Leo X.

Totus Orbis confluet in S. Domum, ideoque noui aditus in illa aperiendi.

Neruccius Architectus ſacros parietes perfodere auſus diuinitus exanimatus Turſ. in H. Lau. l. 2. c. 23.

Et rigidas adamante fores. Audacia Cælum
Nulla, Giganteis licet arcibus ardua, tangit.
Sidera, non lapides violaſti: pallor ab aſtris
Et venit cinis iſte, tuo qui ſpargitur ori.
Tunde priùs precibus Cælum; ſic mœnia tundes
Virginis: armabis ferri dum cuſpide dextram;
Fortiùs imperio Clementis, pectus obarma.
Aſtra licet ſint ſaxa; iubet, qui præcipit aſtris.
Æthereis ſtellas potis es diuellere muris
Illius imperio. Sic eſt. Ad priſtina vires
Iam redeunt, iuſſiſque ſuis exanguia Clemens
Roborat artificis moribundi pectora. Cedunt
Ictibus euulſi lapides; Diuæque Penates
Excipiunt triplici venientem limine Mundum.
Dona fluunt Populique. Propinquior Ædibus aras
Occupat Italia. Aligerûm ſimulacra perenni
Dux dicat Atrenſis flammarum luce. Superbum
Lumine perpetuo Catharina puerpera Regum
Fornice ſuſpendit lychnum; Laribuſque Tonantis
Accendit ſtellam, Soles quæ fertilis aluo
Fuderat. Huic alium, Superi quem vèrtice geſtant,
Prætenduntque manu quercũ, duplicemque nitorẽ
Ex auro iaciunt & flammâ, Marchio iungit
Robureus. Multo rutilans adamante monile,
Armillas auro læues, rigidaſque pyropis
Dux Cliuiæ donat. Patrum, Regumque Senatus,
Gregorius Regum Princeps, quibus inclyta Roma
Submittit regale caput, cæleſtia donis
Tecta replet. Phrygias largitur Mantua veſtes,
Candelabra, cruces. Illuſa ciboria gemmis
Parthenope Ducis Aligerûm in tentoria vertit;
Triticeâ ſub veſte latens, qui bellica in aris

Neruccius audaciam incuſat, veniã expoſcit, ægritudine leuatur. Ibid.

Clem. VII. monet, vt parietes perfodiat non tam malleo quàm ieiunio, & veneratione Virginis armat⁹.

Inuentus eſt adoleſcẽs, qui authoritate Pontificis fretus rem auderet. Id. ibid.

Ianuas aperiunt tres. In apertos adit⁹ cõfluit Italia cum donis.

Dux Atriæ bina Angelorũ ſimulacra donat, quæ ardentes cereos perpetuò præferrent. Turſ. l. 5. c. 8.

Catharina Medicea Frãciæ Regina, ac Regũ mater lychnũ argenteũ, & põdere, & arti-

Ca-

Caſtra locat Fidei. Panis Gedeonis in hoſtes
Sic olim irrupit, gladius ceu mortis; at idem
Caſtrum erat Iſacidis, Victori currus honoris.
Cum Genua Vrbinum, fortiſque Sabaudia pronis
Voluuntur genibus, certantque imponere dona
Virginis in dextra. Veniunt caſtella quotannis
Picenique vrbes: ſacras longo ordine pompas
Inducunt, facileſque ferunt diademata, ſignis
Pulchra laboratis; quæ, ſtellis æmula, cingant
Hoſpitæ adoratæ frontem, argentumque maritent
Inde ſuum rutilis gemmis, auroque comarum.
Lychnum, qui magno ſtridens in pondere pendet,
Perpetuoſque iacit prope Virginis ora nitores,
Prodiga diuitijs, Pietatis & ignea votis,
Obtulit Adriaci clariſſima Sponſa Profundi;
Eius & oblato Virtus in lumine claret.
Auratos viden vt calices Epidauria defert
Ad ſacra Tecta ratis, placidâque allabitur aurâ?
Scilicet in medio dum ſubſtitit æquore, vento
Deficiente, mariſque vndis deuincta doloſis,
Euolat ad prædam, piratis ducta, triremis.
Circumſtant: tormenta, faces, glandeſque, neceſque
Ignito pariunt vtero. Iam ferrea mordent
Roſtra, tenentque. parat nauis piratica nexus,
Hoſtilem ſubitura ratem. tamen illa reſiſtit
Nō face, ſed precibus. calicem tibi, Virgo, vouemus;
Atque tuâ pro voto, inquit, cor ponimus arâ.
Protinus exoriens caligo inuoluit Olympum:
Se tenebræ intendunt: rapitur raptoribus æther:
Ingruit horror aquis. Epidauros protegit vmbra
Pro clypeis, pro mille viris, & claſſibus. æquor,
Præda, hoſtis, cælum, lux fruſtra quæritur. Antris
Cer-

ficio inſignem donum miſit cum dote, vt perpetuò luceret. Idem l 5. c. 14.

Piceni quotānis argenteas coronas ſoliti ferre, vſque ad ſeptenas. plerique argētea vrbiū, & caſtellorum ſimulacra.

Epidauria nauis è manibus piratarū miraculo eripitur, vouentibus nautis egregium calicē Aedi Laur. Donū Turſ. l 5. c. 10.

Incubans mari quædam ſubitò nox barbaris proſpectum abſtulit, & inter nebulam afflans aura onerariā Lauretum impulit.

Se Virginem vocitabat.

Cerberus haud aliter Stygijs, nebulâque ſepultus,
Obſcœna latrante fame, latrat ore trifauci,
Quærit & in media Ditis caligine prædam.
Soluitur interea nauis formidine & vndis,
Votaque perſoluit pro vita, in Limine Vitæ.

Ab Anglis quæritur: latet in ſētina; eſt ante oculos, & non videtur. dimittitur nauis. in alios prædones incidit. inuenitur, & trahitur: ſed dum extrahunt, repente capti oculis errare cœperunt. Tandē ira Dei conterriti captā onerariam dimittūt. Turſ. l 5. c. 15.

Eliſabetha Erebi virgo, multiſque Britannis
Iuncta procis, thalamoque omni Regina iugalis,
Et noua Tænareo Proſerpina nupta marito,
I: ſequere Edmūdum pelago, terrâque: latebit.
Mitte Dacas, claſſemque arma prædonis in hoſtē:
Sole tuo tegitur, Virgo: & de Sole tenebras
Spargit in hoſtiles acies. Hinc lumina noctem
Luce vel in media palpant; captiuaque puppis
Hoſtibus eluſis, ventis impulſa ſecundis,
Lauretum approperat, cumulatque altaria donis.

Galliæ dona. Henricus III dono mittit ſcyphū è gēma excauata, operculū cryſtallinum, & gēmeum, in ſūmo operculo angelū aureū cum lilio adamantino pro impetranda prole. Turſ. l. 5. c. 4.

Gallia rumpe moras: Ganges, Pactolns, Hydaſpes
Sit Liger, & Rhodanus, Moſa ſit cum Matrona: in
Virginis auratis exundent fluctibus amnes. (Ædes
Peruia iam fluuijs ſunt oſtia: currite riui:
Aggeribus ruptis pia munera fundite Reges.
Porrigit auguſtâ ſapphirina pocula dextrâ
Tertius Henricus. crater ſpumare beato
Nectare Cælituum poſſet. pes ſternitur auro;
Tornat cryſtallus crateris opercula, gemmis
Quæ diſtincta bibunt lucem: ſupereminet alis
Aliger, atque inſigne manu fert Lilia Regni,
Lilia, quæ niueis folijs pro Rege virilem
Pro Regno à niuea depoſcunt Virgine prolem.

Regia Gioioſæ ſequitur veſtigia Princeps.
Non ſemel infuſis opibus penè obruit arcam,
Nobilis ex illa mendicus Sedè recedens.
Octo dies poſtquam dulces abſumpſit in æſtus,

Ex.

Exhauſtus lacrymis & corde, ſed auctus amore,
In geminum ſidus, geminam radiare lucernam
Iuſſit inextinctis facibus. Sic aſtra perenni
Luce micant, quæ ſuccendit Sol aureus ore
Numinis in Tẽplo. Tẽplum nam Terra, quod aſtra
In Fidei nebula, ceu ſacros explicat ignes.
Hæc auri fuit appendix: pretioſior auro
Sed fuit appendix fixum cor Principis aræ.
Surge opus in cælum; cælumque imitare, quod ardet
Aligerûm flammis animatis. namque Tonanti
Hoc ſine nube patet Templum, penetrale repoſtum,
Ingens, immenſum, Superûmque in lumine fulgens.
Aligerûm duo ſigna, nouâ viuentia luce,
Reginæ Aligerûm ſacrat Pernonius: ignis,
Quem cerâ renouat, ſemperque reſeminat, index
Dum micat obſequij, Pietatis nunciat ignes.
Hic iter ad Regem dum torquet, & auia tentat
Per cautes & ſaxa; viæ ſtimulique peroſus
Iactat herum ſonipes: ſeſe erigit: excutit armos,
Perque abrupta pedes glomerat, dominoq; minatur;
Inſultatque ſolo; calleſque aditusque malignos
Impatiens calcaris, adit. De rupibus altis
In præceps agitur Pernonius. inde feretro
Aptior & tumulo, quàm lecto, erectus, amicos
Deijcit in luctum. Caligant morte propinquâ
Lumina: poſtremus labris ſuper halitus errat,
Mors turpata comas in puluere, ſponte caducum
Tollit equum: ſuper inſcendit, ſtimulatque; iacentis
Vt terat vngue genas, atro pallore rigentes.
Pernonus ſub mole gemit: premit illa gementem:
Quadrupedante quatit terram, refoditque ſepulchrũ.
Vita fugit; Gioioſa, necem miſeratus amici,

Dux Pernonius ab equo de altiſſima rupe agitur in præceps. pro mortuo dum habetur Henricus Rex & Gioioſa Laur. Virg. opem implorant. ſurgit incolumis. binos ſolido ex argento Angelos cubitales cum accenſis perpetuò cereis dicat. Turſ. l. 5 c. 5.

Im-

Implorat mortis Dominam Vitæque Parentem.
Vita redit; redeunt vires, ſonipeſque reſurgit,
Excutit atque Necem dorſo,dominumque requirit.
Alleuat ille oculos, extinctaque gaudia vultus
Sole animat, niueo promit quem pectore Virgo.
Iamque ſuos agnoſcit eques. Pro luce reuisâ
Fabricat Aligerûm ſimulacra vibrantia lucem.
Gallia fert iterum regalia munera. Regem
Exprimit argento puerum, quem faſcia voluit,
Quæ dum creſcet, erit bellantis balteus,hoſtis
Et debellati vinclum fatale. micabit
Moribus ingenuis, animoque argenteus: auro
Se maieſtatis, dum lumine candet amoris,
Diues inaurabit meritorum: hoc ferrea tela
Ærataſque haſtas argento franget & auro.
Magna precum ſoboles, Sol ortus ab imbre dolorũ,
Dextellâ in clypeos reptabit: matris inertem
Penſabit factis vterum, innumeriſque triumphis.
Ne partus damnate moram: mora longa gigantes
Prole vna multos pariet tibi, Gallia, Reges.
Hanc tu ſtringe ſinu, ſtringet quæ colla catenis
Hæreſis indomitæ,Thraceſque in vincula mittet.
Impleuit Cæli, Patriæ, Genitricis, & Orbis
Vota Ludouicus. Cunas iam linquere cerno,
Milleque regali ſolio ſubſternere monſtra.
Scilicet ille pio lactatus lacte Pudoris
Virginis è mammis preſſo, quæ proterit omnes
Hæreſis anguiferæ colubros, premit omnia monſtra,
Hæreſis vberibus, Furiarumque alta venenis.
Indolis Ætheteæ Rex eſt, generatus Olympi
Auſpicijs, luſuſque graues & gaudia torua
Fouit adhuc infans, captauit & oſcula vultu,

Quo

Quo lepor & grauitas ludebant ſeria, dextram
Vix è faſciolis eduxit; & aſtra ſerenus
Voce ſalutauit dubiâ, manibuſque ſolutis.
Viſa Patris Pietas rediuiua in prole. ſerentem
Grata venena venuſtatem, qua fœmina floret,
Lilia ne viſu corrumperet, ore fugaci
Vidit, & inde oculos cæleſti Virgine pauit,
Vnde Pudicitiæ bona ſemina duxit & annos.
Quis lepor in verbis facilè furantibus aures,
Et lacrymas, & corda? Pudor quis corde? rubere
Hoc priùs edidicit,roſeo quàm muricis oſtro.
In ſe regna priùs geſſit, quàm ſceptra teneret.
Corde rudimentum poſuit, dum crimina preſſit;
Quæ ſic odit, vt ambitio regna omnia votis
Deperit atque vorat. Regno Ludouicus auito
Cederet & vitâ mendicus & exul; Auerno
Si ſcelus immiſſum ſibi peſtem afflare pudendam
Crederet. Imperium putat eſſe vbi crimina,Regum
Ad ſolium, preſsâ ſternuntur fronte. per iſtos
Ille gradus ſuper alta gradus faſtigia mouit,
Compoſuitque Deum ſolio, pedibuſque Tonantis
Subditus ille iacet, regnatque; iugumque decorum
Diuinæ legis pro ſerto in fronte locauit.
Hinc Iuuenis fortuna, faces in lumine Regni
Bellorum primo cernens non horruit: vltrò
Prodijt in campum Pietate inſignis & armis,
Terribiliſque vtroque rogo: nam Cypridis ignem
Qui non ſenſit adhuc, integros pectoris æſtus
Hoſtis in excidium portat, populique ſalutem.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXV.

ARGVMENTVM.

Gabriel dona canit à Caſimiro Poloniæ Rege Virgini oblata, & huic repenſas à Virg. pro vice victorias. Hos inter cantus miſſi Pueri cæleſ. in hortos laurinæ ſiluæ ſurculos deferunt, & infodiunt ſub S. Domo, adhuc in aëre pendente. Huius vltimam ſtationem viſura B. Virgo, Septempedæ ſedet in monte cum choro Picenorum Sanctorum: aliamque vberiorem Diuorum ſobolem Prouinciæ, ſua Domus hoſpita, pollicetur.

Germania in apertas ianuas dona ingerit.

Ferdinandi IV. votiuum ſimulacrum à parente oblatum, quem nuper coronatū Romanorum in Regem eripuit acerba mors.

Margarita Auſtriaca cor offert argenteum magni ponderis.

Item Ioanna Auſtriaca ſuū & mariti cor Deiparæ dedicat ex argento.

TV quoque ſubmiſſas, Germania, poſtibus infer
Victrices Aquilas, poſito quæ fulmine Martis
Aurea ab auratis profundant munera pennis.
Ferdinandus erit munus cæleſte Tonantis,
Patris, Auique refert qui nomina: Patris, Auique
Aſt animo reddit mores, atque inclyta facta.
Hunc, Genitor, tu redde Deo, cui munera vitæ,
Cui te, cui ſobolem, cui palmas, Regnaque debes.
Accipiet Romæ Regnum; regalis, Olympi
Victima vt occumbat, Virtutum cincta corollis.
Hanc Superûm Regi, natorum Myſta, dicabis,
Qui tibi, qui natis Regnum immortale laborat.
Auſtriaca Auſtriacos imitatur Margaris: offert
Cor cum corde tibi, Virgo. Ioanna mariti
Exprimit argento niueum cor. Virgine viuunt
Auſtriaci; niueique animo, dant candida corda.
Cor pro corde ſuum Genitrix diuina rependit,
Ger-

Germanoſque, mouent donis dum prælia, donis
Obruit, & vincit dextrâ, qua profluit Æther.
Vis è corde fluit. quales in prælia vires
Teutones elicient, quibus eſt pro corde Virago?
Robore cæleſti viden vt firmata Iacobus
Virginis in manus protendit brachia? Plumbo
Hæc fuerant traiecta graui, dum bella tumultus
Ciuicus accendit, cæcâque vagatur Erynni.
Mœſtus, acerba fremens lethali Marchio glande,
Dum dolor infixo ſtridet ſub vulnere, voces
Pro manibus leuat in cælum, Dominæque potenti
Supplicat. Illa armis & donis brachia donat
Libera. Suſtollit concham redeuntibus vlnis,
Arte bipartitam mirâ. pars icone Diuæ,
Pars bellatoris, Colubri ſurgentis in artus
Vulnere terrifico, ſplendet: Suſannaque lymphis
Emicat in vitreis; image ſed cryſtallina fulget
Luce pudicitiæ. gemmaſcunt omnia, pixis,
Signa, Draco, pugnantis equus, ferientis & haſta.
Vlnas ipſa viro quæ reddidit, excipit vlnis
Virgo Ducem, cumulatque bonis. Se nocte videndã
Obtulit aſpectu, quo ſidera celat, & auget
Immortale decus Superûm: maniciſque doloris
Protinus ille manus nudauit, & extulit ambas
Matris in amplexum. Cecidiſſe Ancilia cælo
Credidit, induerent vt brachia robore Diuûm.
Expulit vt noctem Princeps, regna omnia plauſu
Virginis impleuit. Conſanguinitate propinquum
Excitat ad laudes Guilelmum, ad munera. Calcar
Excipit ille, viamque capit. pertæſus & aulæ,
Et populi ſtrepitus, penè incomitatus, in Aulam
Virginis ingreditur: turbis immixtus adorat

Iacobus Budæ Marchio ex vulnere, quod in Colonienſi tumultu plũbea glande ictus in brachio acceperat diuinitus per ſanatur. Ter l. 5. c 6.

B. Virg. 3. ferè vigilia cãdida in veſte collucens ſe illi offert in quietè. brachium manu prehenſum illico ſanat. Id ibid.

Gulielmus Bauariæ Dux, Marchionis Budenſis conſobrini ſui valetudine leuata dona defert; viuit per aliquot dies in S. Cella ſolitarius, & ignotus. Id. ibid.

Gran-

Donū ipſius, libellus ex auro ſolido, qui trifariam diuiſus quatuor veluti paginis gemmata ſigilla egregiaſque imagines continet.

Grande ſolum, noctique diem, noctemque diei
In Laris auguſti amplexus atque oſcula nectit.
Dum faſtu poſito decreſcit, diues amore,
Non capit ipſe ſuos ſenſus & gaudia; pectus
Non capit ipſe ſuum, donis cæleſtibus auctum.
Hæc ad dona ſinus vt laxet, dona profundit,
Sol quibus, & ſtellis deſcripta volumina cæli
Inſolitum iubar inuideant. Appendit ab ara

Integumentū ex auro vnionibus gemmis &c. octo æſtimantur aureorum millibus Id. ibid.

Innumeris grauidum gemmis, auroque volumen.
Pagina, quam vertis, gemmata ſigilla recludit,
Multiplicique oculos venatur imagine: ducit
Gemma characteres: lux codicis atramentum eſt.
Haud aliter librum Sol Ætheris, igne colorat,
Scribaque diuini tranſcribit lumina vultus,

Cælum liber, Icones Aſtra.

Signaque mille ſuo ſtellata volumine fingit.
Et decet his Laribus cæli compendia poni.

Donat etiam candelabrū argenteum pē ſile librarum 80. cum 24. ramis totidē lychnos ſuſtinē tibus. Turſ. l. 5. c. 7.

Ætheris immenſi qui ſunt Breuiaria. Quæris
Hac in ſede Viam lactis, quæ candicat aſtris?
Tolle oculos: candelabrum quod luce niuali
Fulgurat argenti, ramiſque extantibus inde
Ter quater & totidem, nutritque, ac ſuſtinet ignes,
Eſt Bauari Solis Via lactea. penſile ab vlnis
Virginis ardeſcit cor Principis: ignibus ignes

Cerei ardent hauſto igne Bauari ducis è corde.

Suggerit ille ſuis, & in aſtra immutat amoris.
Nec ſatis. Vt Domini pretioſâ ſplendeat vmbrâ
Vrna ſepulchralis, quam latè gloria veſtit;

Eius donum Chriſtus è ſepulchro adamantibus, & pyropis colluccente rediuiuus. Id. ibid.

Rex Superum vultû mitis, pariterque timendus
Eminet in gemma, tumulo rediuiuus opaco,
Victor, & inſultans morti. flagrat vrna pyropis,
Atque adamante. Domo gemmarū candor in vna
Iungitur atque rubor; diuini candor Amoris
Sanguine vbi rubuit, niuea de Virgine gemmans.

Sedi-

Sedibus è patrijs Dreteſtainius vrget
Nazareas iter in Sedes. hunc Roma moratur,
Præmia cui cumulat: Pietas ſed præmia Romæ
Temporeque & pretio vicit: nam veſtijt oſtro
Ante ſuo Pietas quàm Roma. Exhaurit hic aurum,
Quidquid habet tibi, Virgo, ſacrat, tibi prodigus vni.
Argento grauibus clathris altaria vallat.
Sed Mare virgineum vallo dum cingit, inundat
Illum diuitijs & honoribus aurea Virgo.

Card Dreteſt. donat clathros arg. In Patria Templum cõdit V. Laur.

At quibus exundat, rurſum ſua munera fundit
Illius in cultum. pelago ſic miſſa, redonant
Flumina ſe pelago; reuolutaque rurſus in arua,
In mare ſe voluunt. Patrijs in finibus Ædem
E Lauretana molitur imagine Princeps,
Atque oculis ſubicit, fabricatum pectore, Tẽplum.

Belgium in patentia limina dona defert.

Flandria, quæ ſemper lacerata atque integra viuit
Turbine bellorum, donis ſe miſcet. In ara
Reginæ Superûm cerâ funale quod albâ
Fundit opes lucis, deuouit Belga. Per agros
Solus hic hoſtiles dum caſtra explorat & arma,
Fraudibus induitur; peditéſque, equitéſque, Duceſq;
Circumeunt octingenti, vnâque omnibus vni
Enſibus, atque odijs, ſclopiſque minoribus inſtant.
Vt Macedûm quondã ductor, Mundique Tyrannus
Magnus Alexander belli vim pertulit omnem,
Atque inſultantes, protectus ab arbore, turmas
Reppulit impauidus; clypeat ſe Belga Parentis
Sic lauro Lauretanæ, chalybiſque procellas
Suſtinet immotus. Vaſtum ceu prodit in æquor
Obuius irato ſcopulus pelagoque Notoque,
Decutit ille haſtas, & tela retorquet in hoſtes,
Integer in mediâ iaculorum grandine, & inter

Belgam hoſtes circiter octingenti partim pedites partim equites adoriuntur.

Virginẽ Lauretanam implorat: miraculo liberatur ab hoſtibus. ingenti mole cereum dicat. Turſ. l. 5. c. 18

Alexander protectus ab arbore ſolus in hoſtilem exercitum pugnat ex Q. Curtio.

Spicula mille, vno defigit vulnera telo.
Omnia caſtra nouus detrudit Horatius, arma
E Mariæ dum ponte agitat, quæ ſuſtinet Orbem,
Et vada cæca ſuper, breuiori tramite ducit
Nos ſuper aſtra. Virum cæli de nubibus altis
Prælia ſecurum credas telluris ad ima
Spargere, & occultâ dare cuſpide vulnera. Cælo,
Sic eſt, congreditur, fultus dum Virgine pugnat.
Mole ſua non ſtat miles, ſed mole Parentis,
Qua ſtetit ipſe Deus. manet imperterritus: hoſtes
Vulnerat, atque fugat; ſpolijſque indutus opimis,
Igne triumphali ſtatuit tibi, Diua, trophæum.

Horatius Cocles, poſtquam hoſtes undiq; inſtantes ſolus ſubmouere nõ poterat, ponte reciſo tranſnat Tyberim, nec arma dimittit. Flor. l. 1. c. 10

Clauſtra patent; gemmas infunde, Polonia, valuis.
Quadrupedes Caſimirus agit, muroſque Tonantis
En quatit auratis, Pietas quas ſuggerit, haſtis.
Obſidione premet cordis, ni Mœnia cedant
Ictibus. Ille ſemel, rurſuſque Penatibus hærens,
Belligerat donis. tibi, bellule Pupe, tenellos
Includit gemmâ digitos, quibus inſidet Orbis.
Anulus hic adamante grauis fit nexus amanti,
Atque catena Deo. Caſimirus vicit: ouanti
Plaudite Sarmatiæ ciues: qui vinxit Amorem,
Anulus obſtringet populo fera corda rebelli.
Ecce iterum ceruice iugum, frenoſque ſonantes
Ruſſia decuſſit, iuguloque datura cruorem,
Libera ſeruitio, curtus agitare volantes
In noua bella parat. Coniurat Dacia, nexus
Docta pati ignauos. flagrorum oblita fragorem,
Iam lituos ſcelerata pati gemituſque rotarum
Audet, &, excuſſis è dorſo fuſtibus, arma
In Dominos inferre. Scythæ cum Thracibus optant
Colluuie ſcelerum miſceri. Moſchua Moſchos

Cereũ dicat. Polonia reſeratis S. Cellæ poſtibus aurũ infundit.

Caſimirus Pietatis miles in S. Cellam veluti diuinæ liberalitatis arcem donis belligerat.

Poſt pecuniã largè erogatam incluſum anulo pretioſis adamantẽ Laur. Puelli ei digito inſerit, quo mũdi globum ſuſtinet diuinæ Matris in ſinu. Ex hoc dono Regis victoria.

Euo-

Euomit in ſtrages, flauoſque Aquilone Suecos
Mittit ab extremo diſtracta Sueuia bellis.
Sarmatiæ feruent glacies, ardentque Triones,
Atque armis calet Arcturus, campique, natantes
Milite, inhorreſcunt. Tot ſufficis omnibus vnus
O Mundi, Caſimire, ſalus: partæque ſalutis
Teſſera fit, digito qui Numinis anulus ardet
Orbe ſub impoſito. Fulcit velut anulus Orbem;
Sic Mundum tua dextra regit ſub Marte labantem
Sarmatico, Moſcho, & Scythico. Iam prælia feruent:
Rex age: dant ſonitum ſiluę; dant claſſica ſignum;
Innumeraſque vrget Cmelnikus in arma phalãges *Dux rebelliũ*
Proditor, atque tuo, patriæque rebellis amori.
Rex volat; Heroina ſimul Regina; gelatas *Regina Regẽ ad bellum ſequitur.*
Et gaudet calcare niues, quas coniugis æſtus
Soluerat ante pedes. hyemes, Scythicoſque rigores,
Magnanimo ſociata viro, contemnere diſcit
Fœmina. ſed Regem, quem nulla pericula terrent, *Hãc ille locat extra aleam belli.*
Terret amor. Remane, dixit, fidiſſima coniux.
Me decet arma ſequi, te fundere vota: timore
Exue me, tituliſque meis hanc eripe labem,
Vt timeam. pro tê Virgo mea ſigna præibit,
Cuius ego nunc ſigna ſequor. Sic fatus, inertes
Perrumpens populi ſtrepitus, magnique Senatus *Senatus initio Regi præliũ diſſuadebat.*
Præcipitans virtute moras, it primus in hoſtem,
Exercetque frequens iras excurſio: cæde *Rex excurſionibus hoſtes fatigat, &*
Ad cædes atrox rapitur, curſuque fatigat
Quadrupedeſque, atque arua, Palatinoſque ſequentes
Inuicti vexilla Ducis. Dum diſtinet hoſtem, *Nobilitas Regẽ ſequitur.*
Sexaginta bellatorum & millia centum,
Atque quaterdeni coëunt in prælia currus. *Dux ſemper rebellibus formidandus.*
Quos inter Kalinoſchus adeſt, ſpes maxima Regis,

Digitized by Google

Tempeſtas Tanais, tumidique Boryſthenis Auſter,
Sæpe Ruthenorum quos ſanguine fœdat, & auget.
Caſimiri exercitus ad plana prœliaturi deſcendunt. Amnis Styræ vada traijciunt. Æquora præripiunt omnes, quà Styra minori
Amne fluit, tentantque vndas, ſuperantque minaces.
Quos vbi deſpiciet tumulo Caſimirus ab alto,
Eriget his dictis. Iactu Fortuna ſecundo
Obijcit en noſtris omnes mucronibus hoſtes.
Caſimiri ad milites concio Relligio, decus, & Regnum, Victoria, Virtus,
Pax, Romana Fides, extremaque linea belli,
Patria, Vita, Salus medio ſtant omnia campo.
Omnia contulimus: vos omnes promite vires
In medium: Natura, Fides, & Gratia veſtras
Exigit in bellum dextras. pugnatis Olympo,
Et mihi pugnatis. pendentes Æthere Diuos
Credite prælatis hortari in prælia palmis:
Credite Reginam Superûm ductare Phalanges.
Hac duce proſequitur ſemper victoria bellum.
Rex Caſimirus, vt omnis fugæ ſpes ſuis militibus præcidatur, impēdentem fluuio pontem vndis æquat. Virgo iubet, bellique iubet ſic credere cauſa,
Hoſtis & ingenium. Noſtris ſe opponere turmis
Montibus aduerſis audent bis millia centum.
Non numero pugnat Virtus germana locoque:
Ipſa ſibi mons eſt, & ſola exercitus ingens:
Seque regens, ſua caſtra regit. terrore Rutheni
Et numero armantur: noſtra eſt interrita Virtus.
Bella gerunt clamore; mei Virtute Poloni.
Hæc fatur; pontemque, premit qui flumina dorſo
Deſuper impendens, fundamine vellit ab imo,
Infligitque vadis, lapideſque exterminat vndis.
Ponte ruente, fugæ vobis ruit omnis ad vndas
Spes, inquit, non digna, Viri. res omnis in arcto eſt.
Claudimur hinc vndis, hinc hoſtibus. vna ſuperſit,
Cætera dum deſunt, ſpes immortalis honoris.

Clau-

Clauſa loco Virtus magnis ſe extendere factis
Fortiùs aggreditur. Sic ſæua corona latrantum
Efferat, atque acuit torpentem in bella leonem.
Deieci pontem; ferro vos tollite rurſus:
Strata Ruthenorum ſint ſaxa cadauera: muros
Hinc ite ad patrios. Dixit; primuſque cateruas
Impetit hoſtiles. Socij conſurgere telis,
Quadrupedeſque audent aruis inferre Ruthenis.
Curribus hi contrà, iaculiſque inſiſtere, & vnà
Clamores iactare truces. Vlulatibus æther
Concuſſus furit immiſſis. Conſiſte: volucri
Quò raperis bellator equo, Caſimire! repoſcit
E Duce victorem te Patria: cautiùs hoſtes
Ah vitæ memor inuadas. Obit omnia viſu:
Te petit, & lethi Cmelnikus deſtinat vmbris.
Heù dolor! immitis ſpeculâ te vidit ab alta:
Omnis & ecce mihi coit in præcordia ſanguis.
Miſſilibus iaculis facibuſque animata malignis,
Quina parat tormenta graui maiora metallo,
Queis nomen, vires, viruſque dedere colubri.
Scilicet arx aderat Caſimirus, & vna terendæ
Non ſatis eſt arci pila plumbea. Perfidus ignem
In Dominum explodit. Volat æneus orbis: at Orbe,
Quem Lauretanus dexſtellâ ſuſtinet Infans,
Tunditur ille retrò. digitos qui circuit auro
Anulus, in Regis ſuſpendit vertice Mortem.
Namque ſuper crines, flammarum concita pennis,
Mors ſtetit, & proprio pauit ſuſpenſa periclo.
Scilicet extimuit Caſimirum flamma volucris,
Principis atque manum venerata receſſit, ouanti
Quæ face collucet, quoties Sol flammeus annum
Luce remetitur. pro Virgine namque tuenda

Fit prælium.

Rex acie prima belligerat. Dux rebelliū viſum è ſpecula Caſimirū morti deſtinat. Quina maiora tormenta proditor Dux in Regē explodit. Omnia hiſtor. Mundi globū ſuſtinentis Chriſti puelli manus anulo à Caſimiro ornata æneum globum eius è corpore repellit.

Rex ſingulis annis accenſum cereum manu geſtās publicè vouet ſe Deiparam defenſurum.

Dum caput & vitam vouet ille, incendia cordis
Teſtatur lacrymis, & pectoris indice flamma.
Igne coronatus, præſagia læta triumphi
Vt cepit, contrà caſus obnixus in omnes,
Rex votis feruens, animiſque, & curſibus acer,
Non multo innumeras penetrauit milite turmas.
Confertos proculcat equos, cinctuſque procellâ
Vndique telorum, cum telis decutit haſtas.
Nec ſegnes fremitu cuneos laxare phalanges
Sarmaticæ nituntur equis, ferroque ruinas
Sauromatis glomerant. Ades inſuperabilis enſe
Konipolſce: tonans dextrâ, media agmina rumpis:
Pectora cornipedum, nimbo traiecta tonanti,
Vulneribus fodis & laceras, equiteſque ſupinas.
Sauromatū tunc ecce, globo comitante, Tyrannus
Arua petit, ferale fremens; denſataque cornu
Millia diſiecit læuo. Sed protinus ardens,
Corporis obiectu, ſtragemque fugamque tuorum
Rex claudis, reſeraſque acies mucrone rebelles.
Non ſecus in media leo dum conſiſtit arena,
Colligit atque iras; armenta minora fugantur.
Sic cogis dare terga hoſtem: fugientibus arua
Totaque decreſcunt. ſequeris, Monciske, fugaces;
Oblituſque animæ, quam dextera bellica præfert,
Occidis ingenti ſaturatus cæde nocentum.
Mente tamen Regis, memorique in corde triumphū
Victor ages, ſemperque tuis celebrabere factis.
At turbæ indecores, pars ſe commixta viciſſim
Confuſo terrore premit; pars nota cruentat
Flumina, dum gelidas perfringere curſibus vndas
Ardet, & à liquido vitam ſperare ſepulchro.
Qui ſuperatis adhuc miſeri, quibus vnda pepercit,
Sar-

Polonorū Dux deſatas in cuneum rebelliū turmas perrūpit.

Rurſus coëuntem Polonorum equitatum læuo cornu violenter impacto frangit, ac diſſipat rebelliū Dux.

Caſimirus ſuos fugiētes virtute continet, ac voce, bellumque reparat, & victoriam. Caſimirus rurſus in hoſtes ruit. fundit & fugat.

Monciskus Regis amor, dum hoſtes ferro ſequitur fortiter occūbit.

Sarmatico date colla iugo, dominoſque timere
Diſcite. ſi pietas vos Principis efferat, ira
Mulceat immites, aut perdomet: oſcula ferro
Abiecti præbete, auro ſceptroque negata.
Rurſus at indomito lacerantur dente catenæ.
Tartari agunt iterum in te Tartara: victa rebullit
Improbitas: reſtinguetur ſed ſanguine rurſus.
Sic per ahena latex dum turget, detumet vndâ
Deſuper iniectâ. Te per diſcrimina Regnis
Præparat æternis Superûm Rex, præparat aſtris.
Per calcata tamen capita impia victor Olympo
Immittes, Caſimire, pium caput. Aſpice: rurſus
Eumenides, ciues, hoſtes, Dis, Hæreſis, Orcus
In te comportant humero ſudante ruinam.
Sanguinis effuſi latè reſonante procellâ,
Spargitur eluuio. regnis nudaris auitis:
Deficit ipſa fides populi, ſeruitque furori
Perfida Tænareo: donat diadema Colubro *Rex Suecorū.*
Strage coronato regum. regit Hæreſis arma.
Hæc tua libertas, infelix! pulchra parentum
Sic exempla refers? ſic regni feſſa remittis
Pondus in exitij fabrum, dorſumque Tyranni!
Ipſe ſibi nixus rerum ſub mole ruentum,
Curarum patiens, ſtabit Caſimirus; in aſtris,
Virginis & gremio didicit qui ponere Regna,
Et panno ſeruare iubar, diſtractus ad aulam;
Publicus imperij famulus quò ſceptra teneret,
Tu iuga, tu Colubri nexus ceruice rebelli,
Clade tuâ malè docta, feres; & dulce venenum,
Primis blanditum labris, in viſcera morſu
Defluet indomito, reuomendum ſanguine miſtum.
Tu ne cede malis, Rex inclyte: crimina vinces,

Atque Suecorum domitor populique rebellis ;
Odryſio noua bella feres , cui mille catenas
Anulus ille parat , digitum qui Numinis ambit
Nominis ambitione tui . ne terreat hoſtis
Viſ numeruſque . ſuæ qui pendet ab vbere Matris
Pupulus omnipotens , gemmâ donatus & auro ,
Regali ſed corde magis , pro munere donat
Regales animos, maioraque pectora curis .
Numinis in digito flagrantem lumine gemmam
Proh quantis cumulas , generoſa Polonia, donis .
Sarmaticos cerno ſcopulos lacrymare decoris

M. Poloniæ Cancellarius candelabra, & crucem è ſuccino; Aræ, & Sacerdotis veſtes gẽmis innumeris intertextas donat.

Electri lacrymis , lacrymis vt rideat Ædes ;
Textrinam ſudare operi ; iam figere telas ;
Picturis animare ; auro deducere molli
Stamina ,diuitibus gemmis baccata ; maniplos ,
Sacrificaſque ſtolas, galeatæ frontis amictus ,
Textilis & lini tunicas, taliſque fluentes ;
Dorſa ſuper pectuſque graui pendentia textu
Syrmata,beryllis criſpata,ſuperba pyropis .

Baſſa Anno 1529. Pontifice Clemente VII. argenteam aræ veſtem margaritis adornatam dono miſit. Turſ. l. 2. c. 29.

Tu quoque,Turca,licet ferro præcordia dures,
Ferreus ingenio, ſentis magnetis Amoris
Imperium; pateriſque trahi pro pectore gemmas,
Argentumque . Rapi ſineres ah pectus ! Ad aram,
Ipſe fugax, Lauretanam diſcrimine telas
Gemmarum intextas , pictas & pollice, mittis
Neſcei ſine fraude doli : nam Virgo vel hoſti
Extrahit illibata luem . Cur Virginis ara
Threijcio ſtrepit enſe, arcu, pictiſque pharetris;
Atque ſagittarum ſub faſce laborat ? an arma,
Proh ſcelus ! in Templum Pacis gens effera portat?
Et nos vltores non arma repellimus armis ?
Virginis ò Pietas , nimbis armata ſalutis

Ipſa

Ipſa vel in Mundi contagia ! Teſſera pacis
Hæc ſunt arma, ſinu quam Diua profundit in hoſtes.
Corcutus Thracum Prætor, dum pectora tabo
Sentit ab occulto marceſcere, ſperat, & audet
Te, Virgo, iactis ad bella laceſſere votis;
Et poſitis iaculis, cordis te vulnerat arcu;
Atque precum telis. Hæc, Vitæ, pugna Parentem
Vicit; & extinxit per viuida prælia Mortem.
Tela, arcus, pharetræ ſunt dona & ſigna triumphi;
Symbola ſunt Pacis. vincat ſic Turca: ſagittas
Hæc in bella acuat victor: capita impia ſubdat
Virginis obſequio. Sic vincet, & vlcera cordis
Lethiferum ſcelerum virus fundentia ſiſtet;
Qui rapiunt aliena, ferunt quid propria fures?
In Templo cumulare docet quis munera? Virgo,
Virgo docet, prædata Deum. Dum Sara rapinis
Picenos populatur agros, atque agmina ſecum
Depopulatorum circumfert; milite tangit
Dum ſata Nazareis vicina Penatibus, horret:
In tumulum aſcendit; longè veneratur; amico
Diſplodit tormenta ſono, legeſque nocendi
Vertit in obſequij ritus, & nubila ferri
In pluuiam exonerat donorum, aurique procellam.
Cætera quid memorē! Gemmarū cætera prodũt
Se fulgore. aurum vile eſt in Virginis Æde;
Et rubet argentum; dum ſe ſordere refuſas
Aſpicit inter opes, aurumque imitatur. Olympum
Paupertas quæ nudauit, nudauit & Orbem:
Omnia dum refugit, ſecum trahit omnia: traxit
Cum Superis Cælum: texit centone Tonantem,
Syrmateque Imperij. gemmis famulantur & auro
Et populi & Reges: at illi ſeruit & aurum;

Gem-

An. 1552. Corcutus ex occulto apoſtemate à B. V. Laur. ſanatus magnam argenti vim arcum, et pharetram cū ſagittis dono mittit. Tur. l. 3. c. 18.

Marcus Sara latronum dux omnia circum loca deuaſtās vbi longè Lauretum vidit feſta cūcti agminis diſploſione B. Virg. ſalutauit, & cum ipſe à Tēpli aditu prohiberetur miſit certum hominem cum muneribus. Tur. l. 5. c. 13.

Argentum velut aurū erubeſcit, vile ſe videns pretioſæ paupertatis in Domo Paupertat. omnia ſeruiūt dum omnia contemnit.

Gemmaque cum pelago, cum ſtellis omnibus æther,
Seruit & ipſe Deus, terræ Dominator & Axis.
Illius Auguſtale humeris portamus & alis.
 Aſt vbi Tecta Dei regalia ponimus? Ophir
An pretioſa ſuper faſtigia? gemmea forſan
Fundamenta Domo iacimus? num ſternimus aſtra?
Paupertatis opes, humana Superbia, diſce;
Diſce decus, quoue alta loco fundamina ponat.
Ite procul maculas imitantia marmora Solis
Lucullea; niues quæ fertis ſaxa perennes;
Ite columnarum moles, Scaurique theatra,
Subſtructique arcus, ardentis & æra Corynthi,
Et iuga chryſolithi, depictaque floribus arua.
Cella vepreta premet. Cæli ſic Regia terris
Radices aget æternas. ſunt teſſera vepres
Paupertatis. habet meritum tamen horrida regnum
Spina vireta ſuper, cui ficus, vitis, oliua,
Ceſſerat Imperium. Paupertas nuda: nec vllus
Veſtit honor ſpinam: teritur, non carpitur vngue.
Attamen aruorum cuſtos ſua regna tuetur;
Fitque armis ſecura ſuis, sê iudice vindex.
Non parit vna necatque dies; floriqne ſuperſtes
Ipſa ſuo, ſemper pompam deludit agrorum.
Sic ſtabit diuina Domus; Regnique Latini,
Italici cuſtos horti defendet honores,
Atque armis defenſa ſuis, inhonoraque nunquam,
Nuda ſituque horrens, theſauris exuet Orbem.
Haud aliter ſtabilita Dei præſentia quondam
Iſacidum cum gente fuit; folia aſpera dumis
Inſedit poſtquam flammato murice. Regna
I nunc, funda opibus, partiſque innitere gazis:
Erige te luxu, manſuras vepribus arces,

Re-

Quo in ſolo fundanda ſit Sac. Domus.

Satis conſtat ſub imis S. Cellæ parietibus proximi ruris ſeſe oppreſſam. Turſ. l. 1. c. 22.

Spina teſſera paupertatis, quia ſine faſtu.

Spina arborum regina, quia pauper ex Iud. 9. dixerunt omnia ligna ad Rhãnum veni & impera ſuper nos.

Spina ſymbolũ perennitatis [illegible] inducat S. D. in [illegible] ſtationem.

Super ſpinetum Moyſi Deus olim apparuit ſuãq; populo præſentiam promiſit, & tutelam. ex Exod. c. 4.

Regalemque Domum fundat Deus, ò nimis audax
Gens humana, Deo ſi non fabricante docetur
Perpetuare ſuas, iactis ſine molibus, Ædes,
Molitrice vnâ, & molimine Paupertate!
Nunc agite ò pennis, acies formoſa; propinquam
Militiæ quà ſpina viam diſcriminat, ite.
Vepribus auguſtam rigidis imponite Sedem.
Hæc Gabriel: Gemini fratres Torquatus & Vgo;
Virgineos patrio diuulſos colle Penates,
Lætitiâ timidi, lætique timore ſequuntur.
Quos fuga turbarat, ſtatio promiſſa perennis,
Aligeri cantus, Laris & viciniâ ſoluunt
Attonitos luctu, reuocantque ad gaudia mentes.
Nunc age, Diua, mei felix Cynoſura laboris,
Dum tecum me portus habet, iaciturque ſecundis
Anchora de prora ventis; priùs hoſpita roſtro
Littora quàm teneam, cantare celebrata tecum
Da Virgo, preſſamq; Stygem, Pacemque ſedentem
Fronte ſuper, quam depoſuit Diſcordia; poſtquam
Conſtitit Heſperijs diuina Domuncula campis.
Eſt via, Militiæ cui nomen: Collis vtrinque
Imminet arboribus, ſubtuſque maligna refuſis
Stagna iacent nebulis, quibus inclementia cæli
Corporibus pecorique nocet, caligo ſuperſtat.
Muſio reſtagnans nam dum parit amne paludes,
Emoriturque ſuis marcetque ſedentibus vndis,
Aura perit, torpetque ſimul; ſeptemque Trioni
Quà poſſet ſubiecta animas motare ſalubres,
Montibus obiectis, & ſiluis clauditur atris.
Nuſquam tuta ſalus, nec Regia tuta ſalutis;
Ni, malè fida animo, mortalia corpora diſcant
Multa pati, ſemperque mori. Sic atria lucis

Angelorũ inter cantus ad ſtatum denique locum S. Cella peruenit; ſed adhuc ſtabat pendula in aëre ſupra ſepem in via militari. Fratres, a quorum colle diſceſſerat S. Domus, lætantur eam ſaltem cõſiſtere relicti colis in vicinia.

Deus máternam Domum ad iactũ fermè ſagittæ à colle duorum fratrum in proximũ collẽ verſus mare ſubmouit, atq; in ipſa via militari locauit An. Chr. 1295 ex Turſ. l. 1. c. 8.

Lauretum ſitum in tumulo vergente ad meridiem orientemque ſolem, &c. Turſ. l. 2. c. 25

Cum ſocijs Bernardus amans æterna, nigranti
Valle ſedet, claraſque facit virtutibus vmbras.
Vt ſaperet, coleretque animos ſapientia, ſiluas
Nonne Plato incoluit, loca fœta nocentibus auris?
Montibus in medijs luciſque Academia lucis,
Numinis, & Sophiæ fundabitur. inde voluptas,
Corporis illicium, procul exulat: aura ſalutis,
Aura Dei ſatis eſt, noceat licet ætheris aura.
  Ergo quà vergit Recineti ſemita ad vrbem,
Quà propiùs Mare deſpectat; poſtquam aëra motu
Conſumpſere breui Superi, tellure diremptí
Ex aruo fratrum exiguâ, quantumque ſagitta
Peruolat, ex arcu pernicibus incita pennis,
Deuenere. Tubis ſubitò clangentibus æther
Intonuit, trepidantque lyræ, fidibuſque canoris
Subſiliunt, lituoſque vocant, lituique laceſſunt
Barbita: reſpondent; ſtimulant ſed barbita cantū.
Hic ruit, & pleno ſubſultat murmure: miſcent
Aligeri, Stellæque melos, quæ Virginis Ædi
Præibant; Phœboque chorum cantuſque regente,
Carmina non linguâ, radio ſed amante vibrabant.
  Interea viſum in partes diſcedere cælum,
Et ruere innumeros Aulæ ſtellantis ephebos,
Omnes textilibus deuinctos crura cothurnis,
Veſtibus argento niueis. radicibus imis
Euulſam ſuperis agris, & fronde virentem
Quilibet æternâ procero ſtipite laurum
Fert humeris, lætoque inito per mutua plauſu
Inſerit inculto cæleſtia germina Colli,
Vnde decus, nomenque trahat. Nam Solis in hortis
(Nec mendax hoc fama docet) tentamina terris
Tænarei quoties malè fida eludimus hoſtis,

Lau-

Academiam Plato S. Bern. cœnobium ſub noxio cęlo fundarunt. nam ſi quid patiũtur corpora, animi conualeſcunt

Angelorum cantus, Stellarum lætitia.

Angeli minores miſſi à Michaele ad ſuccidendas è cæli ſilua lauros æternas, cum his læti redeunt.

Laurum inſitionem in monte faciunt.

Vnde in cælo laurorum ſilua naſcatur.

Ad ſingulas relatas in terra de tentationibus victorias ſingulæ in cælo lauri naſcuntur.

Harū in cælo ramos dū Superi carpunt, nos gaudia titillant in terra, &c.

Laurus olet, ſubitòque viret: ſi cedimus, aret.
Sæpiùs hæc Superi per odora cubilia ciues
Dum volitant, miſeræque bibunt obliuia vitæ,
Et legere in folijs, noſtras & cernere palmas
Lumine deſcriptas gaudent, & carpere palmis.
Dum carpunt, præter ſolitum nos intima cordis
Gaudia peruadunt terris, tactuque beato
Nobis creſcit amor; Stygios vis creſcit in hoſtes,
Libamuſque Deum, venturaque dona triumphi.
At dum Victores reduceſque ſuperna tenemus
Arua per abſumptam vitali funere mortem;
Arboris optatæ notam properamus ad vmbram,
Æternoſque dies, & Amoris fallimus æſtus:
Cingimus amplexu lauros; capitique coronam
Detractam noſtro patulis imponere ramis,
Et iuuat obtentas incidere cortice palmas.
Hoc etiam placet in viridi deſcribere libro
Munera, ſecretis in nos quæ fontibus vndant,
In terris ignota, oculos hebetantibus vmbris,
Sed cælo manifeſta, dies vbi clara ſerenat
Ortas corporibus nebulas, & nubila mentis.
At pueri, quos in Cælum rationis egentes
Mors primis duxit vitæ vicina diebus,
Sanguine Victores Chriſti, certamine nullo,
Nullis quando ſuis ſeuerunt arbuta factis,
Inſitione Crucis, medijs quæ floret in hortis,
Ipſi etiam vernare ſuam per prata minori
Fronde vident laurum, & baccis ſoboleſcere paruis.
Geſta ſed exiguo ſignant in cortice nulla.
Cœtibus Aligerum mixti venere puelli,
Veſte ſed Aligerûm inſignes, pennâque volucri.
Quiſque ſuos dulci conuectat pondere ramos.

Pueri poſt baptiſmũ vita functi minores in cælo lauros reponunt nudo trunco, & nullis geſtis inciſo. Adſunt hi Angelorum in veſte cum ramis.

Tu

Pueri ſunt, quos l. VII. narrauimus claſſem ad recuperandam Paleſtinā adornaſſe, pelagoque fuiſſe diſperſos. Adiuncti etiam cum lauris inſerendis Innocentes ab Herode interfecti.

Tu quoque in æquoreis pubes tumulata procellis
Vere venis ornata comas: ſterilique Profundo
Nata viret laurus, quæ dextrâ & vertice frondet.
Nam malè geſta manu; ſed ſpe, ſed mente, ſed ipſo
Hæc benè geſta animo, Cælo te bella coronant;
Partheniosque Lares quæſitos enſe, cruore
Ipſa tuo reperis, pelagoque immerſa capeſſis.
At pueri, quos Herodis demeſſuit enſis,
Maiores tollunt rubicundo vertice lauros.
Scilicet Infantum creuere arbuſta cruore,
Grandiaque incidunt pro geſtis vulnera trunco.
Æquiualet meritis cruor omnibus. Ergo Parentis
Pars velat niueæ ramis maioribus Ædes,
Pendet adhuc dum Cella humeris ſuſpenſa: tenellas
Pars ſubicit frondes, & ſpargitur area baccis.

Horum cantus.

Et ſimul auditi cantus. Felicia lauri
Semina, quæ terræ mandámus, creſcite: rura
Pro pueris pueri ſerimus cæleſtia. Tempus,
Tempus erit, noua cum facies, inopinaque rerum
Adueniet, clangente tubâ, Mundoque ſepulto
Inter aperta Ducum, Populi, Regumque ſepulchra,
Cum primâ pueri culpâ tunc funere rapti

Sata à beatis pueris laurina ſilua, e nō te poſt iudiciū erumpente perfruentur defuncti cum prima originis labe pueli.

Hos colles, hæc rura colent; Cellamque Tonantis
Pro cælo ſortiti, alacres hoc monte ſedebunt:
Et quando caruere ſuis, iuga ſqualida noſtris
Fecundare iuuat lauris, Superûmque vireta
Huc transferre, futura olim ſolatia pubis.
Interea dum Laureto dat fœmina nomen
Lauretana, ſolo lentis adoleſcite fibris,
Suppoſitæque Domo Solis, ne quærite lucem;
Vltima vos donec Mundi vocet hora cadentis.
His modò pro lauro victoria pullulet agris,

Con-

Conueniantque ſuis victricia nomina rebus.
Agmina vincentur ſcelerum, Diſcordia, bellum,
Effrenes animi motus, Mors horrida, morbi. (num;
Quiſquis adit ſacra Tecta, premat pede Victor Auer-
Se premat, ardoreſque ſuos, ſua crimina; ramos
Victor & innumeros lauris cæleſtibus addat.
Transferimus cæli ſi in terras arbuta, tellus
Ramorum ſobole illuſtri cumulabit Olympum.
Hæc pueri, manibuſque Lares contingere gaudent.

Ante iudiciũ extremũ Lauretano è monte pro lauris pullulabit ſcelerũ victoria, quæ ibi Peregrini pio dolore iugulabũt.

Ante alios labro muros lactente Polytes,
Filius Herodis, ſed patre iubente peremptus,
Allambit, lacrymiſque rigat. Proh! cæca tyrannis
Inuiſi Genitoris, ait! quid ſanguine Regnum,
Et nece moliris noſtrâ? regnamus auito
Numinis hoc ſolio: Domus hæc mihi Regia, venis
Quæ rutilat noſtris, dum primum ſternimus oſtrum.
At tu quære Stygis ſolium ferale Tyranni,
Et chlamydem æterno flammarum murice pinge:
Cocyti funda tua regna paludibus: hærent?
Hærent, pœnarum vertigine fixa perenni.
At pueri ſtabunt, rabido quos deijcis enſe.
Fundatur nũquam meliùs quam ſanguine Regnum.

Ab Herode inter Innocentes pueros filium occiſum aſſerunt Serrarius c. 21. Baron. An. 1. Philol. de Temp.

Herodis filius S. Cellam amplexus Patris crudelitatem, & ambitionẽ accuſat.

I Cunas inuade Dei; perfunde cruore:
Tecta manent. læui tu ſanguine lapſus, ad ignes
Volueris, & titubata ſolo veſtigia preſſo
Dum retinere nequis, cum Regno concidis omni.
Infelix, vincire Deum qua mente putaſti?
Illius ipſa Domus ſi fugit? pellere Numen;
Æternum ſi ſaxa manent; vis vlla nec vnquam
Eruet ô Ambitio, tibi ſæuis, ſæua puellis,
Atque tuâ te mole ruis; Superiſque, reluctans,
Atque Deo ſeruis. Simili quoque voce Tyrannum

Can-

Candida deuouit pubes, imitata Polytem.

SS. viri Piceni ciues, & patroni è cælo veniunt.

S. Sperandia.

S. Philomena V. cuius corpus incorruptum poſt aliquot luſtra repertum eſt, & recenti flore conſperſũ. Ex P. Cancell. in v.

Piceni quondam ciues, nunc Ætheris, aris
Qui numerum auxiſtis Diuorum; ductile Cælum
Vos quoque honoraſtis. Sacrum tibi laurea crinem,
Sperandia, tuæ ſpes viuida gentis, inumbrat.
Tempora vere tibi rident, Philomena, perenni,
Cum vireat cinis ipſe tuus. ſic Flora per agros
Pæſtanis redimenta roſis fert veris honores,
Et varias nectit, Zephyro auxiliante, corollas.
Succedunt Fidei bellantis Amazones, armis
Impenetrabilibus munitæ. Tempora lauro
Viſſia, Palatias, Sophia, & Laurentia nubunt.
Illuminatæ, trahis Solis pro ſyrmate lumen,
Perfruiturque trahi Sol textilis: aurea lucis
Sub pede purpureo via ſternitur. Emicat oſtro

Hyppolitus, & Iuſtinus Septemp. Mar.

Sanguinis Hippolytus: ſolari perſecat auras
Vectus equo, flagrumque tenet viridantis oliuæ.
Multiplici armatam foliorum cuſpide palmam
Iuſtitiæ defenſor habet Iuſtinus, & hoſti
Exhibet armifero vallatum vulnere pectus.
Aëris arua, Iacobe, feris rutilante quadrigâ,
Cui ſunt aſtra rotæ. Septempeda montibus agmen

In 7. Septempedæ montes omnes confluunt S. Domus triumphum ſpectaturi.

Excipit in ſeptem cæleſte; atque æmula Romæ
Diuûm centurias ſepteno colle vagantes
Colligit amplexu. Iuga floribus ardua veſtit,
Quæ Superûm inceſſu, tremulo nutantia motu,
Florum facundis plauſere loquentia labris.
Circumfuſa Seuerinus dux agmina luſtrat.
Nominis vrbe ſui cordiſque, beata ſedere
Caſtra videns, pigros cineres atque oſſa colorat
Lumine lætitiæ, patrio compoſta ſepulchro.
Huic comes incedis, diluta nube doloris,

Victo-

Victorine. manu laurus tibi florida vernat;
Nunc decus, at quondam pendentia pulpita mortis,
Pyramis & pyra, vitales cui ſubdidit ignes
Et dolor, & pietas flammis rubicunda pudoris.
Illa tibi crux arbor erat cruciaria, longâ
Quæ nece conſumens te caſto animabat amore.
Hinc Dauidiades rutilo non crine pependit;
Arctè ſuſpenſis ſed in alto ſtipite palmis,
Victorine refers palmam: & quæ vicerat olim,
E viridi Venerem vincis ſublimior arce.
Scilicet, vt cuneus, manus vtraque fixa, tenaci
Inſeritur nodo, quà ſe diuaricat arbor.
Floruit illa tuis membris, ſuſpiria captans
Pro Zephyris, lacrymaſq; bibens, vegetataque curis,
Læta dolore tuo, luctus vernabat ad vmbram,
Non ſua poma ferens, & pomo fertilis vno.
Gaudebat ſub mole gemens; philomela gemebas
Harmonicis dum tu lacrymis. erat illa corona,
Supplicium, ſoliumque tibi, ſpoliumque ſubactæ
Carnis in obſequium mentis: claua Herculis arbor,
Sed cæleſtis, erat: Metanœæ grande trophæum,
Edomitæque iugum Veneris. dolor arbore amœnâ
Delicias Cypriæ ceù fuſte fugabat; & vmbris
Inde ſuis in te radios ſpargebat Olympi.
Nunc aliud parat illa tibi pulcherrima ſertum,
Et Lauretanam laurus colit innuba Diuam.

S. Victorinus, S. Seuerini frater, qui vt mali deſiderij pœnas lueret, manus in cunei modum vnitas in arborem magna vi diuaricatā mox iterum cohærentem, inſeruit, et ex ea per triennium cum ingenti dolore pependit. ex Rod.

Cælicolæ approperant certatim, aſſueta triūphis
Caſtra, quibus fumant Piceni altaria nimbo
Thuris odorato. Flammante per æthera curru,
Marcelline, venis flammarum victor. anhelant
Quadrupedes acti flammis: frena ignea mandunt:
Eliciunt pedis attritu de nubibus ignes

S. Marcell. Anconam ab incendio liberauit. ex Mart.

 Ful-

Fulminaque, innocuos imitantia fulgure riſus.
Dum pulſu cita flamma ſalit, ſe curuat in arcus
Læta triumphales. nunc torquet in iride torques;
Aſtra, roſas cæli, nunc ſeminat. igne curuli
Non ſecus Elias curſum glomerabat in auras,

S. Philippus Firmi Epiſc. & Mart.

S. Conſtantius puſillus olim corpore, qui Anconæ Templi manſionarius in aqua lych.nos abſque oleo ſuccendit. ex Surio in v.

S. Elpidius Aſcal. Ep. à quo Elpidij oppidum nomen habet.

Igniferis deuectus equis. Volat axe Philippus,
Sanguineo per membra rubet cui purpura ſucco.
Cyclade ſplendorum cinctus Conſtantius ardet,
Membrorum quondam qui mole minutulus, Orbem
Prodigijs implet: iuga maieſtate fatigat.
E medijs hic iuſſit aquis emergere flammas;
Reddere luce dies; oleumque negante Mineruâ,
Concipere ardorem pigros è frigore lychnos.
Confeſſum ſubit Elpidius: ſequiturque cruore
Diues Alexander gemmato. Emygdius enſem
Implicat & palmam dextrâ, qua cautibus vndas
Eduxit; ſiccaſque fibras atque ænea terræ
Viſcera, camporum molliuit in vbera; vitam
Qua tulit in manibus vel in ipſo funere viuax.
Scilicet ille ſui plauſor, feretrumque triumphi,

Sectum caput manu tulit in montem, qui vltro diſſiliēs venienti locū dedit. ex v.

A ceruice caput ſectum geſtauit, & oſtro
Arua triumphali ſignans, miracula ſeuit,
Perfuditque rubore Necem, quæ victa receſſit.
Mortuus hic Mortem vicit: ſine nomine truncus
Non erat, enſe licet truncatus: dextra coronam
Formabat capiti, quod factis flora vehebat.
Æthere maius erat caput Omnipotentia trunco;
Ipſe erat Omnipotens trunci caput: ille regebat
Sanguine rorantes artus, greſſuſque mouebat
Calcatæ ſuper ora necis. Mors victa trophæum
E trunco pallens cum telo, & falce pependit.
Dum redit ad montes, vbi vixerat, antra requirens

Cor-

Corporis in tumulum;dum ſe,ſibi ſarcina, portat;
Dum ſibi ſandapila, & curator funeris, effert
Seque infert tumulo viuentem, lucis at orbum
Vitalis; ſenſere ſuas gradientis ad vmbras
Vicini montis mirata cacumina pondus,
Prodigijque laborarunt ſub mole. cauernæ
Diſſiluere, dedere locum, tremuloque ſuſurro
Excepere virum ſua funera componentem.

Progreditur, rutiliſq;potens ſe oſtentat in armis,
Nititur & gladio, quaſſatque Georgius haſtam.
Qui pede calcauit prunas cultroſque rotaſque,
Hunc volat in montem. pedibus calet excita tellus,
Succutiturque. leues dextrâ, læuâque per herbas
Cælicolæ ſolia alta locant, vicinaque adorant
Limina,quæ Superûm ſuſpenderat aëre pubes.

Interea Diuina Parens pulcherrima vultu
Vt vidit caſtris vndare cacumina notis
Proxima, deſcendit peregrinâ è nube, Penates
Ponè ſuos qua vecta, imbres fundebat honorum.
Agminibus Superûm, ceu Luna minoribus aſtris
Auguſtam inſeruit frontem; viridique theatro,
Aligerûm & Diuûm ſedit circumdata cœtu.
Aſſurgit formoſa cohors, pedibuſque Parentis
Virgineæ acclinat diademata, ſceptraque vertit.
Quam ſic compellat Regina. Decora Senatus
Lumina ſiderei, vos noſtræ accedere pompæ
Gratulor, & ductis cæli de littore velis
Sidere in Vrbe mea, mecum ſpectare triumphos
Et portenta Domus, Numen qua corporis artus
Induit, & thalamis iuncta eſt humana beatis,
Impar heu quantùm ſponſo, Natura Tonanti.
Accipite hæc animis, Piceni gloria, Diui.

Alij Piceni patroni confluunt ad Septempeda mõtes.

S. Georgius mar. vnde inditum nomen eſt oppido S. Georgij. prunas nudo pede calcauit, & rotas cultris armatas. ex Surio in v.

B. Virgo, poſtremâ patriæ Cellæ ſtationem ſpectatura, Septempedanis in montibus Sanctorum ſe globis immiſcet.

Laureti iuga celſa ſuper poſtquam alta ſedebit
Regia,quam colui, mecumque habitauit Olympus,
Veſtris iuncta globis, telluris & incola rurſus
Antiquam Regina Domum introgreſſa ſubibo:
Amplexu niueas aras muroſque fouebo.
Donorum magnum per paruula mœnia Gangem
Numinis è gremio ducam. ſub pondere noſtro
Semper mole ſuâ ſtabit Domus. Illa Tonantis
Me ſolio ſtatuit vicinam, eademque Parentem
Regis adorauit Superûm, cæloque locauit.
Reddo vices. erecta fui, nunc erigo; & illâ
Fundo Lares dextrâ, Nati qua munere cælum
Suſtineo, totumque fero, ne corruat, Orbem.
Vos grandes habitate animæ, dominantis Amoris
Limina, Picenis quæ figo perennia campis.
Dum luſtrare iuuat terras, huc vertite greſſus.
Hoc erit hoſpitium Superûm, conuexaque rurſus
Hinc petite aſtrorum, Vitæque reuiſite ſedes.
Quà celeratis iter, veſtroque in lumine callis
Fulgura contritus iactat, menſura viarum
Non lapis emineat; patrij ſed vertice montis
Ingens, auguſtum ponat Septempeda Templum,
Veſtraque dent Templo cæleſtia Lumina nomen.
Sæpiùs in tacita vigilantia ſidera nocte
Illuſtrem ſignare viam, indefeſſa laboris,
Attoniti aſpiciant ciues; vallantia Cunas
Nunc radijs noſtras, & nunc obeuntia gyro
Feſta coronali, quæ deſtino, Templa; redire;
Rurſus abire, rapique iterum vertigine; motu
Nunc iterum placido reuoluta, reciproca flammis,
Collibus his iactare iubar; gaudere decoris
Luſibus; amoliri vmbras è nocte fugaces,

B. Virgo ſe ſubinde ſuas ad Aedes cum SS. Piceni patronis deuolaturam promittit, & huius è cælo illuſtris itineris in monumentũ ſibi Templum à Luminibus dictum Septempedæ poſiturã. Ad hoc Templum ſæpè viſæ ſtellæ è Laur. Domo noctu tramite lucis excurrere. ex P. Canc.

Mo-

Moliriqüe diem ; tactu libare ſereno
Laureti muros: mox Templum Luminis inde
Luminibus velare ſuis, plauſuſque ciere.
Hæc Regina. Seuerinus ſuperaddidit. Vrbis
Hoſpita Virgo meæ, quid pro mercede locati
Hoſpitij pendes? Te pende clientibus vnam,
Tutelamque tuam; tuà viſcera pande, tuum cor.
Vrbs erit hoc Vrbis, Piceni Regia Regni.
Annuit, & rutilans oculis: Hoc pignus amoris,
Inquit, habe. Sanctum Diuûm genus aſtra ſequutū
Accipiet terris; mihi nutriet; addet Olympo,
Prole mea gaudens Picenum. Diſce tuorum
Nomina. Nicoleos mea per veſtigia greſſus
Dum mouet, irriguum trahit in præcordia Numen,
Hoc vno diues, ſed Paupertatis auarus.
Huius opes, ſitis ardores, ieiunia, ſetas,
Quaſque odit luxus, pœnas populabitur omnes.
Non ſomno ponet noctem, non otia membris.
Subſtabunt capiti lapides: erit aſpera rupes
Culcita, ceruical, conopeumque iacentis.
Cæde ſua exultans, imitatus ferrea Thracum
Pectora, quà ſqualet tellus obnoxia ventis;
Deſtituet corpus, torpens horrore pruinæ:
Mox duro raptum ſomno iactabit acerbis
Vulneribus vigilique fame. Proh qualia cernet
Auſterus portenta? trahet dum languida morbo
Corpora, pæonijs pectus tractabile iuſſis
Vt gerat, apponi dabit alite fercula, pennis
Exutâ, fixâ verubus, toſtâque fauillis.
Lumina ſed poſtquam dape pauerit, ore repellet
Blandimenta voluptatis, fomentaque vitæ.
Siccine, clamabit, venabitur eſca ſalutem

B. V. ſpondet ſe Piceni patronam, multoſque ex hac prouincia Sāctorum faſtis addendos. D. Nicolaus Tolent. vir eximia abſtinentiæ, & in ſe ipſum odij.

Aſſatam perdicem medici iuſſu appoſitā ægrotanti, ne carniū violet abſtinentiam, cruce ſignat, & pennis rurſus indutam viuere iubet, & fugere. E ſpec. Exempl.

Corporis inuiſi, quod me terit vſque premendo ?
Horrida delicijs fabricabo ergaſtula menti ?
Hoſtis alam vires, vt bella miniſtret amando ?
O noua iucundo ſub nomine forma nocendi ?
Duriùs vt viuam , quid viuere molliùs optem ?
Vt ſoluam hanc animã, & curarum vincula, pondus
Addere regificis epulis ? Auis aëra pennis
Peruolet alta ſuis, ego ſidera . demere pennas
Nil iuuat alitibus, quò tollar in aſtra volatu .
Paruimus : ſatis eſt : auis hinc diſcede : iubenti
Parendum tibi nunc . Crux imperat, vnde volucres
Toſtus Amor flammis in cælum ſuſtulit alas.
Ergo redi, fugitiua rogo, ſuper arbuta : plumas
Exere pro prunis : cæleſtibus hoſtia flammis
Pro te ſufficior ieiunus, & eſca dolorum,
Atque epulum regale Dei. Sic fatus, aduſtam
Signabit volucrem feralis imagine ligni .
Arbore ceù viſa delabitur ales ad arua ,
Et viride hoſpitium celeri ſubit incita pennâ ,
Sic Crucis aſpectu, fuerat quæ torrida diſco,
Et traiecta veru, pluiniſque exuta, reſumet
Remigium alarum : nido ceù miſſa tepenti ,
Se mirata, Iouis volitans auis æquor arabit.

D. Nicolaus ſæpè fruitur aſpectu Virginis, & cantibus angelorum.

Nicoleos noſtri conuiuia ſplendida vultus
Conuiua eſuriet Superûm . Frugalis egeſtas
Præparat hæc . fœdæ telluris nauſea condit
Lacte meo lautas, & Nati ſanguine menſas .
Libabit quoties auidus mea lumina ? ſenſus
Proh quantâ capiam dulcedine ? pectora quantis
Exaturabo cupidinibus ; comes addita Nato
Illius intrabo cum limina , picta ſereno
Lumine ; Cælicolûm cum plectra loquentur amores

Illius

Illius, atque mei? Dum Mors, germana ſoporis,
Exeret arma,adero; vitæ aurea fulgura malis
Belligerans vibrabo: bibet moriturus ab ore
Ille meo vitam; protendet brachia noſtros
Lætus in amplexus. illis hinc indita vita
Vel poſt fata. humeris quamuis diuulſa laceſſent
Perpetuâ mortem luctâ. tumidaſque cruore
Elident fauces, & guttura ſuffocabunt.
Nam data libertas quoties erit Ætheris iræ,
Horrida quò moueat caſurum in prælia Mundum;
Brachia ſigna dabunt: turgebunt ſanguine venæ:
Rurſus inardeſcent; in venas oſſaque curret,
Et ſubrepet in arcanas noua vita medullas:
Tendentur nerui; rurſus caro veſtiet oſſa;
Viuent non proprio vitam debentia cordi,
Corde animata meo. deſcribent ſanguine bella,
Turcarumque minas; multâque rubentia cæde,
Sudabunt veſtrâ, populi, formidine. Mortis
Nuntia ſuſpenſæ, ſic quondam, fixa ſuperbis
Parietibus, manus apparens, tua pocula tabo,
Peſte dapes, luctu menſas, horrore penates,
Te quoque, Baltaſſar, terrore inſperſit,& vmbrâ,
Sanguine mox, ſubitoque cadentis puluere Regni.
At vos, dum luctus bellorumque omina fertis,
Picenum ſuſtentatis, triſteſque timores
Pellitis inde procul,fortiſſima brachia: pacem
Poſt fata bella, viamque ſimul monſtratis ad aſtra.
Seruitium, munduſque meus ſunt aſtra, triumphi
Illa ſed in pompam tibi commodo. Lumine multo
Æthera ſtella ſecans, tractu pulcherrima longo,
Ædibus è patrijs cognominis vrbis ad oras
Diriget officioſa viam; radijſque diſerta,

Præſertim in morte. ex vit. Brachia D. Nicolai viuo è venis cruore licet arida exudãt, quoties aliqua impẽdet Chriſtianis calamitas. Hiſt.

Apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis in ſuperficie parietis. Dan. 6.

E patria D. Nicolai viſa ſtella Tolentinum excurrere. Riſad. in vit.

Te ſobolem æternæ lucis, Soliſque ſequacem
Aſſeret, & noſtro figendam in vertice gemmam.
Tu quoque figeris maris vnio, Margarita,
Intemerata mei. pretium tibi præbet egeſtas,
Et fuga gemmarum, quas marmoris educat vnda.
Nobilitat te ignobilitas; inarataque flagris,
Membra catenatis, taboque pereſa, cruore
Marcida corrupto, perfoſſaque vulnere multo,
Hæc addent tibi, Diua, decus. Cruce fœda Venuſtas
Poſtquã hominum, Superûmq; fuit, nõ luce colorum
Pingit Amor vultus, ſed ſanguine: ſordibus ornat;
Et pictura placet, ſi fumida pallet ad vmbras,
Quas dolor effundit; ſi delitet, extat; & ipſo
Iudice digna Deo, Diuorum in luce locatur.

B. Margarita Septemped. odio ſui nobilior, quàm genere ſe vlceribus deformauit. ex Can. in vit.

Poſt Chr. cruci affixum hæc deformitas Sanctorũ venuſtas eſt.

Arte meum trahet hac cælo pulcherrima Natum
Margaris. Errantes per pinguia prata capellas
Dum virgâ reget illa, animo ſuſpenſa beatis
Aligerûm campis, melioraque pabula carpens;
Pauperis ore peregrini, & centone videndum
Se dabit ipſe Deus, mendiculus, omnia portans
Æquoris, & terræ, cælique æraria dextrâ,
Quam ſupplex tendit, pleno cui copia cornu
Eſt læuæ pondus nudæ. miſerere precantis,
Paſtor ait: me dura viæ faſtidia cogunt
Relliquias Cereris, ſemeſaque fruſta rogare.
Sic tua fecundet præſentia Numinis arua:
Sic te paſtor alat cæleſtis, & amne ſereno
Alluat irrigui ſplendoris, & vbere lactet,
Quo Pietas ſtillata fluit. Donaria cordis
Illico larga oculis dabit illa, manumque Tonantis
Implebit gemmis lacrymarum; & diues amore,
Parca miniſtrabit Cereris fragmenta. Sed hoſpes

Margarita oues paſcenti mendicus apparuit Deus. ex e.

Diui-

Diuini laxâ lateris compage, reuoluet
Illius in gremium ſua dona; canalibus æſtus
Et potare cicatricum, cælumque vorare
Corde dabit. panis mica vnica, & vnica lymphæ
Guttula diuinis manibus fit Erythra bonorum,
Fit mollitus ager ſubitò flauentis ariſtæ,
Et grauida Autumno fit vinea. dextera Nati
Innocuo cælum lucrantum fœnore menſa eſt.
Quidquid deponis, tumet, & ceu Nilus inundat;
Hac ſtimulata manu peregrini Numinis, Ædes
Sæpiùs inuiſet noſtras peregrina; pedeſque,
Qui noſtrum preſſere ſolum, Mors arida morſu
Non teret, in cineres corrodere docta vel vrbes;
Maior Alexandris Pudor eſt, & fortior, Orbem
Qui gladio ſecat, & vincit, dum diuidit. ictus
Eſt reuocare animum curis, aut vellere; cura,
Pacis alumna, animis vt inhæreat vna ſalutis;
Hæc celerare fugam, & Mundi præcidere faſtus
Coget Alexandram; curſuſque iterare volucres
In mea Tecta. Diem quoties Sol efferet vndis
Heſperijs, noſtro pendebit ſedula vultu;
Donec virgineæ dux atque antiſtita pubis
Clauſa loco, noſtris, non clauſa, morabitur aris;
Hauri vitales auras, & conſcia cælo
Lumina tolle; tibi iam noſtra Cubilia lucem;
Fecundamque Deo mentem, Franciſca, miniſtrant.
Ergo meam ſortire Domum, & ſpe læta futuri
Pone rudimentum Virtutis, vbi hoſpita Virtus
Pulſa olim terris habitauit, ſceptraque auita
Rurſus inaurauit diuino ſanguine. Pennas
Iam Superi expediunt, vt te per aprica ferentes
Æquora lucis, onus dorſo flammante locatum,

Marg., quia Lauretũ frequenter itabat, pedum pellis, calceamentorum inſtar, incorrupta ſeruatur. ex v.

Caſtitas diuidens mundũ. S. Epiph.

In oppido Mõtalbodo B. Alexandra V. vitam ſanctiſſimè egit ad annũ 90. Lauretanam Virg. inuiſens In vit.

Ædi-

In S. Laur. Sacellum frequenter ab Angelis portabatur. ex v.

Ædibus in noſtris deponant: altiùs alis
Te noſter vectabit amor. Lac vbere ſuges
Pupa meo: lactente labro mea nomina promes.
Literulas formare manu, ſerere ore docebo
Verba puellari, ſcripſi quæ ſanguine Verbum,
Quæque characteres docui Cruce ducere vitæ,
Atque cruore loqui, pœnarum, è matre magiſtra.

Hæc à Virg. docta eſt. ex vit.

Varios inter labores vitam duxit.

Sanctorum vita ærumnis & puncturis intexitur.

Pingere acu telas, operoſa puellula, diſces
Arte meâ,dextrâque mea; deuoluere penſa,
Exercere colum, fuſum torquere, ſupinis
Et leuiter digitis deducere fila. laboris
Ipſa tui ſolamen ero: tibi ſtamina vitæ
Ipſa tibi molli nebo Pietatis in auro:
Curatum, ſed carpet acus, ſubigetque, trahetque
Aurea fila. ſolent virtutum inducere gemmas,
Et telis hæc tela decus, dum vulnera textu
Infligunt, vitamque ferunt. tibi pollice vita
Texetur noſtro, mollita laboribus, ore
Sed pretioſa meo: Cæli bibet inde colores.
Me coram, Franciſca, dies patrona dolentum,
Oratrixque diſerta oculis, agitabis; & iram
Importuna Dei vinces, dum verba locabis

Pro fœminæ filio informi letho iam dãnato Laur. Virg. ſupplicat, & abreptum à nece matri redonat. In v.

Depoſitis cauſis miſerorum. Fœmina prolem
Damnatam informi letho, pronamque ſub ictu
Carnificis mediâ rapiet de cæde; fatigas
Dum longè precibus mea Limina, Roſtra ſalutis.
Iam Solio victura meo gens proxima ſurge:
Concipe flagrantes animos, & viuida corda:
Pulchris virtutum gladijs accingere, & Ædes
Cinge meas. Decet Heroas, tegere Atria Verbi,
Et vallare armis. Pluſquam Salomon Deus hìc eſt.
Virginis ad voces feſto Septempeda plauſu

To-

Tota reſultauit: nox lumine picta diurno
Diſpulit errantes nebulas: ardoribus auræ
Flagrauere: tremit Superûm concentibus æther.
Aligeri in numerum conſpirant: carmina neruis
Confundunt reſonis: ſibi Dædalus, Icarus, errat
Lubrica vox, ſimilemque viam fugitiua recurrit,
Et redit, & rurſus ſe dulci errore requirit, *Angel. cantus & SS. plauſus.*
Argutis emiſſa vijs: aſſurgit in altum
Mox deprenſa: hæret ſuſpenſa; repullulat; vndat
Fracta, refracta, gemens, iucunda, vibrata, voluta,
Præcipiti reuocata fugâ, exultatque volatque
Non eadem, rurſuſque eadem, diſcrimine creſcens
Multiplici. Diui Aligeris ſua gaudia miſcent
Obuia: ſolicitant citharas, animantque loquaces,
Conciliantque ſonos iucundo fœdere voci.
Aſpectu Regina Domus, & carmine gaudet
Cælituum, qui mira Laris portenta beati,
Dum centum geminos humili de vertice Soles
Parturit, ingeminant. Vrbs Ætheris, aurea muris, *S. Domum ſalutant.*
Et plateis gemmata, vale. tibi limine candet
Vnio, & hic etiam gemmat Pudor, ardet, & albet;
Pandit iter, niueamque viam. tibi ſidere texto
Mœnia collucent: ſecto pro marmore fulget
Hic nitor aſtrorum Paupertas; ſectaque terris,
Imperium cæleſte parit: reſplendet in auro,
Quod fugit, & calcat. ponunt tibi lucida gemmæ
Fundamenta: Dei ſed dextera fortior Ædes
Has fundat; ſternetq; Domo capita inclyta Regum,
Non lapides. Ergo aula, vale ſtellantis Olympi.
Hæc Superi memorant, & multiſono modulatu,
Et plectro argutis fidibus ſonat aura volantum.

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS
LIBER XXVI.

ARGVMENTVM.

B. Virgo Fidem ad ſe vocat, eique pro Regia ſuam in terris Domum aſſignat. Reginas ac Reges ad hanc venturos prædicit, & Chriſtinam præſertim Sueciæ Reginam, cuius egregia facta Cælitum Regina commemorat.

B. Vir. per Angelum vocari iubet Fidem ad ſe.

ECce autē, Superûm dū plauſibus infremit æther;
Maieſtate manum flectens ad iuſſa, Virago
E circumfuſo pennati examine cœtus,
Euocat Aligerum, ſic voce loquuta. Parentem
Quære Fidem decorum, donum inuariabile mentis,
Fertile Virtutum, rutila è caligine natum,
Numinis è ſolio quæ filia luminis vndat.
Non ignarus ades, quos impleat illa Penates

Fidei Domus in cæli ſuburbijs, quia Fides in cælo nō eſt, vbi omnia clara.

Plena Deo, tenebriſque ſuis vbi fulgura iactet.
Dic age ſe noſtro ſtatuat pulcherrima circo,
Mutatura Domum, libabit pleniùs vnde
Luminis integros hauſtus, cæloque fruetur.
Aliger excepit nutu mandata volenti;

Lapides Domus, carbunculus, & amethyſtus: alter enim obſcuritate Fidem ſignat, charitatem alter ardore, qua Fides animatur.

Et ſectis quà ſe radijs via lucida pandit,
Cæca ſubit volucri Fidei penetralia curſu.
Eſt locus (Aligeri diuina ſuburbia dicunt)
Ætheris ante fores primoque in limine, gemmis
Ebrius obſcuris; ſed opaco lumine vincit
Gemma diem, ſolemque parit, dum concipit vmbras.
Multus ibi atrato ridet carbunculus ore,
Lucis & igneſcunt ſcintillæ, dulcis & horror:

Emi-

Emicat è nigro maieſtas candida vultu,
Et velut ex icto ſalit ignea lympha lapillo.
Cum tonitru qui rumpit humum, cælumq; requirit,
Editus è tenebris, olli ſe luce maritat,
Miſcet & ardores Amethyſtus. Scilicet ima
Viſcera telluris, rupes, obſtacula, montes
Perrumpit generoſa Fides & in Æthera fertur.
Vtraque gemma lares hinc fabricat; vtraque ſignat
Sublustres Fidei nebulas, & lumen Amoris.

Amethyſtus erumpit è tellure cum tonitru.

Ingens aula intus ſimulacris conſita multis.
Cælati Reges auro, Regumque parentes,
Quos Regno precioſa Fides ſpoliauit & auro.
Stat tumidus faſtu, ſed paupertatis; Anubis
Dum fruſtra latrat & terret; contemptor honorum
Atque honor Iſacidum Moſes; & dona Tyranni
Impauido paſſu, quo traijcit æquora, calcat.
Ex aula fugit Achabi, centone ſuperbus
Elias, Fideique ſedens modò Principis aulâ,
Explicat illuſas ardenti murice veſtes.

Regna pro Fide abdicantiũ ſimulacra in aula Fidei.
Moyſes Pharaonis aulam deſpiciens.
Elias Achabi.

Qualis ades Theodora? iacis virtute virili,
Mixta viris, tua ſceptra; feris ſed vulnere pulchro
Quotquot Cælituum ſimulacra, vel Iconas vmbris
Occuluere Erebi, vel deleuere cruore.
Nunc operoſa tuâ, viuaxque in imagine regnas.

Imperatrix Theodora, quę reſtituit ſacras imagines. ex vit.

Sæua, minax, crudelis ades, dum proteris aulam,
O Charitum formoſe lepor, Superûmque voluptas,
Non ſemel è Regno fugitiua, ſed aſpera ſemper
Et Regni lenocinijs & plauſibus Orbis,
Maior & imperijs, Auguſta, & celſior aſtris.

Imperatrix Auguſta in amorem ſui crudelis.

Edelrida iugata Cruci, Cruce nobilis, effert
Hoc frontem redimita iugo. Micat ore Beatrix
Proxima, ceu fulgur fugitiuâ luce coruſcum.

Edelrida Regina ſolita frontem cruce ſignare. ex v.
Beatrix per arma fratris germani fugit è Regno. ex vit.

Hæc

Hæc etenim Regni fallacia fulgura, fratris
Tela per & gladios, & militis agmina fugit.
Indignabundo Fortunam deſpicit ore,
Et Fortuna ſibi, ſtellata volumina cæli
Et ſtabiles agit ipſa rotas, ſortemque laborat
Ipſa ſuam Chunegunda. Manus vicina Batildis
Admouet, atque globum dum calce volubilis Orbis
Verberat, aſtra leuis vertigine verſat amoris,
Imponitque comis, quas pondere ſoluit inani,
Atque catenato Regnorum, libera, luxu.

Cæſara Perſarum Reg. maritum, & Ciues ad Chriſti fidẽ adducit. Perſarum Reges claudebãt in ceruicali diuitias.

Perfidos alato calcat pede Cæſara gazas,
Atque auro graue ceruical. Trahit agmina ſecum
Millia Perſarum, Fidei quæ ſubijcit armis
Coniuge cum victo, quem Chriſto ſubdit, & amne
Læta ſalutari, non Martis ſanguine rorat.
Fortior antiquo ſic Cæſara Cæſare pugnat,
Fortior & vincit, victiſque impertit Olympum.

Radegundis Galliæ Regnum liberat à Simonitis, et Gezzitis, mox fugit, ex v.

Tortilis Ambitio pedibus Radegundis, vt aſpis,
Muta licet, muto contorquet ſibila ab auro.
Interpuncta graues maculis ſtellantibus alas,
Nectit Auarities paribus ſua vincula nodis,
Pectus & obſcœnum caudâ collumque remulcet,
Mole ſub immensâ Reginæ ſaucia frontem.
Illa, oculos cælo figens, obliuia terræ
Potat, & in ſpiris graditur ſecura colubri.

Kinga Poloniæ Regina Virgo deſerit Regnum. Sol ſub Zodiaco dum fugit, aſtris coronatur.

Horrida bellorum caput intra nubila condit,
Et rutilat, nigrâ ceu Sol è nube, pudici
Kinga Boleslai coniux, & alumna Pudoris.
Ermemburga, fugax è Regni lucida monſtris,
Luce coronatur. Sic Scorpius, Vrſus, & Hydra,
Centaurusque, Caniſque, Leo te, Phœbe, coronant,
Dum ſub Zodiaco fugis aſtra, & cingeris aſtris.

Mar-

Margaris, Heduigis, Sexburga, Editha timenda
Hoſtibus è tumulo, belli velut arce tonantis,
Viuitis in veſtris ſimulacris. Sanguine Oſitha
Sanguine picta tuo, non Regni murice fulgens,
Attollis caput è roſea ceruice reſectum,
Terribiliſque neci graderis, quæ pectora Regum
Terrificat: portas tua viuida funera virgo,
Sanguine pulchra tuo, cunctis Reginaque Regnis
Altior, ipſa tibi vertex ſine vertice honorum,
Dum cælum, ferro demeſsâ fronte, ſuperſtas,
Subijcis & Fidei diadema, & ſubijcis enſi.

Editha tonat è ſepulchro. ex vit.

Oſitha Virgo, & Martyr ſuū caput pro fide reſectum per tria milliaria Apoſtolorum portat ad templum. ex v.

Magnanimas Helena ex oculis iacit ignea flāmas,
Non fax bellorum ſed amoris, transfuga Regni
Nobilis; vt, Solymæ peregrina, in Numinis oſtro
Regna colorares, Solymæ quod purpurat aruis.

Helena Adiarenorum Regina Regno relicto Hieroſolymam peregrinatur. ex vit.

Gloria Luſiadum, decorum flos, pulchra pudicæ
Stella venuſtatis, Ioanna in veſte renidet
Virgineâ. prope Sol, formam miratus honeſtam,
Inuidus exalbet, radios & ſyrma reducit,
Et coquit inuidiam tacito ſplendore, capillos
Pro ſerto ſidus contexto lumine veſtit
Virginis, exoſæ grauidum diadema labore.

Ioanna omnium pulcherrima Reginarum dum fugit è Regno, nouum ſidus apparet; dum moritur eclipſim Sol patitur. ex v.

Cætera quid memorē? Cum ſignis ſymbola Regū
Ante Domum Fidei pendent, qui Regna volentes
Deſeruere fugâ: profugos, velut vmbra, ſequutus
Aſt honor eſt; peperitque decus, fugêre quod vltro
Imperij decus. In rutilis emblemata filis
Atque auro, ſcribuntur acu. Ratis adnatat æquor
Nuda opibus, leuis ad curſum, quæ preſſa ruebat
Impoſitâ ſub merçe gemens, luctataque ventis.
Oceano inuehitur fluuius, quem ripa coronat
Arboribus: tamen ille fugit, nec ſerta relinquit.
Haud

Emblemata in Fidei muris appicta, corū ſignantia virtutem, qui omnia pro Fide deſeruere.

Nauis exonerata mercibus ne mergatur.

Fluuius, dum fugit, inũbratur arboribus, & coronatur.
Rete quod iacitur, vt impleatur.
Nubes, quæ, dũ fugit ignis effulget.
Silua ante Fidei Domum virore ſpem ſignans, quæ Fidei iungitur.

Haud ſecus illuſtris Regni quibus imminet vmbra,
Dum fugiunt diadema, gerunt. Effulget in auro
Cymbula piſcantum, quæ tramite ſpumat aquoſo,
Et labyrintheum iacit æquore limen Arachnes,
Vt pelago prædam referat, genus omne natantum.
Non aliter iacitur Regnum, quò retia Cælum
Impleat hoc iactu cum fœnore. Cernitur ignis
Fulmineus rutilare fugâ: fuga lumina fundit.
Sic rutilant, fugiunt Regni dum nubila, Reges.
Veſtibulũ ante ipſũ tenebris nemus horret amœnis;
Palmis atque oleis, lita Sole, intermicat vmbra,
Et Fidei iubar vmbroſum, ſemperque virentem
Spem ſignat, quæ, iuncta Fide, confundit honores,
Et florum primo promittit germine fructus.

Silua, vt amœniùs coronetur, ponit coronam, dum tondetur, eorũ ſymbolum, qui Regna ponũt, vt regnent in cælo feliciùs.
Fidei habitus.

Omnis at arboribus preſſa eſt, aut tonſa corona;
Vt ramis iterum quærant felicibus auras,
Pullulet atque recens meliori fronde corona,
Luxurietque minùs, magis vt pubeſcat. In aula
Symbolicis clarâ ſignis hac regnat, & ardet
Nube Fides rutilante ſedens; baccataque pendet
E collo torques, donum ſocialis Amoris,
Qui nexu vincit pretioſo pectus amantum.
Olli oculos nubunt ſacra flammea. clariùs inde
Æthera rimatur, clauſoque in lumine gaudet.
Impenetrabilibus pia pectora textilis hamis
Circumdat lorica: comæ ſub caſſidis auro
Compeſcunt freta fulgorum, ceu littora fluctus,
Pro clypeo manus attollit generoſa Volumen,

Fidei clypeus Euangeliorũ liber.

Scribit vbi leges & nuntiat igne diſertus
Legiſlator Amor, qui nudulus, exul ab aula,
Poſtquam pro ſolio rigidis inſedit ariſtis,
Diuitijs Reges denudat, Regibus aulas,

Vi Fidei teliſque potens. Flagrat ignea fornax
Huius & ante domum, qua fabricat arma. camini
Non fumo, ſed luce fluunt: ſunt aſtra, volantes
Aëre ſcintillæ. Sol ad fornacis hiatum
Excubat, & verſat gemmatâ forcipe lucem,
Extimulans ardoris opus; ſtelliſque coronas
Conflat, & in clypeos radiorum fulgura cudit.
Dum ſtellis diadema calet. Spes feruida votis,
Et Pietas opus exercent cum Sole: coronas
Et torques frangunt, perituraque ſceptra. Sub ictu
Stridet, & in partes conciſum iraſcitur aurum,
Pallet & inuidiâ ſtellarum. fragmina lucent
Calcato proiecta ſolo, conuulſaque tundunt
Sceptra pauimentum, reſonatque incudibus Ædes.
Hæc Fidei ſedes; hæc magni curia Regni.
Nuncius hanc pennis ſubit Aliger; atque ita fatur.
Clara Dei ſoboles, Genitrix pulcherrima Diuûm,
Fons Veri, mentis lampas, ſtella Ætheris index,
Æternique auriga boni, virtutis origo,
Solque tibi tenebriſque tuis, velumque reuelans
Numinis occluſos pulchra ſub nube nitores,
Virgo vocat: celera greſſus. Septempeda montes
Arbore vbi veſtit multâ, te, Diua, moratur.
Reddidit illa. ſequar tua dicta: Parentis ad ora
Conſpectumque libens venio; nam fronte lepores
Æternos afflat, ſpiratque in Virgine Numen.
Illius ipſa animos & viſcera luce maritâ,
Fertilibuſque tegens nebulis, in caſtra paraui
Numinis: in tenebris ſua nam tentoria ponit.
Hæc ait, & violâ crines redimita perenni,
Subnigra quæ ridet, curru ſuperaſtitit, Orbem
Quo luſtrat, pulſatque rotis idola teritque,

Fornax ante Fidei domum, vbi eius arma cuduntur. Sol fornacem cuſtodiens in operibus ardoris Eccl. 43. Sol coronas aſtris conflat. Sub ſole magiſtro fabri Spes, & Amor frangunt malleis caduca Regnorum ornamenta.

Angeli à B. Virgine legati ad Fidem oratio.

Fidei reſponſum.

Chriſtus cum Diabolo pugnaturus in vtero B. Virg. velut in tabernaculo armaturam humanæ carnis ſibi adaptauit Ricc. à S. Lau.

Fides coronatur violis, quia ſubobſcura.

Fides currũ inſcendit.

In cælum tollens ſaxorum è puluere nubes.
Hoc tua perrumpit, Mahometes, cornua curru:
Hæreſeos premit hoc frontem: in ceruice rebelli
Hoc reperit generoſa viam, dum in calle ceraſtas
Et fruſtra colubri fera terga opponit: in omnes
Hoc peregrina fugit terras; & funere vitam,
Se reparat damnis, & luctu gaudia fundat,
Fides, vt plāta, quę ſecta pullulat magis, ac floret. Chriſtiadûm largo ſata ſanguine, vulſaque maior.
Planta velut, tenero matris quam corpore durus
Agricola abſcindit, ſulciſque atque obruit aruo,
Non tumulo ſegnis iacet illa, ſed exit ab imis
Stirpibus, & vacuos creſcit digeſta per agros.
His inuecta rotis, penetralibus exit opacis
Clara Fides. Sol vmbratur gradientis ab vmbra,
Et, velut vmbra, noui fugit obuia lumina Solis.
Certatim aduolitat currū chorus omnis Honorū,
Fidei aulici poſt currum. Maieſtas, contemptus opum, facundia linguæ,
Gloria, pax, primo vernans in flore voluptas,
Diuaque contemplans, cui ſe præpandit Olympus,
Et Charites adſunt omnes. Irritat hiantes
Varius ſonus & cantus. Ille manu calamos: auram clangore tubarum
Ille ciet: digitis per fila canora recurrit
Alter, ebur vocale mouens; agit omnia motu
Gaudia, & exultans proſeminat aëre cantus.
Fuſilis ære fluit ſonitus; diſcordia concors
Funditur è labris reſonum in certamen amoris.
Hos ducens per inane choros, ad culmina mōtis
Fidei acceſſus ad Virg. Læta Fides citat alipedes. Videt aurea lucis
Flumina virgineo per montem vertice volui;
Biſſenumque comis vigilare flagrantibus aſtrum:
Demiſit tunc illa oculos: ſua lumina flammis,
Virginis inſeruit, rupto velut aggere, fuſis,

At-

Atque ait. O Genitrix, genitique Tonantis imago; *Oratio.*
Diuini ſpeculum vultus; cryſtallus, opacat
Quam mea caligo, mea lux illuminat; ora
Numinis vt reddat, rutiloque ænigmate pandat,
Fundat & inde faces in Amoris feruida centro.
Virgo iube: tua iuſſa mei ſunt munera Regni.
Cui Virgo, Mea gemma, Fides, qua ſponſus & ardor *B. Virgo Fidē ſalutat, & laudat.*
Cordis Amor digitum nodo rutilante ligauit;
Qua ſignare dedit leges, decretaque cæli.
Reddo vices: ſit noſtra Domus tibi paruula Regnũ;
Omnibus at Regnis, Regumque capacior aulis. *Deſtinat illi Laureti pro domo ſuam Domum.*
Tolle oculos, queis cuncta vides, dum cœca videris,
Cernis vt, Aligerûm pennis impexa volantum,
Fertur in oppidulum, pelagus quà littora curuat?
Hæc eſt Aula, mei quæ partus conſcia, Verbi
Parietibus texit non enarrabile pignus.
Hac in Sede, Fides, Regni tibi Regia poſthac,
Et ſolium dominantis erit: collegaque virgam
Pax tecum geret Imperij. namque Aula Tonantis *Nominat Pacis collegam hac in Domo regnantis.*
Vna duos capit hæc tantum: nec bella mouere
Pax, oblita poteſt Pacis, fideique rebellans
Ipſa Fides. Quid? quòd ſuperis ſi pelleris aruis,
Et non obſcuro muris adamante ligatis, *Hanc illi Domum pro cælo aſſignat, è quo Fides excluditur.*
Hæc tibi ſufficiet, tibi concolor, Æthera Sedes,
Nigra ſitu, ſed clara Deo, populoſaque Diuis.
Pacifer inde loci cuſtos, velut Aliger, orbes
Qui rotat æthereos, telluris regna mouebit,
Ad tua conueniant quò Limina. Gallus, Iberus, *Totius Orbis ad eandem concurſus.*
Dardanus, atque Indus; quoquot, vel frigus adurit,
Siue Oriens afflat, medius vel vulnerat æſtus,
Heredes quos ſcribit opum lucisque peremptæ
Funere Sol terris ſemper rediuiuus eodem,

Omnes Æde tuâ populares, montibus omnes
In Lauretanis, oculis tua lumina quærent,
Cordibus ardores. ſic fertur, fulminis inſtar,
Solares aquila in radios è rupibus altis,
Et ſuperat curſu volucres: ferit obuia nubes;
Immemorem prolis, capiunt quam tædia nidi.

8. Domus in Eccleſia, velut in cælo terreſtri, Firmamentum, ſub quo cæteri orbes aguntur.

Mole ſuâ primum ceu ſtat non mobile cælum,
Semper & in gyrum ſub ſe cæleſtia verti,
Inque orbem glomerari orbes & ſidera cernit,
Subdita vt hinc fundat Naturæ in corpora vires;
Sic immota nouo Domus Æthere Firmamentum
Ex omni populos ad ſe concurrere cælo
Proſpiciet, facileſque rapi, ceu ſidera, Reges.
Tu regere imperio populos Regeſque memento,
Nata Fides ſceptris. dulci ditione ſubactos

B. Virgo Fidē hortatur, vt è ſua Domo Hæreſim, & idololatriā oppugnet, ac deſtruat.

Dagon à vicina Teſtamenti Arca proiect⁹ in terram, & comminutus.

Idola ſcopuli.

B. Virgo prædicit Chriſtinam Sueciæ Reginam ad Fidei Romanæ Regnū vectigalem acceſſuram.

Exime ſeruitio Regnorum: dirue ſaxis
Saxa tuis, quæ, prona genu, ruitura ſacrauit
Cæca ſuperſtitio, populo deuota Deorum.
Suggeret hæc Ædes tibi ſaxa, ligata perenni
Quæ nexu, ſcelerum molimina fortia ſoluunt.
Vt capitis minor, antiqua deiectus ab ara
Arce tuâ legiſque Arcâ, ſe puluere Dagon
Ipſe ſuo voluit, truncataque dextera, læuam,
Frons oculos, oculi frontem fugere, caducam;
Sic ſolio quate ſaxa tuo, ſcopuloſque ſalutis,
Quos colit, exanimeſq; animat Dis flamine mortis.
Hæreſis eliſos hic ſæua recolligat angues:
Addiſcat tua frena pati; ſua dicta retractet:
Et, qui dat terris & cælo iura, Latini
Imperium Patris accipiat. Macte inclyta. palmas
Vna tibi centum cumulabit fœmina; centum
Vna tibi, poſito diademate, ſerta laborat.

O mi-

O mihi dulcis amor, mê digna Viragine virgo,
Dulce mihi nomen, ſed formidabile Diti,
Et Fidei decus æternum, Chriſtina, vocanti
Expectata Orbi, dum corruit, erige frontem.
Serta relinque, vmbrāda Fide, quæ fulgurat vmbris:
Hæreſeos galeam ſimul excute; caſſide vallat
Dum te Roma ſuâ, muros qua pulſat Olympi
Perrumpitque, Dei gremio poſitura theatrum,
Et ſolium Regni, faſceſque ex hoſte receptos.

Seclorum poſtquam varius circūmfluet ordo,
Chriſtina ex vteri tenebris ad lumina vitæ,
Hæreſis in noctem caput efferet. ipſa ſed vmbris
Natura in medijs dubio ſe lumine prodet.
Inſerit hæc animis nam primùm ſemina Recti,
Iuſtitiæ formas, ſimulacra recentia Veri,
Virtutumque rudimentum, fundamen Honeſti,
Numinis impreſſum lumen, tabulamque colorum,
Gratia quos ducat. Quiſquis genitabile lumen
Naturâ duce rimatur, non mente colorat
Obſcœnas ſcelerum facies; non pectoris æſtus
Suſcitat inſani, pronaſque in crimina flammas
Fomitis impuri: rectæ rationis imago
Sed micat ex vmbris; componit viſa tumultus;
Multa mouet; terret; docet; increpat; obijcit Æquum;
Reſpondet conſulta; Dei delibat amorem
Per ſpecies rerum irriguum: contagia primi
Sentit adhuc ſceleris, ſed protinus expuit; atram
Serpere nec patitur tacita in præcordia peſtem.
Fulgurat hinc animus primæua luce ſerenus,
Degeneremque luem culpæ repentis ab ortu
Exoſus, vitium, Naturæ incude, refigit
Lucis ad igniculum, qui Numinis exilit ore.

Chriſtinæ ortus in media Lutheri hæreſi.

Deſcribitur natura lumē, cuius ad leges Chriſtina vixit.

Se regit, & ſtudijs intercipit otia pulchris :
Excolit ingenium curis, mentemque volantem
Includit Sophiæ gyro. Vix vertitur ætas
Prima tibi, Chriſtina, æui leuis aura futuri,
Ver tenerum vitæ; cum molles incoquis annos
Artibus ingenuis, & primo lumine mentis.

Chriſtina poëtria, & Amazon.

Cælibe ſub cura, magni ſub pondere Regni
Sceptra manu citharamque feret, lituumq; tubamq;
Bellica virgo, Iuditha manu, ſed Debora mente,
Ingenioque Iahel, contemptu ſyrmatis Eſther,
Virginitate Sibylla. Omnes ingentibus auſis,
Ambiet ornatus animi, non corporis; omnes

Fœmina omnium linguarum.

Corde vno linguas, par omnibus vna, loquetur.
Corde vno complexa Orbem cælumque, locabit
Mente Rhodum, linguâ Latium;Romamq; ſub imo
Pectore terribilem placidamque fouebit; Athenas
Ore feret, Romana fide, Spartana labore,

Perita equitādi, ſcribendi, pingendi, ſculpendi, pugnādi.

Sarmata quadrupedum ductu miroque volatu.
Mobilibus digitis calamum, gladiumque mouebit;
Scalpraq;cum pennis, quas imbuet imbre colorum.
His tabulas, illis lapides animabit, & hoſtes
Ferro, vulneribus, profuſo ſanguine pinget.

Philoſophiæ ſtudioſa, hiſtoriæ, poëſis, oratoriæ.

Quidquid terra parit, lactatur & vbere roris;
Quidquid Sol Oriens, & adultus, & æquoris vrnâ
Aſpicit occiduus, pelagi quod conditur vndâ,
Iura poli, Solis curſus, & mobilis anni
Maturas cum lege fugas, occultaque rerum
Semina, Regnorum mores & prælia Regum;
Quod Cicero ſonat ore, manu quod geſſit Achilles,
Quidquid & hiſtorici ſudarunt, omnia noſcet.

Amica litteratorum, inimica otij.

Ingenijs ignes, irritamenta Poëtis
Cynthia ſtellarum ſubdet; trabeataque Sole,

Tem-

Tempora temporibus ſurabitur, otia nocti,
Se ſibi. Contemnet populantem pectora febrim;
Vndanteſque comas, queis nauigat hora fugitque,
Naufragiumque ſubit Sapientia, vertice ab imo
Et curas ſimul abradet. diadema decorum
Frontis erit nudæ doctrinæ circulus omnis.
Attamen haud ſterilis mœret Sapientia virgo.
Omnia progenerat, dum deſpicit omnia. Titan
Dum terram fugit, irradiat vel luce, vel auro.
Luce animi Chriſtina ferax, in publica Regni
Commoda fundetur. Se virtus prodiga pandet.
Iurabit populis generoſi pectoris ignem:
Præmia magnanimis, ſtimulos at inertibus addet,
Inuariata animo, vultu variata ſed vno;
Terribilis, mitis, clementer acerba; timores
Gaudiaque ex oculis ſtillabit, amoris & iras;
Nunc eadem, nunc non eadem. modò gratia frontis
Lumen erit miſeris, mox ingruet inde procella:
Seria laxabit facies; mox induet vmbras.
Si tegat arcanum non perſcrutabile pectus,
Nemo reſignabit. Pietas, Aſtræaque cinget
Aſſecla Reginæ ſolium. procul inde tumentes
Extrahet Ambitio pennas, vngueſque rapaces
Turpis Auarities: defuſo candida nimbo,
Et Sophiæ ſimilis, cumulato depluet auro.
Nil præter dotes animi ſibi congeret. artus
Murice non Tyrio accendet, digitoſque pyropis,
Collaque gemmatis captiua monilibus. aſtris
Mens torquata coruſcabit: non ſyrmata lambent
Fluxa ſolum: manus vna fluet, ſed turgida donis.
Larga manu, tantùm ſe colliget; atque fluentis
Temporis vna tenax & auara dolebit in auras

Vel cum febri Regni curis, & ſtudijs indulgens. Capillitium, ne ornatu vano terat tempus, abradet.

Eadem maieſtate vna terribilis, et amabilis.

Secretorum cuſtos.

Honorum prodiga, non auara.

In natali Sapientiæ ferunt aurum è cælo depluiſſe.

Prodigere hoc tantùm, ſtudijs reuocabile nullis,
Sic ſtabile Imperium, ſic ſecula mille parabit;
Atque voluptatis domitæ Regina, refundet
Corporis ardores in fortia facta; faceſque
Extinctura maritales, accendet amorem
Virtutum, vincet volucris quo tædia Regni.

Chriſtinæ geſta in ſuæ gentis ſalutem.

Dum niue magnanimum pectus cãdebit honeſtâ,
Fax eadem, in populi vigilabit viua ſalutem.
Dum commota cient per lignea tecta fragorem
Vndique laxatis ventorum incendia flabris;

Ipſamet Regina medias inter flammas ſæpiùs excurrens animat populos, comas accendit, & baccantem vndique flãmam extinguit.

Ah quoties, oblita ſui, Chriſtina per ignem,
Quà premit atratâ muros teſtudine fumi,
Exterebrabit equo flammas, ſceptroque morantes
Pellet in auxilium. manibus mox ipſa reuellet
Pabula Vulcano; populares inſuper amnes
Infundêt, ſudore calens. face crinis ouanti
Nidorem dabit ambuſtus crepitanſque; ſed illa
In medijs ardens rutilis torrentibus, ora
Deformata gerens fumo, terrebit amoris
Igne faces; pendente domo nec territa, nubes
Ignitoſque globos media in caligine franget.
Se murum opponet, dum diripit omnia vortex
Flammeus, inſultans maiori mole timendus.

Poſt naturæ lumen ſapienter adhibitum prima prælucet in Chriſtina Gratiæ cæleſtis aurora. Incipit Chriſtina de ſuæ ſectæ veritate dubitare.

Fuderit incertos poſtquam Natura nitores,
Succedet Fidei meliori lumine lampas.
Cura ſalutis, amor cæli, Sapientia Veri,
Clauſa pererrabunt taciti penetralia cordis,
Incipientque diem diuinâ promere luce.
Omnia rareſcent paulatim nubila. Vultus
Hæreſis anguiferæ primùm ſub corde pauores
Ingeret occultos. non exuperabile bellum
Mens ſibi ſuccendet, ſibi arena, tumultus, & hoſtis,

Tur-

Turbinibus iactata ſuis, incerta, fragoſa,
Errabunda, adigens labyrintho deuia greſſus.
Inde Fides animat dubiam, dum lumine certo
Obijcitur menti, ſibi conſona, firmaque nexu
Non exoluendo, per ſecula cuncta ſuperſtes,
Integra diſſidijs populorum, animoſaque cæde;
Caſta, ſibi conſtans, ſecura, operoſa, perennes
Spes vltra terras tendens morituraque regna,
Conſita prodigijs, & adulta labore, retuſa
Non enſe aut flammis, ſpatijs contermina cælo;
Et riuis opulenta ſuis, Reginaque Regum.

Vera Fides incipit eamdē illuminare. Rationes quibus illa, vt certa, & vera proponitur.

Parte alia patriæ leges, ſtillata Lutheri
Illecebroſa lues cum lacte, pericula regni;
Fortunæ mendax pellacia, imagine Veri
Oblita multa, odium populi rationis habenas
Hinc quatient atque hinc, facileſque in gaudia riſus
Turbabunt curis, lemniſcatoque duello.

Illicia è Lutheri ſecta.

Inſtabit precibus Chriſtina. volatile ferrum
Prælia non dirimit mentis, ſed vota precantum.
Ergo, multa mouens, ſic fletibus aſtra laceſſet.
Vnde hæc, ò Superi, tempeſtas mentis, aperto
Currit iter dum Pax vultu, volucreſque iugales
Per mea regna regit? Sapientia, pacis origo,
Dirige nutantem: veri da Numinis hauſtus:
Da Fidei melioris iter. quò duxeris, ibo:
Me mihi diſtractam, deterſâ nube, repone.
Te ſequar, è Regno quamuis peregrina, vel exul;
Mê minor & maior, quia tecum grandior Orbe.
Regna Deo mutaſſe iuuat, Patriamque ſalute.
Ingentes titulos, & vani nominis vmbras
Luce tua ſepeli: placet hac in luce ſepulchrum.
Procubuiſſe tibi, Regnum eſt. Succedere Olympo;

Quærit precibus è cælo lumen.

Nu-

Numinis heredem ſcribi; Crucis eſſe iugalem,
Qua ſedet Omnipotens, hæc Regũ gloria. Magni eſt,
Eſſe nihil, ſi dona nihil parit omnia; cinctum
Soluere cum trabea, trabe ſi pendere Tonantis,
Et ſpes hic datur, atque omnes ſuſpendere curas.
Me mihi ſeruabo, regno ſi nudor & auro:
Te mihi ſeruabo, Sapientia diues honorum,
Et chlamydem ſtellata. Fides me vera coronet;
Serta procul iacio; calco diademata. abite
Patria, diuitiæ. pretioſior omnibus vna eſt,
Vna terit quæ cuncta Fides: tibi ſpondeor vni
Virgo procos exoſa omnes, tibi nubilis vni.

Orat B. Virginem, vt nutantem regat, ac dirigat.

Flos Fidei, diuina Parens, aurora ſalutis,
Tu quoque ſparge diem. tibi Sol Sapientia pectus
Purpureis ornat radijs; variabile ſidus
Sub pede dum pallet, perituri teſſera regni,
Et variantis imago boni, quod temnimus vltrò,
Pectora ſi Fidei ſolari lumine vallas.
Ergo adſis, Genitrix; vultu præcurre ſereno.

Vouet Virginem Lauretanam inuiſere.

Ipſa tuis adero Templis, vbi corporis oſtrum
Induit humani, ſeque in Laurentide ſiluâ
Sol Deus occuluit, nemoroſa mulcet in vmbra
Dum iubar immenſum, niueique incendia cordis.
Hic, rea tunc voti, ſceptrum & diadema locabo.
Pro ſerto tua Laurus erit; ſceptrumque Puellus,
Quem complexa ſinu, pro ſceptri pondere fulcis.
Hæc illa. Auditas lacrymas, & vota monebit

Illius beneficio pacatur animus & illuſtratur. Chriſtinæ geſtientis, & iã in ſinu catholicæ voces.

Lux ſubitò vibrata animo, pax reddita menti.
Tunc iterum Chriſtina. Deus, Deus incidit; æquor,
Et tempeſtates hic pectoris æquat: Olympi,
Corda ſerenantis, vix aggere gaudia claudo.
Effluo littoribus regni, Patriamque relinquo.

Tur-

Turgida ceu patrijs erumpunt flumina ripis.
Hæreſis intorquet fœdo quà gutture flumen ;
Lapſilis in fraudes caudæque volumina, fontes
An miſcebo tuos, Laureti montibus orta ;
Profluaque in Mundi ripas, Pax candida? Roma,
Roma vocat; Fidei, quà Diuûm ſanguine feruens,
Murmurat in cryptis, ceu ducta canalibus, vnda.
Hìc puro de fonte bibam, quem dextera fundit
Septimi Alexandri, non Mundi ſanguine rorans,
Quem trahat enſis, at educto de corde cruento
Numinis exhauſti gemmatâ claue ſalutis.
Roma vocat. Regina docet contemnere regnum,
Vel mutare. Vetus cecidit nam Roma, Fidemque
Nacta rogum, impoſiti perijt ſub pondere Mundi,
Procubuitque ſibi, dum tendit in aſtra, ſepulchrum
Ipſa ſibi cinerique ſuo. Sed grandior Axe,
Quæ fuit Orbe minor, ſanctè obruta, partaq; rurſus
Et rediuiua Fide, ſe ſe extulit, atque ſuperſtes,
Filiaque, & genitrix, peperit ſe mortua rurſus:
Victa Fide, vicit: quo contigit Æthera, vertex
Ipſa ruina fuit. pedibus Regna omnia calcans,
Sub Petri pede regnauit; captiuaque Reges
Hic premit, & totum cum Regibus alligat Orbem.
Quæ vicit ferro, vincit Cruce; ſanguine regnat,
Et populos Pietate domat; creat arbitra Reges.
Si nihil ergo fuit, cum Roma erat omnia; ſi nunc,
Cum nihil eſt, regnat, fit & omnia Numine diues;
Me iuuat eſſe nihil Fidei dominantis in aula
Vrbis ad exemplum. Nihil efficit omnia. Regna
Sic fabricat Regina Fides. hoc Roma docebis.
Roma vocas; ſequor, & fugio. fuga Solis Olympo
Sidera multiplicat. Solis fuga ſternitur aſtris.

Romam Fidei Regiã ſtatuit iam fidelit adire.

Roma vetus cecidit, noua ſurrexit melior, ac ſanctior. Hinc diſcet Chriſtina ponere Regni ſuperbiam, vt renouetur in Chriſto nobilior.

Sic fugiſſe iuuat. Parthorum more, ſagittas
Hæreſis in colubrum iacio, fugioque. fluentis
Non ſe vulgabit procul inclementia peſtis.
Chriſtina per varias vrbes peregrinatur.
Hæc Regina: dabitque ſuis fortiſſima pondus
Vocibus, abijciet dorſo dum pondera regni,
Exceptura iugum Fidei. Admirabitur æther,
Terraque adorabit per regna aliena, per Orbem,
Orbe cothurnatos calcato, ducere greſſus.
Quà feret illa gradus, faſtus gemet; Orcus Erynnes
Euomet in caſſum; conſumet lumina fletu
Hæreſis, & pectus rabie. Sed qualia promet
Inſano lamenta ſinu? Suſpiria flatu
Viſcera quo crudo diſtendent? fellis amari
Inficiet quæ vena oculos, immiſſa per artus?
Cum Regina, Deo flagrans propiore, coronâ
Septa ducum procerumque, manus in ſidera tollens
Sidereoſque oculos, ſic læta precabitur ore.
Chriſtianam Fidem electos inter proceres in Belgio profitetur ſolemni ritu.
Audiat Omnipotens, & noſtri conſcia cordis
Virgo Parens, Superique omnes, audite. Tonantis
Tango aram: teſtor cęlum, violata ſequatur
Fœdera præcipiti quod fulmine. iura Lutheri
Execror & ritus, colubri ceu ſibila. iuro
Romanam Chriſtina Fidem. vis nulla volentem
Auertet; flueret quamuis reſoluta per vndas
Mollis humus, ſolidâque in humũ coaleſceret æquor.
Vt Fidei Chriſtina ſuæ noua ſenſa recludet,
Quæque tegunt animi, pia lingua fatebitur; ardor
Romam contendit Laureti via.
Quà Fidei rapit & Pietas, Patriſque Latini
Viſendi ſtudium, votis impulſa ſecundis,
Vertet iter. Superûm circum plaudente Senatu,
Triumphabit Fides in Chriſtina.
Inde triumphali crines redimita corymbo,
Chriſtinâ properante, Fides, impunè per vrbes
Vecta

Digitized by Google

Vecta triumphabis. populorum molliùs vndæ,
Lætitiâ reſonante, frement: delubra calebunt
Plauſibus atque viæ; medijs in millibus Ædem
Dum Lauretanam curru ſublimis eodem,
Quo fertur Regina, ſubis collega triumphi.

Cælituum donis opulentam, & Numine Sedem
Eminus vt ſortita oculis Chriſtina videbit;
Sentiet arcanis animum ſplendoribus auctum;
Atque tuo calefacta rogo, têque auſpice, curru
Deſcendet, baculoque viam dimenſa, volucrem
Irrequieta pedem celerabit regia virgo.

Chriſtina, viſa eminus Lauretanæ Dom., pedibus iter abſoluit.

Stabit vt ante gradus, Pietatis in Æthera greſſu
Ardua ſe tollet; magnoque in murmure turbæ
Otia potabit Superûm, lacrymiſque decoris
Recludet ſibi læta viam per viua virorum
Flumina. Reginæ cultus, vmbracula Regum,
Fulta manu procerum, geminâ ridentia luce
Solis & argenti, Chriſtina repellet. Olympi
Hîc Auguſta, inquit, regnat, ſpectabilis vmbris,
Paupertas Regina, tuis: ancilla quid ergo
Reginæ tumeat ſaturatis murice velis?
Me Fidei tegit vmbra; tegat me pectore Virgo,
Amplexuque ſalutari flammantis Amoris.

Ingreditur S. Domum.

Reijcit vmbraculum & vmbellam; & pompam omnem Virginis ante Domum.

Hæc præfata; aditus ingreſſa, Cubile Pudoris
Læta ſalutabit noſtri, ſceptrumque coronamque
Efferet ante aram cum voce. Hîc meta laborum;
Hîc ſolium, tua, Chriſte, manus, qua bellule matrem
Pupe ligas. noſtri ſedeant inſigna Regni
Fixa manu ſtabili, cuius libramine Mundus
Se tenet, & Regum Fortuna æterna rotatur.
Seruiui: nunc regno. tibi dum ſubditur Æther;
Sole aſtriſque coronatus ſuperimminet Orbi.

Salutat B. V. Cubile, & offert gemmatam coronam & ſceptrum.

Numi-

Numinis in dextra ſceptrum loco, figo volucrem
Sic fortis Regina rotam, ne voluat ad ima.
Fronte tuâ, diuina Parens, diademata pono;
Fronte tuâ mea Regna loco. nunc regno: coronam
Nunc gero depoſitam: tibi namq; in vertice florent
Omnia Regna: tuâ Deus eſt in fronte corona,
Cuius ab ore oſtrum Regnorum purpurat omne.

Hæc illa. ad ſacras exinde aduoluitur aras,

Suſcipit in S. Cella ſacram ſynaxim.

Regaliſque dapis diuinum libat honorem
Regalis conuiua Dei. Ad ſpectacula pubes

Corona ab Angelis Chriſtinæ texuntur.

Cælituum, mediâ progreſſa è nube, volabit,
Pars in Chriſtinæ torquebit ſidera ſertum,
In caput obſequio venient quæ torta ſequaci:
Pars Solis radios, ceu fila micantia, nectet

Hæreſis Draconem eius pedibus Superi ſubdent, vt Deipara repræſentet imaginem ſine prima originis labe conceptæ. Huius enim feſti die Domum Lauretanam inuiſet

In rutili thoraca ſinus: pars rupibus Anguem
Hæreſim ab Arctois, ad frena inuiſa coactum,
Subijciet Suecæ pedibus, furiale vibrantem
Flumen ab ore. premit ſed gutturis antra virago,
Nexibus ille ſuis ſe vinciet: orbibus orbes,
In ſua membra redux, per viua volumina finget;
Digeret atque iras in miſſa fluenta, veneno
Spumea Tænareo, cæloque caduca. furori
Sed Chriſtina viam, transfixo pectore, pandet,
Ne tota exoneret patulis ſe faucibus ira.
Sic habitu formoſa meo, ſolemnia lucis
Feſta celebrabit, primæ qua neſcia labis,
Primum vitalis momentum luminis hauſi.

Hyeme ſæuiente Romam accedit.

Hinc, velut æterni de carcere miſſa nitoris,
Curret iter Chriſtina. Noti componite bellum;
Mêque iubente, hyemis furias compeſcite Cauri;
Eſte boni: preme te Boreas: Zephyritides auræ,
Plauſus adulantis cæli, ſpirate fauentes.

Vos

Vos quoque, in hybernis equitātes nubibus,imbres,
Ventorum flabris ſtimuliſque reſiſtite ; donec
Ingrediatur, apex Regum, Chriſtina Senatum
Regibus auguſtum multis , quem Roma veretur ,
Et cui perpetuò diuini Spiritus oris
Præſidet , & tacito diſpenſat numine voces .
Septimi Alexandri veſtigia lambere virgo
Ambiet. hinc ſuper aſtra feret Regina volatum :
Hic etenim pes aſtra terit , dum Tartara pulſat.
Hic tua turris erit, fugitiua Columba ; colubrum
Hæreſis vt ludas , candoris tuta niualis .
Hic tibi mons, Aquila heroum,ſpeculaberis hydros
Hoc è monte, ſub Arctoo qui frigore torpent ;
Sed tamen ardebunt rabie, dum vulnera figes.
Hoc è monte , acies volucrum pertæſa minorum ,
Immortale iubar Fidei rimaberis . inde
Viuida Sole nouo, quæ temperat Æthera , dextram
Ore premes pauido . Quo tunc tibi gaudia ſenſu ,
Quo vehet allapſu Pietas ? Hæc dextra recludet
Aurea Cælituum tibi flumina, lucis , honorum ,
Atque voluptatis non deficientis Erythram .
Hæc tibi rheda manus, ſtellis radiata : per Vrbem ,
Per terræ tractus , conuexa per ardua cæli ,
Hæc te dextra feret . Tranſcribere deſine faſtis
Roma Duces ; peperere tibi quòd regna cruore .
Vel nudata ſuis regnis Chriſtina triumphat ,
Cæſaribus maior ſine regno , & grandior vna
Omnibus Imperijs , quæ temnit , vt imperet aſtris .
Queis tegis amplexu Mundū,tūnc brachia ſoluēs,
Obuia Roma rues , populis via , plauſibus æther ,
Pectora inardebunt viſendi concita votis
Virginis ingreſſum . Fauſto ſtridore patebunt

Læti-

Purpuratorum Patrum Senatus.

Chriſtina ad Alexandri VII. pedes aduoluta.

Pontificiorum pedum maieſtas atque ſecuritas.

Ad oſculum manus admittitur.

Laus Pontificiæ manus.

Lætitiâque fores, cuſtos quibus excubo Romæ.
Hæc tua Regna, Fides; donec regale mouebis
Æde mea ſceptrum. Nebulâ circumdata frontem,
Nunc age; Tecta ſubi ſacro pulcherrima fumo;
Quæ, longo Superûm pennis volitantia tractu,
Denique Picenis florebunt inſita ſiluis.
Nube Fides clarâ radios immiſit amoris,
Et riſus iubar, & voces. O Virgo, bonorum
Fertilis & charitum, noſtrâ quas concipis vmbrâ,
Quas referam grates? Diuina Domuncula, Verbo
Vocalis, Soliſque mei ſplendore diſerta,
Æterna è ſaxis laudum tibi perſonet echo.
Dixit; & Aligeros inter ſubitura Cubile,
Nexuit amplexu ſociam per mutua Pacem.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXVII.

ARGVMENTVM.

Pacifer S. cum Domo via metam tenet. Suos alloquitur; aitque, victis periculis vnam Diſcordiam ſupereſſe vincendam, quæ per Templi Laterani conflagrationem, Eccleſiæ ſchiſmata, Conſtantinop. euerſionem, aduentum S. Domus in Italiam vlciſcatur. Huius Vrbis, quæ ciuitas Virginis erat, narrat excidium; Leontari, filiorumque in pudore tuendo conſtantiam; Palæologi Imp. mortem.

IAmque rubeſcebant vicino nubila Sole,
Horaque fortunata tuis, terra Itala, Regnis
Venerat. Offuſas Pax dimouet ore tenebras:
Auro ſubridet texto, ſtellataque gemmis
Auras infuſo veſtis permulcet odore.
Flumen ab arboribus ceu ripis excipit vmbras,
Sic per colla fluens crinis velatur oliuâ,
Quam dextra, quam fronte gerit. per frõtis oberrat
Prata lepor, ſolo qui ſedat prælia riſu.
Ad Pacis læuam ſimili micat Aliger ore,
Non telo gladioque ferox, ſed qualis ad antrum
Numinis infantis Superûm ſocia agmina duxit,
Pacatoque ferum tremefecit carmine Martem.
Pacifer ergo auras niueis albeſcere pennis
Vidit vbi Aligerûm; feruere ſequentibus Aſtris,
Temporibus, Fluuijs, Dominis & quattuor, Orbis
Quas penes arbitrium, ſic ſoluit verba. Laboris,

Pax prodit è nube, in qua latuerat, ne à Diſcordia videretur, Via Socios alloquitur.

Lætitiæ, curæque meæ; manus aurea, conſors,
Quas poſſum, refero grates: ſed præmia reddat,
Qui vos Omnipotens pompam ſociare triumphi,
Et noſtræ pondus iuſſit vectare Curulis,
Ipſe ſuæ Cuſtos, Dominuſque, & Gloria Sedis.

Quaterna S. Cellæ migratio in 4. incidit anni tempora ex Turſ. ut per tempora ad perpetuitatem in Piceno perueniret extra temporũ Imperium.

Vere Palæſtinas; æſtu dominante ſed oras
Liquimus Illyricas; frenatis frigore pratis,
Vidimus Italiam: nos tandem his extulit aruis
Frugifer Autumnus. Percurrimus omnia noſtro
Tempora dum curſu;præcurrimus;& ſumus extra
Temporis Imperium. Voret hoc cum ciuibus vrbes.
Amphitheatra, Orbem;non Limina noſtra vorabit,
Omnia quæ miro vicerunt tempora curſu.
Sola manet ſuperanda meo Diſcordia vultu.
Multa mouet, præſaga mali; ſed plura mouebit.
Expulit è fratrum nos Colle tumultibus. Vltrò
Ceſſimus ad tempus; ſpecièque timoris, in iras
Ducimur indomitas, & aperta immittimus arma.
Hìc acies & arena. loco vis nulla repellet

Diſcordiæ artes, vt Pax è Piceno, imò ab Orbe toto cum S. Domo diſcedat.
Irata in Tẽplum Laur. incendet Templum Lateranum anno 1308. quo tempore Clemens V. Pont. Sedẽ Lugdunum tranſtulit.

Nos inimica; licet radicibus excita tellus,
Confligantque ſimul, nutante cacumine, turres,
Hìc adero; Italiamque meam, mea Regna tuebor.
Omnia tentabit Diſcordia; at omnia cedent
Irrita. Me toto poſtquam conuellere Mundo,
Imò nec Heſperijs poterit temeraria regnis;
Inſidijs conata nefas, ne profluat Orbis
Ædis in obſequium noſtræ, bella vndique, bella
Conſeret æternis odijs: formidine gentes,
Oppida, tecta, vias, cum Principe ſepiet vrbes.
Principiò Conſtantini, belli omina, Templum,
Grande opus, & Fidei cunabula prima Latinæ,
Dum, latebris egreſſa, manus, & libera nexus
Sol-

Soluit in amplexus Mundi ſceptrumque ſalutis,
Illius ardebit tædis. Templumque Tonantis
Nazareum, columen Templorum, inſidere Regnis
Indignata ſuis, Laterano incendia ſubdet,
Quod Romæ dominantis apex, nullique ſecundum,
Cælituum ſupero miſcet faſtigia Templo.
Pamphilius, merſum flammis, hoc obruet auro,
Reſtinguetque faces poſt ſecula terna Sacerdos
Ter magnus, ter munificus, triplicique verendus
Imperio. Sacris refloreſcentibus annis,
Excluſurus opes Cæli, luſtrália pandet
Limina. Proh qualis Laterana ex Æde micabit
Maieſtas opulenta loci! Laquearia lucem
Non ex igne bibent, ſed quæ vibratur ab auro.
Marmore candeſcunt muri, muriſque reſultant
Signa, coronarum reſtes, inſignia; vultus.
Silua columnarum, virides imitata ſmaragdos,
In loculamentis ſimulacra interſecat. Ipſe
Templa videns Conſtantinus damnaret, amaret
Suppoſitos ignes, melioris origine Templi,
Innocuos nocuoſque ſimul. Diſcordia iactis
Ignibus exultans, exuſtâ Sede, regentem
Numinis inde vices, Regno exturbabit auito.
Proh dolor! auguſtum imponet ſibi Gallia Romæ
Imperioſa Caput: Regina, & Regia Mundi,
Truncus erit, ſine mente animus, ſine lumine cælum,
Roma carens Româ, caſto ſine Coniuge Coniux,
Sponſa tamen, viuoque Viro, viduata marito.
Pronuba ſed tandem thalami Catharina pudici
Igne ſuo, & calido ſucceſas pectore tædas
Pura maritales præfert, vrbeſque pererrat,
Regnaque perluſtrat. tanti dux fœmina facti.

An. ſeculari 1650. ab Innocent. X. reparatum.

Quia ſurrexit è ruina nobilius.

Lilia pro telis in Gallica lilia pugnant
Virginis armatæ precibus, niueoque Pudore.
Gregorium alloquitur: vincit ſermone; triumphat,
Pontificemque rapit Virgo, quem Roma, ſuperbi
Roma triumphatrix Mundi, Regumque Senatus,
Agmina mille Ducum numquam flexere fugacem,
Et malè Romani fidentem plauſibus oſtri.
Fata ſed heu rurſus declinant. Roma recepto
Principe dum gaudet, Capitique vnita, per Orbem
Attollit Regina caput; permiſcuit atris
Hoc nebulis ignara, & nubila fronte coëgit,
Fulminaque impoſuit ſertis, dum ſidera quærit.
Dum terras Aſtræa fugit, ſic nubibus ora
Inſerit, & cæco caligant lumina nimbo.
Pontifices ſimul immiſcet Diſcordia multos,
Et iacit in cunctas rerum diſcrimina terras.
Deformis Mundi facies. ſic morte ſub ægra
Spiritus innexos vitâ ſi deſerit artus,
Innumeræ ſubeunt formæ, dilapſaque tabo
Membra rigent: oculi, vultus, malæque recedunt,
Collaque lenteſcunt; dureſcit ſanguis; & oſſa,
Semina vipereæ ſegetis, mors pallida rodit:
Neruorum laqueos vellit, nodoſque regentes:
Se calor exoluit: diſcedunt brachia dorſo.
Brachia dextra fugit, ſiccataque gutture lingua
Torpet iners, vocemque negat. Contagia mille
Vni ſuccedunt animæ. Sic tota cadauer
Terra fit, innumeris dum diſſita peſtibus, omnes
Ducitur in partes; Capitis compage ſolutâ.
Fracta quaterdeno Solis Diſcordia gyro,
Atque rotata procul cedet. Succedet, & Orbis
Nicoleos facili dirimet virtute tumultus.

Nicolaus V. ſatis memor Ædis Lauretanæ, eam aduerſus Barbarorum excurſiones præſidio munit Turſ. l. 1. c. 24.

Ille,

Ille, Domus cultor noſtræ, munimine muros
Veſtiet. Aligerûm nam quamuis vndique vallo,
Mœnibus & cæli circumuallata, timorem
Neſciat; humanis ſociat ſe viribus vltrò *Cur munijt, ſatis cælo munitam?*
Vis diuina, operis comes, at non indiga noſtri,
Omnipotens cui præbet opes, vireſque miniſtrat.
Dira diù ſiccas Diſcordia ſanguine fauces *Nicolao V. Pont. Mahometes Turc. Rex Conſtantinopolim oppugnat.*
Non feret. Ex Aſia, veluti conualle volutum
Flumen, agit Thraces, & Byzantina cateruis
Mœnia circumdat Mahometes. Excita tellus
Intremit appulſu; ripiſque ardentibus, atras
Credidit, eructaſſe faces Phlegethonta per vrbes.
Nô tamen, has Mundi pœnas dum ſuſcitat æther,
Signa dare abſtinuit. Radijs tepefacta diurnis
Dum Sol Heſperij conſueta cubilia Ponti
Intrat equis, ſudatque diem, noctemque ſororis *Canes, oues, boues, equites, pedites, tubæ, arma, currus, & omnium veluti ductor Gigas viſa in aëre ſunt, ſtrepituſque auditus.*
Imperio credit; ſe ſe in miracula rerum
Omnia transformant nubes. Exercitus ingens
Apparet per ſuda canum; nebulaſque latratu
Euacuant, implentque metu. mox inde minora
Erumpunt armenta: gemunt balatibus agni,
Atque lupi gemitu veniunt in bella vocati,
Multi etiam per fracta boues ſe nubila librant;
Aëra conſumunt mugitu, obuêrſaque iactant *Hæc omnia vide apud Petr. Bizzarum l. 12.*
Cornua: iactatis funduntur cornibus ignes.
Ignea ſcintillat contuſis frontibus ira:
Se retrahunt, rurſuſque ruunt, & prælia miſcent;
Poſt armenta, viri cælo ſuccedere viſi,
Atque pedum primo pedites diſcurrere pulſu,
Denſatâ legione; equites, nutantibus auris,
Pone ſequi; gradientis equi leuis vngula flammas
Nubibus elicere, & tonitrus imitata ſonantes

Fulminaque, inſolitis implere timoribus vrbes.
Auditæ per inane tubæ; colliſaque laté
Spargere ſcuta metus; haſtas vibrare fauillas;
Quadrijugos, bijugóſque errare in turbine currus;
Donec ſtridorem iaculis, & fronte pauorem
Intulit agminibus procero corpore monſtrum.
Ore Gigas furias, oculis Acheronta ferebat,
Faucibus eructans mortes, & ſibila linguâ.
Forma vel vmbra tui, Mahometes, horrida vultus,
Dux in Oues qui caſtra canũ, pecudumq; mouebas.
Hæc inter fera ſigna, maris tegit arua carinis
Odryſius, duce Dite potens, ſcelerumque maniplis,
Et Galatæ ingentem porrectam ex arce catenam
Non rate, ſed fraudum perrumpit mole. reuulſis
Carceribus, portu campoque potitur aperto!
Demiſsâ ſic lune, iubas ceruice volantes
Tollit equus, gradibuſque ſonat, liberque lupatis,
Curſibus abſumit ſtadium, nec mille retardant
Comploſæ cum voce manus, nec vulnera terrent.
Infelix fortunati Rex nominis heres
Vt Conſtantinus vidit decreſcere ſignis,
Atque Agarenorum ter centum millibus agros;
Euocat in muros ciues, fluuialibus vndis,
Vndique caſtellis, & multo milite ſeptos.
Hos contra turres locat aggere Turca propinquo:
Ignes diſplodit: munitas verberat arces;
Et tempeſtatem flammarum in mœnia voluit.
Non cedit flammis hoſtilibus ignea Virtus
Chriſtiadum: forti obſiſtunt munimine valli:
Tela repercutiunt, tædis induta malignis;
Telaque contorquent, tonitru reſonante ruinas.
Æquatâ Fortuna tenet dum prælia lance,

Mœ-

Viſus Gigas, imago Mahometis, Turcas, vt canes, in Chriſti oues armantis.

A Galata ſeu Pera Oppido Byzantiũ vſque obtenta à Græcis catena eſt, vt prohiberet Turcis acceſſum. Hi intra catenam ſe demiſere portu potiti, & ponte in nauibus è dolijs facto. Ab. Bzou. ad an. 1453.

Conſtantinus Palæologus Orient. Imp. Conſtantini Magni nominis, & Vrbis heres.

Tercenta, & vltrà millia Turcarũ fuiſſe aſſerit de viſu Leonardus Clienſis.

Mœnia nec fuſo rareſcunt milite, peſtes
Mammetes vocat arcanas, & ſemina cædis
Subijcit ignitæ, quæ mox in funera creſcant.

Incendiarij cuniculi.

Aſt vbi, ſopitæ cæca intra viſcera terræ,
Concepere faces nigranti è puluere vires,
Per diuerſa volant; ſaxiſque equitantibus, ingens
Turribus exitium portant, populoq; ſepulchrum.
Tum verò incumbunt Thraces, adituſque recluſos
Igne, tenent; fruſtraque alios ſtructo aggere muros
Obijciunt Danai: fremitu via ſeruet ouantum,
Et ſingultantum gemitu; cæſoque parentes
Pectore cum natis, per plana, per ardua currunt.
Barbaries, & luctus habet, diſciſſus amictu,
Theſiphoneque Vrbē, Romæ quā, Phœbe, gemellam
Luce colis primâ. Mediâ iam cæde frementes
Omnia Threicij diuortia nota viarum

Conſtantinopolis capitur anno 1452. et triduò diripitur. Io Bobē. de ſt. Europ. c. 7.

Obſedere: domos alij mucrone coruſco
Oppoſiti vallant. extrema in morte feroces
Seſe pro telis iaciunt ſuper arma ruentum
Dardanidæ: reddit vim deſperatio victis.
Dum facit audaces terror, victricia terrent
Agmina: vel caſi cædunt, & ſanguine turpant
Ora inimica ſuo; lacerant dum mortibus hoſtem.
Hoc magis igneſcunt Thraces, gladioque feruntur
In iugulum, tædis in Templa, in tecta rapinis.

Erat Victorū infinitus numerus. non dignitas, non ætas, non ſexus quemquā protegebat. Id. vbi ſ.

Stillat ab Odryſio puerilis acinace ſanguis:
Imbuitur mucro morientum aſpergine matrum,
Tabe Sacerdotum, magnique cruore Senatus.
Turcarum iuga victorum triginta tulere
Millia Chriſtiadum, in dominos partita Tyrannos.
Ecquid erit furijs tandem Mahometis inauſum,
Si tumulos aperit; ſi bellum manibus infert!

Triginta millia captiuorū. Mahometes Conſtantinopolis Imperatorum ſepulchra refodit, cineresq; proijcit in ventos

A. Bzou. ad an. 1453.

Poſt populi cædes itum eſt in viſcera terræ;
Conturbatque vmbras ferri fulgore quietas.
Buſta cauat Regum; fodit oſſa; effundit in auras;
Syrmata prædatur; cæcuſque libidine belli
Non videt in Regum fatis ſua fata; ſed ignes
Concipit è cinere hoſtili, Regumque ſepulchris.

Fœminę pueri que ludibrio habiti. Io. Bohem.

Non hæc meta fuit Thracum poſtrema furori.
Non animis parcunt: animis auferre ſalutem,
Cordibus atque Deum per crimina fœda laborant.
Corporibus victis, animus non vincitur. hoſtem

Nemo læditur niſi à ſe ipſo. S. Io. C.

Se tantùm timet ille ſui, & quas ſponte catenas
Inijcit ipſe ſibi, proprio malè iunctus amori.

Magnis promiſſis Leontari victi filios Mahometes expoſcit, vt abutatur. Illi à parente animati pudorē defendunt, & mortem oppetunt. Ex Laonica de reb. Turc. l. 8.

Ducebas ſeptem, velut aſtra, Leontare, natos
Virtutis patriæ pompam, Cælique Senatum,
Omnes egregios formâ. Sapientia mater
Prolis erat, nutritor Amor, Reuerentia cuſtos.
Gratia certabat formæ; ſed forma Pudoris
Ibat in ora comes: puroque Tyrannus ab ore
Ebibit impuros ignes. Ita germina florum
Depaſcuntur apes, & aranea: mella ſed illæ;
Hæc trahit inde luem. Docuit miteſcere Regem
Dira libido: armis feritas quoque cedit amoris;
Et quas cæca nequit tædas auertere, ſentit.

Patris ad filios adhortatio

Accerſit Iuuenes in caſtra. Leontarus, anguis,
Sibila ſunt, nati; exclamat: tamen obſtruet aures
Cerea, quæ veſtro molleſcit pectore, Virtus,
Dura voluptati, Veneriſque imperuia flammis.
Mœnia ſi Patriæ Mahometes diruit; arces
Pectoris inuicti non diruet, illa ruerunt
Mortali defenſa manu; ſed veſtra tuetur
Corda Deus, Pudor omnipotens, & neſcia frangi
Intemerata Fides. Pudeat, pugnante Pudore,

Ce-

Cedere Mammetem imbelli. Si ſæuiat armis,
Si palos, vncos, flammas, ferrumque minetur;
Ludicra ſunt. ſpectate Deum; ſi ceditis, ignes
Qui parat æternos. mentito prælia riſu
Si peiora minis agitet; ſi dona, coronas,
Sceptraque pollicitus, blando tegat ore venenum;
Figite in æternum non conniuentia Regnum
Lumina, & illecebras morituri ludite Regis.
Cæca Fides; terrena nequit quia cernere: cernit
Aſt æterna Fides, quia cæca. Hac voce feroces,
Atque pij ſolium ſubeunt ferale Tyranni.
Hic velo perſonatus, quo lumina cæcat
Turpis amor, tegit ora notis maculoſa furoris;
Hoſtilemque animum fallit veſanus amore.
Sidere, ait, fauſto ſoboles generata, triumphi
Præda eritis pretioſa mei: dum cætera flammis
Præbeo, vos animum victoris aduritis. Ignes
Excipio foueoque libens. Exarſit in iras
Maior Arimandus natu. Si cætera, dixit,
Proijcis in flammas; flammis communibus adde
Nos quoque: nam Patriæ nobis iucundior ignis,
Quam tuus ignis erit. Melior mihi fulminis ignis,
Caſtolus exclamat. Furiarum dulcior ignis,
Inſonat Eugenius. Barathri mihi carior ignis
Cum Vito ſonat Edmundus. Babylonica fornax
Flagrat adhuc? Hermillus ait: ſuccende: quid hæres?
In ſeptem pueros ſeptemplicis ira camini
Ferueat, atque fremat: iaculetur in aſtra fauillas;
Sed minor igne tuo. Toto Trinacria fundo
Æſtuet Ætna: tuo minor eſt hæc igne. Veſeui
Ros erit eructans incendia ſpiritus, addit
Fauſtulus inſultans. Genitor ſeſe vltimus infert,

Mahometes amorem ſimulat.

Doloſa Tyranni vox, et fœdi amoris index.

Puerorum magnanima reſponſio.

Patris vox ad Tyrannum.

Lætitiáque ferâ plenus lætoque furore,
Fortis ob ardorem ſobolis probrumque Tyranni:
Qui canit iſta chorus, meus eſt; doceoque choragus
Flectere ſic animos & verba, omneſque Magiſtrum
Philomela, dũ parit, canit. Ad tales ſequimur choreas cantuſque Tonantem.
Parturio Cælo ſobolem, vt philomela canendo,
Barbare; nec ferro cantus, ſtrepituque minarum,
Quem Chriſti modulatur Amor, turbabitur. hic eſt.
Concordes iterum voces, dum ringeris, audi.
Mœnibus euerſis, laribus, conciuibus, vrbe,
Eripe me natis; mihi natos eripe ferro:
At non eripies animo obſiſtente Pudorem.
Diuitias, Patriam, patrimonia, corpora, vitam
Perde: integra manent animi patrimonia, Virtus.
Hæc bona ſola fero, ferimuſque: ſed omnia porto,
Hæc bona ſola ferens. dixit; cæloque decoram
Mahometes iratus tormenta iubet exponi. Affixit mentem. Mahometes ora reſumpſit,
Ingeniumque. Feri iubet inſtrumenta doloris
Exponi, tædas, enſes, mortiſque cataſtas
Belligeræ turres, & amoris pulpita læſi.
Huius vox. Quid Regis violatus amor, quid gratia poſſit,
Nunc ſpectare, inquit. Tu membra, Leontare, primus
Da flagris: hunc diſce ſonum, ſobolemq; choragus,
Leontari vox dum ad flagella rapitur. Præcentorque doce. Cui reddidit ille: docebo.
Diſcite Virtutem, nati, verumque laborem,
Seminat æternam fuſo qui ſanguine pacem.
At tu perpetuis Erebo plectende flagellis,
In me diſce tuas deſcriptas, Barbare, pœnas.
O vtinam meus iſte dolor, cruor iſte nefandos,
Quos alis in venis, Veneris reſtingueret ignes!
Flagellatur coram filijs. Hæc vindicta placet: tua flamma vt frigeat, vror;
Omnibus atque ardet venis erumpere ſanguis.

Hæc

Hæc dum verba daret, lictores caſta loquentis
Pectora denudant: armant in verbera dextras:
Mox librant ictus, & vibrant. Virga lacertos
Et chalybis flagra contundunt, inarantque ſenilem
Sæpè vibrata ſinum: ſcrutantur vulnera coſtas,
Sanguineaſque bibit tempeſtas ferrea venas.
Non ſuper annoſas, iactâ ſic grandine, quercus
Nubila coniurant, vt grandinat ira Tyranni,
Lictorum portata manu, nimboque ſonoro
Magnanimi ſenis in tergum. Iuueneſcit ad auſus
Integer illuſtres; velut arua exuſcitat imber,
Vt mage pubeſcant. Reſonant dum flagra per artus,
Alarum putat eſſe ſonum, quas aptet amanti
Ales Amor; tollitque animos, dum cæde cruentâ
Membra cadunt. Spectat natorum turba parentem
Liuida liuentem. liuor patris, vmbra furoris:
Dum nati liuent; ab amoris funditur igne
Nobilis vmbra: alacri lacerantur membra parenti;
Cor natis: dolor hunc torquet; torquentur at illi
Pœnarum inuidiâ. fit mutua pugna: triumphat
Verberibus feritas; eademque ligata, catenas
Mordet; & ad flammas Pietatis, feruet in iras.
Ira fit in natis amor ipſe, & verberat ore,
Et patris in Regem plagas ſic voce retorquet.
O ſcelerum, Rex magne, capax, confinia laxa.
Eſt leuis ira, viri quæ corpore ſæuit in vno:
Te nobis partire, patremque in prole flagella,
Quam laceras in patre. tuâ ſic doctus ab arte,
Corpora dum fœdas, quid amaris, perdite, diſces.
Has genitor ſoboli flammas generoſe miniſtras,
Igne tuo accenſas, & hianti è pectore ductas,
Nubibus è fractis ceu fulminis excidit ignis.

Pater verberibus, filij decora paternarum pœnarũ liuent inuidia.

Horum vox ad Tyrannũ.

Ipſe

Ipſe tuâ miles, dux, & ſpectator arenâ
Potas vndantes è rupto vulnere riſus,
Prolis & ad plauſus, labro moriente, fugacem
Suſtentas alacer vitam. Iam læta theatrum

Pater tantùm viuere cupit, vt filios videat pro Chriſto morientes. Pueri coram Parente diuerſis pœnis torquentur.

Illa ſubit mortis. ſuſpendere flagra necemque,
Carnifices cupis, vt viuas moriture tuorum
Non ſemel in pœnis. Vito rogus ardet: in ignes
Proſilit, & clamat. Seruabis, flamma, Pudoris
Fida niues, turpiſque rogi ſeruabis ab æſtu:
O bona flamma, feror tecum ſuper Ætheris ignes,
Ignibus atque mei iungor, ſed caſtus, Amoris.
Currimus ad pœnas: ſequimur te paſſibus æquis,
Vox fratrum fuit vna. Sequor: fer vulnera lictor,
Inquit Arimandus; ſunt illa monile Pudoris,
Do iugulum. Iugulum petit enſe laniſta; cruorque
Protinus albeſcit: fit lactea vena: niuali
Alluit imbre ſinum. fuerat quæ purpura, veſtis,
Albicat, Aligerûmque choro ſe iungit in albis.
Index virginei cordis, tunc eruta lingua
Edmundi rubet in fulmen, Ieſumque ſuſurrat;
Palpitat, & viuax hoc nomine fulminat hoſtes.
Indomitam, domitamq; crucis ſed pódere tantùm

Si quis Album corrupiſſet, puniebatur, quia Prætoris maieſtas contempta videbatur. Paul.
[illegible] vltimum natu filium blanditijs quærit allicere.

Barbarico ferro ceruicem Caſtolus offert:
Quotque cruoris erant guttæ, tot lilia ſertum
Implicuere comis. Hermillum dextera quærit,
Cruraq; ſecta. Deum pedibus manibuſque reſectis
Fortiùs arripuit, velox & in aſtra volauit.
Eugenij cor tela petunt: non tela ſed Album
Corrupere: magis namque albet ſanguine Candor.
Iam ſuper vnus eras minor annis; grādibus auſis,
Fratribus & patri par, Fauſtule. Corpore Virtus
In pulchro veniens flexit pietate Tyrannum.

Si-

Siſtite, ait, lanij: puero non vincula; torques
Præparo, qui noſtram mutabit funus in aulam,
Si ſapit. & non hic ſapiat, dementia fratrum
Quem docet innumeris plagis! Dediſce parentis
Facta, fidem, mores, nomen, patrioſque penates,
Mê genitore, puer, mê Principe digne. decori
Ille tuo labem ſcelerato ſanguine inuſſit;
Ipſe decus pariam. Tunc primùm territus Heros
Palluit. hos ictus in corde Leontarus vnos
Senſit, & aſperſit pauidâ caligine riſum,
Floruerat qui natorum de cæde. Virago
Mater, ait, Rex Chriſte, placet ſi victima cordis
Hæc occiſa mei, merſique in ſanguine nati;
Si melior placet ille cruor, quem pectore ducis,
In quo bullit amor, pater ò pater, inſere cordi;
Et defende meum lethali à fraude puellum.
Pignora ſunt; reddo: numero nil deſit, Auerno
Ne latro depoſiti tradar. ſunt munera: pendi
Sed perfecta Deo fas eſt, qui dona repoſcit;
Ne perdar Maieſtatis violator. Amoris
Candelabra tui mea ſint hæc pignora ſeptem.
His rutilet tua, Chriſte, Fides, & cerea, Candor,
Flamma. Tibi ſeptem pennis ardentibus aſtant
Aligeri: ſeptem te coram ſiſtere natos
Ardeo. Munificâ ſeptem geris aurea dextrâ
Sidera: ſideribus mea pignora feruida flammis
Adde tuis. ſi non addis; rutilantis ab ore
Terreor aſpectu gladij. Magis iſte laceſſit
Corda metu, quam Threicij fera tela Tyranni,
Quam mors ipſa. Pater, patris miſerere dolentis,
Atque aliò conuerte metus. Poſt vota puellum
Reſpicit, & ſequitur verbis. dum fertur ad vlnas
Prin-

Timet Genitor ne blanditijs cedat.

Illum Virgini Deoque cõmendat.

Vidi ſeptem candelabra aurea &c. Apoc. cap. 1.

Gratia vobis à ſeptem Spiritibus, qui in cõſpectu Throni eius ſunt. Apoc. cap. 1.

Et de ore eius gladi⁹ vtraq; parte acutus exibat. Apoc. cap. 1.

Filium verbis animat.

Principis. Æternas, ò fili, reſpice Sedes,
Et te cum palmis fratres è nube morantes.
Sperne dolos; & vera Dei promiſſa ſequutus,
Aulæ Threicij Cælum præpone Draconis,
Quæ non aula; colubrorum ſed nidus, & antrum
Criminis eſt. ò nate, caue: ne deſere fratres;
Ne me; ne, nobis qui ſidera pandit, Ieſum.
Hæc memorat; natumque oculis, & vocibus vrget.

Accipiter Philomelæ nidis inſidians.

Non ſecus accipiter, volucrum pirata, tenellos
Luſciniæ pullos ſi fortè inuadit aduncis
Vnguibus & roſtro; ſe circumflectit, & omnem
Heu malè defenſum perluſtrat in arbore nidum.
Dum circumuolitat; ſiluis regreſſa propinquis
Mater adeſt, ſulcatque auras: nidoque minantem
Dum videt accipitrem; ruit illico territa; & eſcâ
Protinus abiectâ, miſerandis queſtibus arua
Implet, & alarum vertigine circuit hoſtem.
Imbellis iam bella mouet: tuba viua minacem
Terrificat: noto ſolatur murmure natos.

Puer defertur ad Tyrannũ, quem morſib. impetit, & refugit ad patrem.

Mahometes Gigas puer, Fauſtulus verò puer Gigas

Vt ſtetit inuiſis Mahometis Fauſtulus vlnis,
Colligit auguſtis Heroum robora membris;
Fitque puer, virtute Gigas; vt mole Gigantem,
Aſt animo puerum premat altâ mente Tyrannum;
Fit Samſon, Dauid, fit Numen nube coruſcans,
Et tonitru feriens, & fulmine. Flammeus irâ,
Pulchro terribilis vultu, ceu crine cometes,
Eluctatur in amplexus; & morſibus hoſtem
Indignabundus ferit, atque exoluitur vlnis;
Et redit ad patrem victor, labroque cruento,

Pater filium oſculatur & poſtremò alloquutur.

Hinnulus impauidi cerui, genioque probato,
Et patriâ virtute. Pater dedit oſcula nato,
Reflexâ ceruice (nequit nam brachia collo

Fle-

Flectere victori, duro quæ vincula nexu
Implicuere) ſuis ſic læta ciconia pullis,
Dum lacerant angues, & collo & carmine plaudit.
Nunc ambo moriamur, ait: nunc prole beatus
Mortis in amplexu viuo. Mea pignora, rurſus
Sic vos parturio; fuſo ſic ſanguine lacto;
In vobis Chriſtum ſic formo. Viuite, nati,
Heredes Cælo diuini ſanguinis: auri
Hæc vobis ſeruantur opes. at forte parentem
Iungite me veſtrâ: pœnarum munera Chriſtus
In commune locat: ſunt hæc æraria Regni.
Nunc agite ò Thraces; enſes, flagra, ſpicula, mortes
Ingeminate. tenet cæleſtem cymbula portum:
In tuto res eſt: onerant iam littora merces.
Ad palos religate ratem; vel mergite fluctu;
Tradite vel flammis; vel acuto figite ferro.
In tuto res eſt. præmitto ad ſidera natos,
Et ſequor. Emptorem reperit merx noſtra Tonantẽ.
Talibus in rabidas exarſit Barbarus iras:
Exurgit ſolio: vaginâ liberat enſem;
Oppetit & puerum: pueri per pectora ferrum
Tranſadigit, patremque ferit. Transfixus eodem
Vulnere vterque cadit: ſociantur cæde, cruore,
Enſe, loco, Pietate, Fide, nexuque perenni
Ætheris atque Dei. Pubes generoſa, Pudorem
Viribus hinc, animis, & ſanguine diſce tueri.
Sanguine turpatur; decoratur ſanguine Candor,
Si Veneris calet igne, Erebi caligine fumat;
Si caſtâ face feruet, erit Via lactea cæli.
Tæda diù viuit, feritas quam ventilat aurâ,
Quam furijs agitat, fuſo quam ſanguine paſcit.
Cum Duce conſpirant Thraces in crimina; rurſus

Serpente Ciconia pullos nutrit. Iuu. Sat. 14.

Filius cũ patre tranſfixus

Pudor feruore ſanguinis ſæpe turpatur. Aula hic albis. flagitia.

Kur-

Rurſus & arma mouent. Poſtquam mortalia morti
Pectora Chriſtiadum vouere; laceſſere bello
Aſtra, Deum, Diuos, & Matrem Numinis audent.
Obijciunt animæ canibus conclauia magnæ
Corpora Sanctorum: manibus ſacra ſigna cruentis
Conuellunt, nudantque aras: ſimulacra Parentis
Virginis exoculant, & ſpumâ pectoris ora
Sacrilegi maculant. Rurſus laſſata reſurgit
Chriſtiadum Virtus: mens omnibus vna, moloſſos
Ex aditis prohibere ſacris, & morte tueri
Relligionis opes, Inſtaurant irrita Græci
Bella. Palæologus primi Sclauuſque, Latina
Quorum ſæpe tubas implerat nomine Fama,
Thracibus obiectant animas. Ita robore maior
Ipſe ſuo, gladio Mathathias expiat aram,
Militis obſequio Iſacij, donoque profanam,
Quem ferit; & Iudæ patrias accommodat iras.
Sclauus in arma ruit, delubraque protegit armis;
Ianua fit Templi pectus; fit dextera cardo;
Fit fera cor; clauditque fores, & pectora pandit
Ferro inimica. tamen ſuperat vis impia: Sclaui
Sanguine veſtibulum fumat, Succedit, & hoſtes
Suſtinet enſe Palæologus, Sed limine in ipſo
Vidit vbi Syrium chalybe exultare Neronem,
Et iactare faces: Sophiæ dementia Templum
Sic, ait, ingreditur? Thraces ſtabula alta ferarum
Cum Duce perquirant: nobis pia Tĕpla relinquant.
Aut hinc fœdus abi; moriens aut morte litabo
Hac in ſede tuâ. Dixit; iaculumque vibrauit.
Exijt ære graui Mahometes protinus ictum:
Aſper, acerba ſonãs, hęc reddidit. Improbe ductor,
Opportunus ades: noſtro tu ſola furori

Nudatū Iac. ſuppellectile Tēplū Sophiæ ad omnes ſpurcitias patuit: oſſa Martyr. canib⁹ obiecta, & auibus: SS. Imagines aut luto fœdatæ aut ferro deletę: Altaria diruta: facta in Tēplis lupanaria Io: Boem. de Rit Gent.

Theophilus Palæolog⁹, & Io: Sclauus ſtrenui milites S. Sophię Tēplū defendūt. Hiſt.

Acceſſit quidā Iudæus in omnium oculis ſacrificare Idolis. vidit Mathathias &c. Mach. l. 1. c. 2.

Iudas Mathathiæ patris æmulator.

Sclauus occiditur in templi defenſione.

Paleol. in Mahom. voce inſurgit & ferro.

Mahometes illum voce ferit & ferro.

Vi-

Victima nobilior remanes, quia regia: ferrum
Experiare meum, ſi fortiùs imprimat ori
Vulnera. Pennatam torquet cum voce ſagittam.
Illa volans rupit transfixo in gutture vitæ
Spiramenta. Oriens quo bella regente refulſit
Relligione, Fide, Virtutibus, occidit. eheu
Quid data præda iaces canibus! probrumque Latini
Sanguinis, inuicto loqueris qui ſanguine, damnas?
Auxiliatrices quoties in prælia claſſes,
Conſtantine, vocas; cum regna tumeſcere ventis
Inciperent primis, & longè bella ſonare?
Sed Reges & Regna ſilent, Fideique procellas
Littore proſpiciunt tuto. Quid tuta putatis
Littora, dum pelagi nullo aggere ſtringitur ira?
Spicula ſi deſunt, opponite corpora. Regum
Hoc Regnum eſt: Fidei, venis ſeruire cruentis.
Indicat hoc, veſtro quod ſyrmate purpurat, oſtrum.
Sanguine nata Dei, ſeruari ſanguine Regum
Ambit adulta Fides. cadet illa? iacebitis omnes.
Fulciat vt Reges & Regna, attollite dextris
Armatis Pietate magis, quam cuſpide: at illa
Si baſis Imperio ſubſternitur, omnia peſſum,
Et Reges, & Regna dabit: namque omnia fulcit
Deſuper impendens. Tellus fulcitur Olympo
Circumagente ſuper, ſtellis radiantibus, orbes.
Occupat ecce Chion Mahometes: otia Reges
Ducunt aurati ſubter faſtigia tecti.
Helleſpontiaci freta menſus inundat; & arces
Vi capit, & pontem ſuper indignantia Ponti
Terga locat: Reges compoſiti pace quieſcunt.
Iam Regni Fideique caput iaculiſque doliſque
Occupat inſtructus: Regum conuiuia luxus

Sapè opē Græci à Latinis implorauerāt, ſed fruſtra: nec hi cæci viderunt cadente Græcia ruituram Chriſtianæ Relig. reliquam partem. Sylu. de Europ ſtatu. c.4.& alÿ.

Religio non ſtrata, ſed erecta regna fulcit. ſic terra à cælo fulcitur, quia cælo ſubÿcitur.

Nulla Latinorū excuſatio, quia Turcę proceſſere per gradus ad Cōſtantinopolis ruinam.

Inſtruit . ò peior cunctis pax impia bellis .
Arguerim nec te, Latij Pater optime Regni
Nicoleos: ſubicis gelidis , & inertibus ignes
Pectoribus , claſſemque paras . Sed ſubdola vultu
Græca fides , atque ore tenus ſociata Latinis ,
Inſidas quoque ſenſit aquas . diſcordia claſſem
Æquoris euertit ; mage ſed diſcordia gentis.
Dum ſecat æterni ſpirabile Numen Amoris ;
Diuinamque,Pater quam ſpirat, vt ardeat, Auram,
Æqualem Nato, ſuffocat Græcia ; venti
Conflignnt,naueſque ſecant,atque equore mergunt.
Hoc Teucri culpate malum , proſciſſaque corda
Diſſidijs primùm, mox ferro . Hæc fœdera ſunto
Veſtrâ digna fide; quæ olim ventura canebat
Morſenus , ſtimulante Deo; tabulâque minaci
Terrificiſque notis Leo pinxerat . Ite : quid vltra ,
Conſtantine , moras amiſsâ nectis in Vrbe ?
Sceptra iacent : ruit Imperium:fuga ſola relicta eſt.
Carpe fugam.qua parte ? cadauera montibus æqua
Obſtruxere fores , adituſque, & ſtrata viarum .
Ciuibus infelix obſeſſus & hoſtibus hæret ,
Turpe gemens : mox in voces via facta dolori .
Semita nulla fugæ ? ſit ſaltem prona furori ;
Sit lacrymis; ſit crudeli via peruia morti .
Conſtantine , tui ſunt hæc confinia Regni ?
Hæc tua caſtra ? tuæ congeſta cadauera gentis .
Hoc miſero ſolium erigitur ſuper oſſa ſuorum ,
Semineceſque artus ? hæc Regem ſerta coronant ?
Vt fugiam,calcare meos , mea viſcera , ciues
Heu fruſtra , Fortuna , iubes . Fata aſpera rumpam,
Meque meis addam; greſſu via nulla fugaci
Si remanet rumpenda . Virûm ſuper oſſa iacentum
Sor-

Nicolaus V. claſſem in auxilium mittit: ſed hæc fuit à ventis diſtracta in pœnam Grecorum, qui proceſſionem Spiritus à Filio negantes diuinam hanc auram diſtrahebant.

Tabula erat à Leone prophetice facta, cellulis diſtincta quadratis, in quibus ſeries erat Imperat. vſque ad hũc vltimum Conſtantinum. Leon. Chien. vbi ſ.

Tantus numerus cæſorum fuit, vt nec poſſent ingredi, nec egredi. Bzou. annal. c. 17.

Imp. Conſtantini Palęologi vitam deſperãtis vox.

Sortis apex miſeræ, poſtremorumque malorum
Dira coronis ero. Ferte arma; immergite venis,
Qui ſuperatis adhuc, ciues, ludibria Thracum.
Sub Mahomete morer vitam dominante pudendam?
Conditor atque Vrbis me, Conſtantine, videbis
Ire catenatis mea nunc per compita palmis!
Nominis hæc magni delebo ſanguine labem.
Fata pati poſſunt Reges, fortique ſubeſſe,
Non ignominiæ. Ferte arma; immergite venis.
Me peterem ferro; prohibent ſed iura Tonantis.
O Socij, vos eſte pij. Dubitatis? anhelans
Impius ecce aderit multa de cæde Tyrannus,
Pectoraque innumeris ſcrutabitur obuia telis.
Sed ſcrutetur: adhuc non torpet dextera; quamuis
Torpeat ingenti mens regia preſſa dolore.
Sic decet. In me Byzanti vis deſinat omnis;
Sed robuſta magis, dum deſinit. Emicat ignis,
Dum moritur, fumique globo indignatur & ardet.
Hæc ait; & gladio quærens compendia vitæ,
Qui ſuperabat adhuc, perrumpit tramite in hoſtes.
Tot ceſſare manus queritur; ferrumque coruſcat,
Vociferans. Acies in me conuertite, Thraces.
Conſtantinus hic eſt. Sceptris aſſueta, catenas
Non hæc dextra feret. vincor, quia vincor Olympo
Infenſo Danaûm conatibus. illius armis
Non Agarenis cedo; Diuiſque Deoque
Inuiſi morimur, ſed non moriemur inulti.
Hæc ferus increpitans, & inexpugnabilis enſem
Euibrat; atque acies pariter diuiſus in omnes,
Hos ferit atque illos: par eſt tot cædibus vnus:
Hos premit, & premitur; clypeoq; intorta, retorquet
Tela: gradum firmat; celeres mox turbinat artus:

Conſtantini Imperatoris vltimus in bello conatus.

Agmina mox denſata aperit : fugientibus ictus
Incutit, & parmâ propugnat pectora, circum
Dum ſeſe rurſus glomerant, iaculiſque coronant.

Cuſtodes ouiũ canes cum venaticis exercent odia.

Non ſecus in campo ſi fortè lyciſca moloſſum
Spectat ſollicitis venantem curſibus apros,
Quotquot oues ſeruare canes circumſpicit, omnes
Excitat ad pugnam baubatibus. ocyùs olli
Accurrunt, denteſque rotant, ſeque ore viciſſim
Extimulant, numeroque magis, quam robore certãt.
Se tegit ille oculis; nec ſegniùs inſtat : in omnes
Obijcit huc illuc rictus, ſeque ipſe recedens
Circuit, & tacitis diſpenſat morſibus iras.

Mahometes Conſtantinum inuadit. Illudit: Vulnerat: Occidit. Conſtantinus, quãdo per portam S. Romani Turcæ irruerũt, obibat mœnia ipſe, & alij Proceres inſpiciẽdi cauſa. tunc obuiã facti hoſtes pugnam commiſerunt, in qua caput ei præciſum eſt pugnãti & ſeruitutem ſubire nolenti. Auctor Hiſt. Polit. Turcog.

Ecce autem, multâ dilapſus cæde, Tyrannus
Vt vidit ceſſare metu, & rareſcere Thraces,
Rege manu turbante animas ad Tartara, telum
Extulit & vocem. Socij, diſcedite campo:
Incluſiſtis aprum : ſatis eſt : venatica Regi
Gloria debetur. quæſita indagine longâ
Per montes fera, per ſaltus, pretiumque laboris
Conſtantinus ades. Regem Rex vulnerat : artus
Vos venatores diſcerpite : at omnibus vnum
Nobis pro membris dabitur caput. Erige frontem :
Haud, mê rege, cades : Syria ſublimis in haſta
Erectâ ceruice, iterum dominaberis Vrbi.

Impulit his dictis tremefactum protinus agmen
In Regem : ſimul ipſe iræ pallentia flammis
Ora gerens, tota connixus mole, bipennem,
Dum miſer obruitur numero, dimiſit in ictus.
Inſedit collo vulnus; dubiâque natantes
Luce oculi rubuere Ducis, mortemque minantes
Morte vel in media; donec diademate terram
Pulſauit, caſuque Vrbem & ſe inuoluit eodem.

Non

Non ſecus annoſam motare bipennibus inſtant
Certatim agricolæ pinum, regnoque virenti
Vellere, dum famulis ambitur plurima ramis.
Dum latus abrumpunt, antiquo robore ad ictus
Cruda manet, tremuloſque tenet quaſſata lacertos.
Mordaci tandem ferro perſtringitur: inde
Inſigunt lateri cuneos, & vulnera crebris
Pulſibus ingeminant. queritur ſub verbere: vires
Proiicit indignans, & cædere cæſa minatur;
Et caſura, hoſti meditatur pondere caſum.
Denique procumbit cum ſtirpibus eruta pinus,
Atque arbuſta trahit ſecum, reuoluta per agros.
Dum iacet;agricolæ approperant,crinesq;comātes,
Et caput obtruncant, actoſque ad ſidera ramos.
Abſcidit at poſtquam Mahometes colla ſecuri
Regia; ſuffixum lacerum caput extulit haſtâ.
Proh pudor! infando coma formidata Tyranno
Ponitur, obliquo rorat dum languida roſtro,
Ludibrium vulgi. Titan auerte iugales,
Atque vias ordire nouas: non ampliùs Ortum
Hinc metire,ſed Occaſum:hęc ſint Regna ſepulchrū
Luminis atra tui, non cunæ. Diſce ruinas
Ex hac cæde tuas, Mahometes: aſpice vulnus, *Huius calamitas aliorum doctrina.*
Quo Regem truncas. capitis iactura reuulſi
Eſt collo penſanda tuo. Deus omnia verſat; *Poſt obitū Imperatoris hæc Regio dignior occaſu Solis quam ortu.*
Et numquam ſiccâ Regum mors morte piatur.
Vtere ſorte breui. Dormitant ſidera numquam,
Lauretana magis vigilat ſed Diua. cateruas,
Chriſtiadum multo potatas ſanguine, crudo *Nil ex hoc dicit Mahomet.*
Tu quoque dū friges ſtomacho, iam digere noſtris
Et vome virus agris cum regno, milite, vitâ.

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXVIII.

ARGVMENTVM.

Capta Conſtantinopoli, totius Italiæ ſtragem Turca meditatur, & S. Cellæ rapinas. Calliſtus III. Io: Capiſtranum & Hunniadem Coruinum ex Hungaria cum exer. in Thracem immittit. Turca Belgradum obſidet. Chriſtiani inter fauſta Crucis prodigia ſe tuentur. Hungaricus miles in vertice turris cum hoſte confligit, ſeſeque cum illo deturbat in præceps. A Coruino & Capiſtr. ferro & Cruce pugnatur & vincitur. Turcæ à Turcis occiduntur. Mahometes vulneratur: fugit: deſperat. Coruinus in Templo Virg. moritur & triumphat. Poſt hanc victoriam, ope Virg. Lauretanæ relatam, Orbem totum eius S. Cellæ fama vagatur. Vltimi Diſcordiæ conatus.

Turca vſus victoria Italiam exitio deſtinat. Calliſtus III. Lauret. Domũ tuetur, qua ſalua, nil timet. Rod. Borgiã, & Lęl. Melianum cũ legatorũ Pont. munere copÿs præficit. Veniunt ambo cũ ſuo vterque exercitu Lauretum: ibi pacem veniamque à Deo Deique Parente comprecati &c. Turſ. l. 1. c. 29.

TErtius, & triplici redimitus cyclade Præſul
Calliſtus mouet arma: mouet cũ Preſule Virgo.
Hic iubet acciri geminos è ſtirpe nepotes,
Munus & allegat belli. Tranſcribo labori
Hæc veſtro mea ſceptra, inquit: vos ſanguine veſtro
Atque meo, Latio Syrium exturbate latronem.
Ite: meâ pro Sede animas offerte periclis:
Sternite Threicios: componite pace Latinos.
Ante ſed anguſtis Laureti carpite ab hortis,
Quæ Pietate virent, lauros. Sint omina pugnæ.
Virginis in Laribus Legatio prima ſalutis
Extulit è gremio bellum pacemque. Refulſit
Purpura ſic Fabij, dum bella refunderet hoſti

Ex-

Excuſsâ de nube ſinus. vos ſanguinis oſtro
Pingite diuini chlamydes, vbi ſanguine Numen
Bella Erebo, & terris accendit ſyrmata Pacis.
Pontificis Legati alacres mandata faceſſunt.
Vixque Dei tenuere fores; cum bellica virtus,
Et tacita impleuit pectus vox. Ite gemella
Sidera: raptores, ſcelerum quos protegit vmbra,
Candida lux feriet, noſtro quàm ducitis ore.
Dirus in extremo Mahometes margine ſortis
Dum ſedet; in præceps vos niſu impellite noſtro.
Sic Reges, ſic Regna iacent, quibus vnica moles
Machinaque, vt ſurgant, fit Regum cæde cruenta
Ambitio, feritas, & cæca ſuperbia. Ciues
Huic ceſſere mei, non ſanguis. gutta cruoris
Miles erit; multæque vno pro milite turmæ
Emergent fumante ſolo, bellumque nouabunt.
Mê ſpectante, meam ferro ſi diruis Vrbem;
Anne Domum, ſcelerate, meã, mea munera perdes?
Ex Oriente tibi victoria fulſit. Amoris
Hæc Domus eſt Oriens: Oriens te deuouet vmbris.
His monitis accenſi animi, Martiſque voluptas
Permeat innumeras cæleſti numine gentes.
Pannones in bellum conſpirant, Teutones, Hunni,
Hunniades quos conſilio dextrâque gubernat,
Extimulare acies Pietate aſſuetus & ore,
Aliger in Templis, pariterque in Martis arena.
Hunniades Thracum terror, quem ſemper in armis
Horribilem ſenſere Ducem Dominumque ſubacti.
Cui parerent ſi bina parem felicia curſu
Secula; Byzantum, Solymæaque Regna leuarent
Colla iugo, maniciſque manus. Collega laboris,
Vox exercituum Domini diuina, tubæque

In hoc ego ſinu bellum affero, & pacem? vtrũ eligitis, vtrũ placet, ſumite. Flor. l. 2. c. 6.

B. V. ad legatos intima vox

Multi ſacrum in bellum conſpirant.

Hũniadis nomẽ apud hoſtes adeò terrificũ fuit, vt plorantibus pueris matresfamilias taciturnitatem non aliter imperarẽt, quam Hunniadis præſentiã minitantes. Io: Boem. de mor. Gent.

Io: Capiſtranus Franciſc. potens verbo, & exemplo cum Hunniade arma mouente, Crucem gerit, & mouet in bellũ. ex Turſell. lib. 1. c. 25 ex A. Bzou. c. 17. &c.

Aura triumphalis, manus Omnipotentis, amicæ
Pacis amor, bellique timor, doctuſque ferire
Voce potens, Virtute, animo, vultuque, Ioannes
Tela Capiſtranus capit. at quæ tela? ſalutis,
Vt Thraci ſit nulla ſalus. Crux armat inermem,
Teſſera Chriſtiadum; bellantis lancea Pacis;
Iud. 7. Fortior & gladius gladio Gedeonis; honoris
Huius armatura. Æterni ſtimulus, triplici quem infamia clauo
Nobilis effinxit: dulce irritamen Amantum.
Pauperies lorica ducis, caſſiſque cucullus,
Cento ſagus, frontis demiſſa modeſtia criſtæ,
Paupertas nihil habens omnia poſſidens. Contemptus vitæ clypeus, nihil omnia. Tantis
Sub Ducibus pone arma: fugam meditare pudendã,
Hoſtis amare, polis priùs aſtra, & cardine Mundum,
Et pelago ſcopulos, monteſque è ſedibus omnes,
Fortitudo, & Pietas. Cunctaque ſubuertes; Pietati iuncta Deoque,
Dimoueas quam caſtra loco ſic nexa. nec vnquam,
Teſtudo animorum inuicta. Chriſtiadum compoſta animis, teſtudo fatiſcit.
Scylla vorax tamen ille Orbis, fortiſque futuræ
Ignarus, iaculis ſpirans immane cruentis,
Mahometes Belgradum, ſiue Albam obſidet 150. m. bellat. Bzou. ad ann. 1456. Signa canit rurſus. Bellantum millia centum
Quinquaginta rapit ſecum. Sub claſſe fragoſus
Extimuit veniente Sauus, monteſque propinquos
Admonuit ſonitu, & turbatis palluit vndis.
Hungaricis iam Luna plagis Othomanica fulget;
Copiſt. Cruce, Hunniades gladium attollunt. Attonitæque premunt natos ad pectora matres.
Adſuit Alcides geminus: clauamque Tonantis
Alter habet; gladiumque alter: Virtute ſed vnâ
Hunniades, humeroque vno, dextrâque Ioannes
Suſtentant belli molem; forteſque Polonos,
Pannonicaſque acies, Germanorumque maniplos
Feſtinare iubent, quò turbo, & bellica nubes
Incli-

Inclinant, ſtragemque parant. Se denique prodit:
Proſcindit fraudum nebulas; atque ingruit Albæ.
Belligeris hæc fœta viris, qua parte Triones
Reſpicit; atque gelu, viridi nudatur amictu;
Danubio alluitur, qui ſexaginta ſub aluo
Flumina complectens, cum murmure fertur in ęquor.
At quà proſpectat morientis lumina Solis,
Errat; & amne Sauus placidè diſterminat arua,
Et nemoris pingit viridantis imagine fluctus.
In geminos claſſem Mahometes diuidit amnes.
Centum Baſſeus premit indignata carinis
Terga Saui, & multo plorat ſub remige flumen:
Danubij reliquis Mahometes nauibus vndas
Alligat. Hinc lymphis ſe vectigalibus ire
Tardiùs in pelagus miratur, & obruta mole
Colla dolet fluuius, gelidâ lymphatus erynni.
Arbore centenâ ſpumare propinqua Ioannes
Littora dum vidit; ſuperas in bella phalanges
Ducturus, ſubit arcanum prope littora Templum.
Colligit in frontem, geminis pendentia vittis,
Lina repanda: humeris mox aptat, & explicat alba
Mox promiſſa tegit corpus; nodoque tenaci
In geminum reuocata latus, criſpataque, velum eſt,
Ore Sacerdotis quo ſpes enauigat Orbis,
Et precibus ſubit aſtra. Rigēt vaga ſtamina punctim,
Mentito circum depicta in margine flore.
A collo in geminas quærens diuortia partes,
Pendula Zona humeris lapſu deſcendit honoro,
In geminos diducta pedes, tranſuerſa ſub armo,
Et premit obiectu turgens ad pectora linum.
Zona minor læuum decorat partita lacertum,
Quod cruce ligat iniectâ. toga penſilis vlnas,

Alba à Septemtrione Danubio, ab Occaſu Sauo alluitur

Mahometes in duo caſtra exercitum diuiſit, alterum præter Sauū, quib⁹ Baſſeus aſſit, alterum præter Danubium, quibus ipſe præerat, ri-te locat. Abr. Bzou. ad ann. 1456. c. 17.

Capiſtranus ante prælium in ara prope Belgradi ſiue Albæ muros Sacrum facit. Bzouius.

Sacerdotis ſacræ veſtes.

Et duplex fugit ampla latus, quam fila colorant
Dædala, ſacrifici venerabile pondus Amoris.
Protinus armatum circumſtant agmina Myſtam.
Collectæ.
Linguis turba fauet precibuſque; & vota Sacerdos
Ore repræſentat, Stygias quo territat vmbras.
Sacrificat.
Iam facit: attonito iam victima mittitur Axe:
Iam magnũ mens alta premit; Superûmq; Parentem
In terris parit ore Deum, qui paupere lino
Diuitias, Cælum, Superos, ſe claudit. in auro
Iam redolet ſanguis, bibimus quo gaudia; Numen
Æternas quo ſpargit opes, quo prodigit arcam
Cordis inexhauſtam, quo nauigat alma voluptas,
Quo dolor & mœror demergitur, enatat Orbis.
Sidereo Deus è ſolio ſacra verba ſequutus,
Vt ſtetit, obductus niueo velamine ad aram,
Vtque Gigas exultauit, Cælumque recluſit
Abditus, atque ſuam retulit ſine ſanguine mortem;
Extulit hunc manibus, populo ſpectante, Sacerdos,
Vexillum Fidei, ſignum immortale ſalutis.
Flammæ cæleſtes per aram volitant: mox coronant populi Sacrum audientis caput. Ara fit armamentarium.
Vertice adoratur prono. mox omnis in ignes
Viſa migrare domus: circumque, ſupraque vagantur
Lapſibus innocuis ſpectantum in fronte fauillæ.
Bellica fit turris, clypeis pendentibus, ara.
Quæ natat in vitro Pallas lucetque, cometes
Thracibus obuerſo fit crine; faceſque, niuali
Quæ rutilant cerâ, ſunt ignea tela. Sacerdos
Pro tunica thoraca gerit, pro frontis amictu
Crux, quæ erat in ara euanuit. Iuſſe per augurium amiſſa cruce ducuntur.
Criſtatam flammis galeam; pro fune legente
Prolixam in nocum tunicam, collo aureus errat
Balteus. Attonitæ ſpectant dum monſtra phalanges,
Intonuere poli: media crux tollitur arâ,
Eripiturque oculis. Pauor exultantia corda,

Læti-

Lætitiâ fugiente, premit. Victoria Mundi,
Crux abit, exclamant: vicino vincimur hoſte.
Quæ ſuper impendent, ſignant incendia flammæ
Vrbis & agrorum. Socij, fugiamus. Euntes
Voce Capiſtranus reuocat, qua Numen Olympo
Duxerat in Cererem; peragitque incepta ſerenus
Corde magis, quam fronte; licet facientis in ore
Flumine ſplendorum lux aurea ſtagnet. At ecce,
Paſcitur Aligerûm dum fruge; tonitrua cælum
Edidit, & tonitru Titan ſine nube ſonorum
Miratus, repreſſit equos: Sauus omnibus vndis
Territus Odryſias quaſſauit gurgite claſſes:
Danubij diſcuſſa comis natitauit arundo;
Turbatumque caput tacitis dum conderet antris,
Illud in Odryſijs impegit nauibus; & ſe
Colliſere rates. Animos timor oſſaque Thracum
Frangit, & è toto prorumpit corpore ſudor.
Tela cadunt pharetris; atque incumbentia remis
Brachia lenteſcunt ſine robore, velaque cæcâ
Tempeſtate tument. Poſt fauſta tonitrua, rurſus
Crux redit ad mediam, ſtellis comitantibus, aram.
Igne decuſſatum pulchro ſed miſſile telum
Crux erat. ignitas hæc litera marginat oras:
Macte animo: tibi ſola feret conſtantia palmam.
Dum legit, exardet; vocemque manuſque Sacerdos
Tollit in aſtra: Sagitta mei, Crux, aurea cordis
Salue, inquit: mihi fige animam; fige hoſtibus artus:
Omne mihi, dilecta, nefas in pectore ſicca;
Atque omnes ardore pio bibe flammea venas.
Thracibus vre animam, flammis accenſa furoris:
Namque faces odere bonas. hos luce timendâ
Merge vmbris: trahe ſanguineos è cordibus imbres.

Procliues in fugam nutu & authoritate ſiſtit Capiſtranus.

Sumente S. hoſtiam Capiſtrano cælum intonuit.

Tonitru agitantur flumina, hoſtium claſſis, & animi.

Crux ad arã redit.

Cum Capiſtranus celebraret miſſam ante Belgradum, ſagitta cælo delapſa in medio aræ ante eius oculos apparuit his aureis literis inſignita: Eſto conſtans. Bzou. ad ann. 1456. c. 17.

Crucem ſalutat.

Ceu

Ceu iaculum, qua cor penetras, acuatur amore
Atque furore acies. gemino ſic miſſilis ictu
Cuſpide terrificâ Stygij capita atra Draconis
In virga myſterium Crucis agnoſcite. S. Aug.
Figis, & inſinuas homini per vulnera vitam.
Si tua Niliacos populata eſt vmbra penates;
Contriuit Pharaonis opes; ferrugine Solem,
Æthera contexit tenebris, & polluit auras;
Vitrea ſi fœdo violauit flumina tabo;
Si matrum ferro ſobolem diſtraxit ab vlnis;
Ad ſua ſi viles animas vexilla vocauit;
Ranarumque acies, culicumque volantia puncta
Et viuis reſonare tubis & prælia ferre
In Peluſiaci iuſſit penetralia Regis;
Nunc arma in Thracum renouata flagella ruinas.
Hæc mare Hebræis aperuit, & Aegyptios demerſit. ex c. 14. &c.
Hæc eadem ſi virga, tuæ virtutis imago,
Strauit Erythreas vndas, frenoque liquenti
Æquoris indomitas facilè compeſcuit iras:
Hæc iter Iſacidis ſi per maris antra recluſit
Naufragijque viam patrias Orientis ad vrbes;
Mole ſed Ægypto ſtragem fabricauit eâdem,
Niliacoſque dedit Pelago Nilumque vorandum:
Pluuia lapidū ignitorum cecidit in Aegyptios.
Si telis grauidas nubes lapidumque procellâ
Caſtra inimica ſuper lethi patefecit in imbres,
Crux mea perge: Salutis eris Paciſque ſagitta;
In Syriam ſed mortis eris. Tu ſanguine Thracum
Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriā. Reg. 4. c. 13. Capiſtranus ſuos hortatur ad bellum.
Inſice Danubium: Sauus oſſibus albeat; altas
Obſtupeat ſuperari vndas, exhauſtaque membris
Flumina congeſtis. tetrâ caligine Lunam
Obrue Threiciam. tu pugnæ robur. Ad arma,
O Crucis armigeri, læti curramus, ad arma.
Hoſtis adeſt; ſed Chriſtus adeſt. Iam mœnia quaſſat
Machina muralis: Deus eſt mihi machina belli.

Obrui-

Obruimur numero : Chriſto defendimur vno .
Vna ſalus , nullam , niſi ab hoc ſperare ſalutem .
  Interea vada ſollicitat pulſata carinis ,
Deſcenſumque parat , viridi velatus oliuo ,
Odryſiæ Ductor claſſis : turmaſque feroces ,
Talibus ipſe ferox in prælia vocibus aptat .

Mahometis ad ſuos adhortatio .

Res iacet extremo , Socij , Romana ſub ictu ,
Et Chriſti probroſa fides , Regnumque Latinum.
Spes victis Orientis abit : ſubiecta Trioni
Hìc ſunt Regna ; meæ meliùs ſubiecta ſecuri .
Oceanum cinxere rates , Thracique Profundum
Iam didicit ſeruire : vndas quacumque mouemus
E regione , meis modò iuſſis vertitur æther .
Occiduas iam quæro plagas; vt Iuppiter Orbem
Maximus amplectar . Deerunt ſi prælia terris ,
Sidera conuellam cælo , Superoſque laceſſam .
Italiæ pupilla , oculos tu denique noſtros
Allicis atque rapis , noſtris rapienda ſed armis ,

Mahometes Romam ſuo deſtinat Imperio .

Inclyta Roma . tuas ſuſpiro ſanctus ad aras :
Ad tua Templa animus , pietate inſignis , anhelat .
Inde manu iuuat innumeras , ſed ſupplice , gazas ,

Contemptor Dei & illuſor

Magnæ Relliquias fidei Mundique ſubacti ,
Attrahere in prædam . Picenæ Virginis Ædes
Hoſpes adorabo , lapidumque intacta rapinis
Corda gerens , prædabor opes . Vos, agmina, Regi,
Et vobis iter inuicto iam ſternite ferro .
Alba viam vaſtata aperit . Dum talia iactat ,
Præſidium Hunniades , in morem turbinis , inſert,

Hunniades per mediã hoſtium claſſem ſubita vi milites infert vrbis in præſidiũ Hunniadis cõcio .

Diſruptâque carinarum compage , per hoſtes
Tramitem agit ferro , ſocioſque ita vocibus infert .
Siccine, magnanimi, Chriſti pars maxima Regni
Vnius prædonis erit, qui Solis ab Ortu

Victor,

Victor; in Occaſum vergit; Mundique bipennem
Intentat capiti! Pelago detrudite monſtrum,
Traxit auaritiâ quod Regna, libidine nuptas,
Pectoribuſque animas feritate, animiſque ſalutem.
Chriſtiadum in cædes enſes, ergaſtula, virgas,
Vincla fatigauit. ſtipant infanda Tyrannum
Supplicia: Impietas, mentem laſſata, quieſcit
Pœnarum inuentis; Regique vt ſeruiat, atrox
Conſulit ingenium Ditis, populumque nocentem.
Et viuit! pereat, qui ſtragibus inficit auras.
Exuit ille hominem: pietas humana quid hoſti
Parcat inhumano? Naturæ prodita iura,
Vos occiſorum Manes, ſuſpiria matrum,
Natorum gemitus, Solymæ fumantia ſaxa,
Funera Byzanti, natitantes ſanguine foſſæ,
Polluti thalami, delubra carentia cultu,
Virginitas violata, fides: pauor Orbis, Olympi
Gloria, Roma, Deus, vos hæc ad bella requirit:
Vos ſeruatores rogat, vltoreſque Tyranni.
Hæc ait, & pugnæ ſacros inſpirat amores.
Protinus in bellum feſtinant vela moueri.
Lux aderat, ſed prima. tubæ ſonuere, latuſque
Hunniades dextrum, læuum è regione Ioannes
Occupat: ille enſem, Crucis hic meliora coruſcat
Fulmina. Cauſa duos eadem ſic nexuit olim,
Relligioque Duces: cruce Moſes, Ieſus at armis
Pugnauere Dei certamina. Cornibus hoſtem
Barbarus vt vidit preſſis procedere; claſſem
Ignitis aperire globis, iaculiſque laborat.
Sed coiere magis naues, iunctoque propinquant
Robore. commiſſæ tremuerunt; roſtraque roſtris
Fixa gemunt. ſtrident impulſu littora circum,

Extenſis manibus in figurã crucis, dũ Ioſue ferro pugnabat, fugauit Moyſes Amalec. ex lib 17. exod.

Hunniadis naues ſimul vnitæ claſſem rumpunt hoſtilē. colliduntur naues.

Vici-

Vicinæque calent acies; confunditur ira.
Primus Chriſtiadum maculauit ſanguine fluctus
Velpius, immiti truncatus acinace Senith.
Poſt hunc in Decij collum ſonat alta ſecuris.
Teutonicâ Latio inſertus de gente Viſinghus
Tertius occumbit, corpuſque relinquit in vndis.
Vulnera vulneribus compenſant Teutones. Vno
Saucius in fluuium Sarnarber concidit ictu:
E rupto fundit Menafis thorace cruorem.
Lapſantem manibus Calypham dum tollis, Afida;
Corruis è puppi, ſurgentis Agenoris enſe.
Te tua quærit Omar, cecidit quæ dextera: telum
Corde trahis, Meloch. mactantur plurima morti
Corpora Turcarum. Triplici ſic vulnere fixa
Pectora Chriſtiadum reſerarunt oſtia centum;
Vt vindicta ſinum Thracum generoſa ſubiret,
Extraheretque animas impuro ſanguine merſas.
Inſurgunt iuncti ſtudijs, & funera portant
Hoſtibus Odones; validiſque excuſſa lacertis
Spicula in aduerſos iaciunt. Calegus, Ebuzer,
Fortis Amurates, Aladola, Emoſora, Niſar
E ratibus cecidere omnes. pro ſanguine venas
Implent Danubio, multo quem vulnere potant.
Plurima rumpuntur Parcarum ſtamina; tela
Pectora dum rumpunt: velluntur verbere puppes;
Verberibus voces miſcentur, vocibus vnda:
Vox ſonat, vnda fremit; vox vndis, vndaque voci
Conſonat; abſorbet querulas cruor vndaque voces:
Enſis agit ſtrages, non pila ſonantia longè:
Diſſita corda odijs, cædis iunguntur amore:
Pectora pectoribus ferrum conſerta reuellit,
Inſertaſque manus manibus: morientia mortes

Collatis in Danubio ſignis fluuialis pugna conſeritur. effertur immenſus vtrinque clamor & creſcitantium fragore tormentorum Danubius intonat Bonfin. Dec. 3. l. 7. & 8.

Cor-

Corpora, dum pedibus ſunt interiecta, morantur.
Vulnera ſed calcant, vt vulnera cominus hoſti
Inſigant; liquidoque labant veſtigia tabo.
Corpora corporibus voluuntur, telaque telis:
Ipſa ſuo certant reuoluta cadauera caſu:
Proſternunt proſtrata: iterant imbellia bellum;
Abſque ictu feriunt deiectáque tela ruentes.
Deſudare ſuas dubio ſub Marte cateruas
Vidit vbi ductor Thracum; nec poſſe triremes,
Chriſtiadumque animos fixis proſcindere roſtris,
Tunc placuit ſimulare fugam: retroque recedens,
Rurſus in oppoſitas maiori robore naues
Fertur. At impulſu ſpatio ceſſere carinæ,
Odryſijſque dedere locum. Baliſta per auras
Sic impulſa ſuo labefactat pondere muros,
Præciditque arces: audax vis omnia vincit.
Odryſius vada pertentat; ſocioſque paratis
Pontibus exponit. Tunc omnis mœnibus ardor
Bellantum bellique calet. Manet ardua virtus
Chriſtiadum: Thracumque globus quà fortior vrget;
Deſuper euoluit nudis vibrata lacertis
Saxa faceſque. Furit rabies incenſa Tyranni;
Molirique parat, pluteis tutantibus, ima.
Ecce autem plenis Baſſeus in oſtia velis
Per vada tuta Saui naues tranſmiſit. arenam
Præripit; & muros Albæ violenter adortus,
Quà deſenſores rarâ cinxere coronâ,
Concutit, atque aperit. Rapit impetus agmina, verſis
Poſtibus, & mediâ penitus dominatur in vrbe.
Non tulit Erneſtus iam victos vincere. Centum
Colligit in pugnam Iuuenes: & numine Diuûm
Haud dubiam in mortē, dum circumfunditur armis,

Hũniades aperit hoſtiũ claſſem. Infert præſidium. Dum deſcenſionem parat, fit pugna. Mahometes dolo fugã ſimulat. mox redit. Ab vtriſque itur ad muros: a Chriſtian. vt tueãtur, à Turcis, vt demoliantur. Interim Baſſeus, dum hi pugnant cæco marte, per eam vrbis partem, vbi rarior erat miles, ſuos immittit, & inſcio ſuo duce Mahomete Alba potitur. Id. Centum Iuuenes Albani Thraces pellere ab vrbe contendunt.

In

In fora Threicijs vadit pauitantia turmis.
Chriſtiadas pudor, audaces victoria Thraces
Efficit. Erneſti virtus ſed vicit ouantes,
Atque ſuo Patriam caſu, Mundumque leuauit.
 Turris erat, quæ fronte forum complexa, ſuperbū
Aëre ſepta caput, proſpectu mœnia lato,
Atque Albæ ſpectabat agros. Hanc ſignifer arcem
Exuperat, vexilla ferens Calybiſta, daturus
Signa ſuis captæ furijs victricibus vrbis.
Cæca furore, aderat nam circum plurima muros
Turba; nec in media ſocios aduerterat vrbe,
Rarus vbi miles, fractis excurrere portis.
Vidit vt Erneſtus ſcandentem culmina Thracem,
Figere & in pinnis Lunaria ſigna parantem;
Occupat, & prohibet. Magni fit arena duelli
Turris apex, pugnæque ſuæ ſpectator vterque
Stant nexi implicitique: coërcita perfurit ira.
Cominus Odryſio fit pondus inutile telum;
Nudus & Albano gladius deſcendere in ictus
Abductâ nequit arte manu. Duo fulmina turrim
Viſa ferire, ſuis armata & concita flammis.
Martem ineunt animis, & inexpugnabile pectus
Fit telum: galeas allidunt, ſcutaque ſcutis,
Tempora temporibus. thorax thoracibus ictus,
Et caput impactum capiti, frons ſaucia fronte,
Atque manus pulſæ manibus ſunt arma furoris.
Submouet Erneſtus Thracis vexilla: ſed ille
Erigit. hic lacerat: ruit alter: & alter in auras
Signa mouet; remouetque alter; diſtorquet, & vltrò
Se ſuper immittit, proiectus corpore toto.
Deiectum Chalybiſta premit, verſatque, trahitque
Irritus, & vellit preſſis inſignia palmis.

Turca turrim ſubit, vt ibi vexillum figat, & ſuos inuitet nondum ingreſſos. Hūc ſequitur Hungarus, &c. quia extorquere vexillum non poteſt, poſt conflictum ſe cum illo proijcit è turri. Henr. Sedul. apud Bzo. an. 1456.

In pugnam redit Erneſtus, meliorque inuentâ:
Chriſtiani militis ſuum, & hoſtis caſum meditantis in uicta vox.
Quando, inquit, non arma iuuant, armabimur hoſte.
Tu mihi fulmen eris ſublimi è turre caducum:
Mole tuâ te vibro: necem ſtragemque volutus
Ipſe tibi tecum deſer. conuellere ſigna
Si nequeo, mortis nexu ſociabimur ambo;
Victoreſque ſimul, victique æquabimus arma.
Te pro vexillo videat pendere Tyrannus,
Et ruere Odryſiæ ſignum fatale ruinæ.
I. ſequor: ipſa mihi ſunt funera mollia; caſu
Si premo te noſtro. dum detrudaris ad vmbras,
Tundere fronte ſolum, ſed ſidera tangere famâ
Sic iuuat. Alma Fides, pro qua deturbor, in altum
Tolle animum, dum corpus humo proſternitur imâ.
Thracem amplexus in apicem turris aſcendit, vt inde ſe cũ hoſte deturbet.
Hæc ait; & Thracem validis innexuit vlnis:
In nodum latus arripuit, ſiccumque cruore
Elidens guttur, manibuſque & pectore inhærens,
Stat dubius, qua parte cadat. formidat, & audet;
Angitur, atque angit; duro ſub pondere anhelat
Intrepidus, trepiduſque: & atroci turbidus ore,
Viribus obluctans, in culminis ardua ſurgit.
Efferus immani cœpto, nodoque tenaci
Turca quærit ſe ab hoſte fruſtra exſoluere.
Implicitus Chalybiſta, ſinus obliquat, & vrget;
Pectoris appulſu ferit implacidiſſimus hoſtem,
Et labyrintheas vanis aſſultibus vlnas
Nititur extricare ferox. Iouis aliger anguem,
In ſua non aliter ſe ſpiris membra plicantem,
Pertrahit in montes; humectantemque veneno
Lethifero pennas, rabido tamen ore fatigat.
Iam ſummo turris feruebat margine pugna;
Cum ſubiecta oculos Erneſtus in agmina voluens,
Triſte rubens, fremuit, dixitque nouiſſima verba.

Ex

Ex te quam duxi, voueo tibi, Patria, vitam;
Sed tibi Chriſte animã: hoc ſaltu ſubſultet in aſtra.
Hæc fatus, Thracemque tenens, extremaque in auſus
Robora deducens, turri ſe iactat ab alta,
Et ruit in præceps Thracum ſuper arma, ſuumque
Portat onus, lethoque ſuo ſe perdit, & hoſtem.
Aſt alliſa licet fracto ſint oſſa cerebro,
Luctetúrque animus vicinâ morte; tenorem
Seruat adhuc, morienſque mori non creditus, atro
Territat Odryſios vultu, ſpiratque timores:
Durat adhuc rabies; nec te, Calybiſta, cruento
Deſerit amplexu: tibi ſtragem ſtratus inhalat;
Et gaudet periiſſe tuo de funere victum.
Æmula in Albanas deſcendit gloria turmas
Militis è caſu: ſed Thracis cæde iacentis
Thracia vis iacuit. Sic vortice flamma rapaci,
Ignitiſque voluta globis, Boreaque ſonanti,
Dum piceo circumſtridens volat horrida fumo,
Et paſcit populata domum; ſi fortè ruinam
Tecta ferunt ſuper acta Notis incendia, vires
Amittunt, lapidumque ſedent ſub mole ſepulta,
Robore victa ſuo, faſtu, paſtuque nocenti.
Cordibus vt Iuuenum furor additus, agmẽ ab vrbe
Pellunt Odryſium, captum formidine turpi,
Quam Deus immiſit, venis animiſque furentem.
Dum redit ad muros, vexillaque ſponte relinquit,
Militiæque notas, Othomanoſque abiicit arcus,
Spicula dum ponit, iaculiſque ſilentibus, vrget,
Qua data porta, fugam; quatiunt qui mœnia, Thraces
Currere laxatis ciues terroris habenis
In loca tuta putant, tectis atque vrbe relictâ,
Et vitam, Patriæ præferre labantis amori.

Chriſti miles ſe ab arce cum hoſte deturbat.

Ex hoc euentu additi animi Albanis, Turcis verò timor.

Ignis ſæpè extinguitur domus ruina.

Turcæ ab vrbe fugantur.

Turcæ, qui cũ Mahomete muros oppugnabãt, neſcij ex alia murorum parte à Baſſei milite vrbem occupatam, eumdẽq; abiectis Othomanicæ militiæ notis panico terrore fugari, putãt eſſe non ſociorũ ſed hoſtium fugã, ſuoſq; ignari ſequuntur armis, & trucidant.

Tt 2 Solui-

Soluitur obſidio : vertentem terga per agros
Thrax Thracem inſequitur ſtricto, ſed neſcius, enſe.
Dum currunt, ſtimulos Mahometes vocibus addit.
Fudimus è caueis lepores : vos, figite ferro ;
Mox reduces vaſtate domos. Fuit Alba; fuere
Chriſtiadæ : iam Roma ſuo cum Principe caſu
Palpitat extremo: Thracum tenet omnia virtus.
Hæc fatur ; propiorque ſuam premit impete pubem
Inſcius, & falsâ deluſus imagine rerum,
Numinis ad luſum, Reges & Regna mouentis.

Danubij ripas dum fuga tenent, lapidantur à ſocijs. excuſſis galeis deteguntur. agnoſcuntur : ſed fruſtra; nam cæco furore rapti ſe in vndas projciũtq; Poe.

Transfuga Danubij poſtquam peruenit ad oras
Turba; nec in fluuium potis eſt, nec tendere contra,
Nec rurſus dare terga fugæ ; ſtetit aſpera vultu.
Acriùs hoc Thraces incumbere. Pergite, clamant,
Pergite. iam liquidis vos mœnibus vnda tuetur :
Hoc vallo ſeptos non vitra inuadimus : vna,
Vna fuit vobis hæc ſemita tuta ſalutis.
Hæc ſuper, inijciunt ſaxa vndique, & vndique tela ;
Saxaque diſcutiunt galeas. Socia agmina cernunt ;
Attonitique hærent. Sed adhuc ſtimulante furore
Cæca phalanx rapitur, cui Numinis Ira timorem
Incutit. Illa necem probro, fluuiumque catenis
Anteferens, ſaltu præceps ſe in fluminis vndas,
In mortem dedit indignans; atque inde paludes
Concidit in Stygias. Excuſſo mœſta veterno,

Deprebenſo errore Mahometis luctus, & rabies.

Turba ſequax ſtetit ante vndas, fruſtraque requirit
Flumine demerſos. Vlulatu littora complet :
Infremit, horrendumque gemit, gemituque dolorem
Vulnerat. In medias vel ſe iactare procellas ;
Vel ferro parat ire ſuos crudelis in artus.
Sed prohibet remouetque manus à cæde Tyrannus,
Abruptumque iubet reuocari ad mœnia bellum.

Chri-

Chriſtiadæ fugiſſe rati per deuia Thraces,
Quos implorarant Superûm cœleſtibus armis,
Poſtibus erumpunt alacres, deſertaque caſtra
Diripiunt: mox immittunt incendia claſſi,
Quæ caſtris adiuncta latet, raroque quieſcit
Præſidio malè tuta. Faces virgulta vorantes
Conijciunt: eſt flamma foros; illapſaque peſtis,
Aligerûm gliſcit pennis agitata Notiſque
Tranſtra per & remos. pendentia vela recumbunt
In cineres, maluſque flagrat: calet omnibus vndis
Danubius, pelagique minor ſe fluctibus abdit.
Cum tædis repetunt hoſtilia caſtra: fauillis
Pabula, quæ prædæ ſuperant, tentoria præbent:
Ferrea, quæ ſpectant vrbem, tormenta retorquent,
Atque ora in Thraces vertunt, ſpirantia mortes.

Albani diſcedere Turcas à murorum oppugnatione dum vident, diuina vi fugatos credũt, egrediũtur ab vrbe, eorũ caſtra diripiũt: incendunt, & muralia tormenta in hoſtem, ſi rurſus audeat accedere, vertunt, & armant.

Sæuior ecce autem, ſocijs in flumine merſis,
Et ſparſo audaces vlturus ſanguine fluctus,
Dum redit Odryſius ductor, pugnamque repoſcit;
Aſpicit è caſtris fumoſa volumina noctem,
Et nigras medio nebulas offundere Soli.

Mahometes redit ad muros.

Horret, & accelerat. Lauro redimita virenti,
Fulminis in morem, de nube coruſcat & ardet,
Obtutuſque ferit Crux murice rubra cruoris.
Palluit aſpectu Mahometes; telaque vibrans,
Iurgiaque in cælum: Proh noſtris inuida palmis,
Sidera! victores an vincimur? vnde repentè
Hæc cælum caligo tegit? num dedecus ingens
Chriſtiadum refugo Sol lumine fugit? at vmbris
Cur inſerta micat mortis crux impia ſignum?
An bis victa rubet, victi crux lancea Chriſti,
Atque ſuo gentiſque ſuæ dum funere luget,
Nubibus induitur? Sed caligante latentem

Globos fumi videt attolli, & in medio fumo coronatã lauro Crucem, ſignũ victoriæ per Crucem, & Lauretanæ Virg. opem reportandæ. Po. Furit in Crucem.

Eripiam te nube. Arcu iace tela, ſatelles:
Sit ſcopus illa ſagittarum: cadat inde, terenda

Turcæ tela iaciunt in crucem, ſed in illos retorquentur.

Odryſijs iterum pedibus. Sic ille. Pharetris
Spicula depromunt Thraces, & in ardua torquent
Signa. Sed in Lunam Crux illicò verſa cruentam,
Spicula fixa refert, nigrum ſtillantia tabum.
Incubat hinc pauidis rurſus legionibus horror.

Timent ferale omen.

Primus Ebubezer: Noſtris heu vincimur armis,
Clamat, & Odryſijs Othomanica Luna ſagittis
Impetitur, noſtroque rubet maculata cruore.
Sparſimus in fluuium Socios: nunc tela moramur
Noſtra: quid vlteriùs, fatalia monſtra, paratis?
Diſſimulat tamen iſta furor Ductoris, & æſtus

Dux timorem diſſimulat.

Comprimit occultos animi. Mahomete quis, inquit,
Caſtra mouente, pauor? mecum, pars prima triũphi,
Non timuiſſe. hoſti veſtrum differte timorem.
Infera cum ſuperis concurrant, terraque, & æther,
Indomitumque caput Rheni, Pactolus, & Albis,

Iterum muris propinquat. Mahometes ad munitiones redit, & eas à Coruino occupatas reperit. cum recuperandi gratia prælium inſtauraret, obuerſas in ſe machinas reperit, à quibus cũ Socijs lęderetur. Bonfin. apud Bzou ann. 17.

Viſtulaque effundant acies; concurrat Iberus;
Non vacet vlla manus; conſumat fulmina cælum;
Si viuo, vinco. Dixit, calcarque timori
Addidit. Albani caſtris hoſtilibus aſtant.
Quique precabantur fœdus, dubijſque ſalutem
Et requiem rebus, dextras conferre parati,
Expectant, Thracemque volunt, & fata minantur.
Hoſtis adeſt: fremuere omnes: tormentaque in hoſtẽ
Hoſtica diſplodunt, ſtridentque volantibus auræ
Ignibus atque globis; equiteſque, duceſq; proteruis
Occumbunt flammis. Vlulant turbata tumultu
Agmina: confuſus Mahometus imagine belli,
Turbidus inſanit: frons mixtas ignibus iras
Euomit in caſſum, ſtridorque, cruorque cadentum,

At-

Atque ſuis armata armis, ſecuraque caſtris
Mors rapit in rabiem. Palantes vndique turmas
Significat dum ſtare manu, & diſcrimine cæco
Circumflectit equum; tormento miſſile fulmen
Euolat ærato; flammâque ſonoque globoque
Aurigante, metum portat, vulnuſque Tyranno.
Ictus at errauit; peteret cum corda, lacerto
Hæſit, & excuſſit, dextrâ indignante, ſagittam.

Pectore ſaucium ſub papilla in caſtra pedē retuliſſe memorāt. Coruinus munitionibus potitus eas incē dit. Ad Sauū cum M atemetes reſpiraſſet aiunt propinari ſibi venenū iuſſiſſe. Idē ib.

I nunc: ſigna feri Crucis inuiolata: phalanges
Tela vibrare iube: viciſti? perfide, campo
Cede. cruenta tuis Othomanica luna ſagittis
Iam rubet, & Superûm tibi pallida nunciat iras.
Viribus humanis ſic freta ſuperbia vincit.
Ille pudore oculos voluens, frendenſque dolore,
Præcipitem detorquet equum, Soloque recedens
Armigero comitante, casâ, qui vicerat vrbes,
Subſedit paruâ victus; ſecumque volutans
Euentus belli, tacito iactatur ab æſtu,
Et ſecum his dictis pugnat, ſecurus ab hoſte.
Quò trahitis fera fata? ſequor; ſed fortè ſequentem
Ah pigeat traxiſſe. Leo non vincitur vno
Vulnere: vel pharetras ſi conſumatis & arcus,
Numina iniqua, vſum belli, non bella remittam.
Ducere ſi nequeo Thraces in prælia; Manes,
Eductaſque Erebi ducam penetralibus Vmbras.

Deſperati ſub rupe vox.

Quid loqueris veſane furor? quæ bella geremus,
Prælia ſi victi fugimus; regnator & Orbis
Exiguâ ſi rupe latet? Quò turba meorum?
Quòue Duces abiere mei? quis vulnera lymphis
Abluit? Auguſto ſic Regum in ſanguine vires,
Cuſpidis atque aciem tentas, Fortuna? rotamur
Sic magni cum plebe Duces? Perge, improba, perges

Ferunt nunquam poſtea eius cladis meminiſſe, quin mentum barbamq; demulcẽs quaſſatuſque caput ei diei maledixerit, qua pugnā ad Albam conſeruit. Io: Bremus de mor. gent. c. 8.

Coruinus belli labore defatigatꝰ in febrim incidit, qua paucis diebus abſumptus eſt. Bonfin. apud Bzou vbi ſup.

Pius Hunniadis triũphus. Chriſtꝰ in Cruce ante Matrẽ de morte triũphauit, et pacis Angelorũ inter lacrymas.

Hunniades in templo Virg. & amplectens Capiſtr. crucẽ, qua victor fuerat, de morte triumphat dulces amicorum inter lacrymas.

Indomitâ ceruice cadam. licet eruta rupes
Me premat hæc, feriar, non vincar. ſolus, & exul,
Non exul, non ſolus ero. mea ſigna ſequentur
Et furor & rabies. Mahometi militat ipſe,
Ipſe ſibi miles, Mahometes, ductor & hoſtis.
Hæc agitans diſcerpebat ferus vngue capillos,
Promiſſamque genis barbam, Superiſque, ſibique
Dira precabatur; Numenque; animamque peroſo
Vnica vindictæ ſpes importuna placebat.

Te quoque magnanimis bellorum exercite curis
Tædia ceperunt vitæ meliora; Deique,
Hunniades, te cepit amor. Non pompa triumphi,
Non Mundi plauſus, Regni non dona Latini
Alliciunt: raperis melioris imagine Regni.
Milite dimiſſo, cæleſtia colligis arma,
Militiamque animi, ſuſpiria, vota: laboris
Pro mercede dari tibi, quem defendis, Olympum
Poſcis; & audiris. Te lethi nuncius ardor
Occupat, & cæli maiores excitat ignes.
Senſit vbi mortis veſtigia: protinus, inquit,
Virginis in Templo, famuli, componite corpus.
Hæc erit Hunniadis victoris pompa; ſub illa
Fronte mori, qua vita fluit, quæue Ætheris iris,
Atque triumphalis, pueri fuit arcus Amoris.

Stellarum, Superi, dimoto cardine, poſtes
Pandite nunc; ſpeciemque noui ſpectate triumphi.
Sic decet: hæc Pietas dat munera. Numinis olim
In Cruce talis erat victâ de morte triumphus:
Scilicet hoc thalamo, mœſtæque ante ora Parentis,
Pacis & Aligeros inter, fera fata gementes,
Occidit. Hunniades moriturus lumina Matris
Sic quoque Virgineæ quærit: Crucis arma repoſcit

In

In Turcas vibrata; ſui nunc præmia belli.
Elatus Natorum vlnis dextrâque Ioannis,
Quo comitante manum felicibus intulit auſis,
Templa ſubit: procumbit humi; complexus & aram
Virginis exoluit voces; mox pectore vitam.
Diua, Ducem famulumque tuum, quia vicit, ouanti
Stringe ſinu: tege me dextrâ, quam corpore, & armis
Thracis ab inſidijs texi. manet vltima belli
Alea, victores Orbis qua ſæpè pudendo
Occubuere obitu. Nil vicit, quiſquis agone
Victus ab extremo, Ditis deſcendit ad vmbras.
Fine coronantur mortalia: ſertaque fronte
Sæpè ſoluta cadunt; hæc ſi non vltima nodat,
Æternoque ligat filo irreuocabilis hora.
Ciuica quid prodeſt ſeruato milite quercus,
Si te non ſerues? ſi laurus, quercus, oliua
Aret, & in Stygijs crepitat cineſacta fauillis.
Pugnaui: vici. victo ſed Thrace, trementem
Iudicis æterni dubio certamine terror,
Vitæ amor inuadunt, mors, Tartara, cura Futuri.
Quò fugiam? tu, Mater, eris fugientis aſylum.
Sæpè tuis vici auſpicijs: nunc denique vincam.
Audeo. quis lethi ſudor lauat ora propinqui,
Sordeo dum venis Thracum? ſiccare: quid imbre
Alluis infauſto vultum, quem Diua ſerenat?
Audeo. Virgo iubet. ſcelus eſt ſub Virgine mortẽ,
Iratique Dei flammas, vultumque timere.
Virgo, tibi vixi: morior tibi. Viuite, Nati,
Olli vos etiam, mea poſthuma gloria: ferrum
Stringite in Odryſios pro Virgine. quæritis ignes
In ſacra belligeros ſi prælia; ducite ab vrna,
Quæ noſtros condet cineres, hoc igne calentes.

Aderant morituro filij Ladislaus, & Matthias. Capiſtranus à latere numquam diſceſſit Ibidem.

B. V. ſe commendat.

Varij Coruini affectus in morte timoris præſertim amoris, & ſpei

Se animat ſpe.

Si

Si durat poſt fata labor, ſedeſque quietas
Sollicitare poteſt; hæc belli cura ſequetur
Me poſt fata. Nequit procedere longiùs? at vos
Corporis ò Nati heredes, animæque paternæ,
Creſcite in exitium Thracum. ſic ipſe meorum
Pugnabo manibus: vincam virtutibus hoſtem;
Tranſcurretque meam vis & victoria prolem.
Vnum, quòd ſupereſt, comes ò dilecte laborum,
Dux, miles, potiorque mei te, cauſa triumphi,
Alloquor extremum, Thraci crucis enſe Ioannes
Terribilis. Sine te in bellis, ſi laurea fronti
Nulla caduca fuit; ſine te nunc altera pacis,
Quam ſpero, æternæ non vernet adorea. Notam
Tolle Crucem, dum circumſtat me turba timorum:
Quæque fugat Thraces, fera caſtra fugabit Auerni,
Docta Tyrannorum peſſundare colla. cruenti
Da labris libare Dei victricia Mundi
Vulnera. vos cordi, vos cunctis imprimo membris.
Ductorem ſine cæde mori, ſine vulnere, turpe eſt.
Vulneribus moriar Chriſti, ſi vulnera deſunt
Noſtra. Valete mei ſecuri funere ciues:
Terra vale: tuba victorem iam poſcit Olympo.
Hæc fatus; preſſuſque ſolo, ſuper ardua greſſus
Aſtra triumphales vertet, cæloque potitus,
Addetur ſuperis ingens Heroibus Heros.
Hinc noua Laureti volitabit fama per Orbem,
Virgo vbi belligerans patriâ de Sede phalanges
Attriuit Pharias, Laurumque virere triumphi
Iuſſit, qua terras tegeret felicibus vmbris
Iungens armatam Paci Victoria dextram.
Hinc fiet Lauretanam concurſus ad Vrbem
Finibus extremis, vario quos aſpicit ore

Eius verba ſunt apud Bonfin. vbi ſupra. Capiſtranus Crucem moriturus poſcit, & oſculatur. Idem Bonf. Stratus erat in Templo ante aram Beatæ Virg. Id. Hac victoria in qua 60 m. Turcarũ trucidata sũt 24 continuatis horis prælio durante, multiſq. cadentib⁹ ſine vulnere, ipſorum hoſtium confeſſione aduerſariis relata eſt, & B. Virgini Laur. cuius auſpicijs cœpta eſt, à Chriſtianis fuit adſcripta. De hac Ioa. Boem & alij m.

Sol

Sol oriens, morienſque. Fluentibus vndique turbis
Non ſat erunt vrbes, non ſubdita montibus arua,
Non nemora & valles: omnes tamen hoſpita gentes
Virgo ſinu capiet. Tunc horrida bella ſilebunt;
Vel dubio tantùm frendent, pauidoque ſuſurro.

Hæc Victoria S. Mariæ Lauretanæ nomen toto penè Chriſtiano Orbe propagauit. Turſ. in hiſt. Laur.

Poſt leue ceu murmur, diffracto carcere nubis,
Fulmen agit volucres inopina in vulnera pennas;
Haud aliter ſuccenſa nouis incendia bellis,
Quà patet Orbis, erunt. Conabitur vltima fato
Proxima poſtremo Diſcordia. Viſcera flammis
Sic ſua quæ paſcit fax cerea, languet inerti
Dum moritura rogo, fugitiuum turbinat ignem;
Et creſcit, dum decreſcit, fit prodiga lucis,
Dum fumum vibrat extremum, ſepelitque nitorem
Nube ſuâ, moriens. Mutina atque Inſubria fluctus
Eridani furijs incendent: Gallia ciues
Ciuibus opponet, ſibi ſe. mox Alpibus iras
Egeret in campos Italûm, ſata florida pacis.
Flandria perpetuo bellorum agitabitur æſtu,
In medio malè tuta mari. ſuccumbere Marti
Inuictos ſubiget belli fortuna Polonos;
Obſidione fatigabit dum Moſchua muros,
Odryſiuſque furor; dum ſeditionibus vrbes,
Claſſe Suecorum trepidant, teliſque Scytharum.
In Cretæ Phlegethon ſua flumina voluet arenas.
Adriacum lue Threiciâ quò polluat æquor.
Ebria Regnantum ſcelerata Britannia venis,
Quod calcat, dabit infido diadema Tyranno,
Quod rurſus rapiat, malè fida, Hiſpania motu
Heu Mundi concuſſa tremet: tremet India roſtris
Hollandis impulſa; rates dum remige Dite
Vrget auarities, regnique immenſa cupido.

Vltima bella vltimique Diſcordiæ conatus ante partam ſub Alexandro VII. pacem.

Anglia occiſo Rege creat Cramuelem in Regem,

ITER

ITER LAVRETANAE DOMVS

LIBER XXIX.

ARGVMENTVM.

Fuere vicinæ pacis indicia: Reditus in Vrbem Card. Antonij Barb. S. Domus protectoris: Inter huius nepotem, & Pontificis neptem nuptiæ: Electio Ferdinandi IV. in Regem Romanorum: Eiuſdem mors beneficio Lauretanæ Domus cælo fauſta, Hæreſi fatalis: Sinarum Reginæ ad Fidem conuerſio. Poſthac Diſcordia à Michaële penitus profligatur. Pacifer Socios itineris remuneratur. Denique S. Domus in Laureti monte defigitur, vbi nunc eſt, eritque ſemper, vt ſperatur.

POſt varios fluctus, diſruptaque viſcera Mundi,
Denique diſrumpet rabie Diſcordia pectus,
Victaque tempeſtas cadet omnis ferrea, Ponto
Fauſta proceloſo cum ſidera collucebunt
Septimi Alexandri; fixoque in littore trunco
Fluminibus cum Quercus erit furialibus agger.
Plaudite: Pamphiliæ ſuccedet Quercus oliuæ.
Grande ſequuturæ Pacis, domitique trophæum
Martis erit Quercus: Pax Quercu ſerta parabit,
Tranquillumque teget folijs victricibus Orbem.
Hæc ſub Alexandro Romæ Regina ſedebit,
Atque catenatum premet imperioſa Gradiuum,
Sideribus præcincta comas, atque iridis arcu.
Illius ad ſolium lauro redimita virenti
Oſcula libabunt Dominæ Regna omnia Pacis.

Omina futura pacis, & cauſæ inſignia Alexandri VII gentilitia.

Hæc

Hæc ſolio ſurgens amplexibus illa ligabit,
Qui libertatem iucunda in fœdera ſoluunt.
Libera tunc Roma in Templũ,Munduſq;migrabit:
Arma tegent Pacem : Pax bellica ſeruiet armis.
Magnus Alexander ferro dum proruit Orbem,
Et pacem ferro lacerat crudelis eodem,
Obuius è Solyma pacata in cyclade Myſta
Vicit Alexandrum, paciſque infudit amorem.
Maior Alexander Magno tunc bella Sacerdos
Vincet, & enſe ſacro mactabit fortior iram.
Abijciet Bellona flagrum : Mars proteret haſtam :
Nullus erit gladius, niſi quem non territa vibrat
Pacis amans Aſtræa: fremet fruſtraque repoſcet
Martis equus campum. Gladio quæ pugnat acuto,
Atque animæ ferit vna fibras Facundia Verbi,
Paciferam poſitis armis agitabit Oliuam. *P.Oliua Apoſtolicus Concionator.*
Dum Pax regnabit; quaſſato condita Mundo,
Eumenidum lacrymis Diſcordia ſparſa iacebit.
Præfica erit laceris Rabies veſana capillis,
Sandapila & diri curator funeris Orcus.
Purpureum velamen erit ſuper atra iacentis
Membra cruor regum, bellorum incendia, tædæ;
Vt conſumpta perit, quæ lucet tæda ſepulchris
Igne vorata ſuo, ſeruit morituraque morti;
Sic extincta ſuo Diſcordia concidet igne.
Fortunata dies! irim de nube ſerenâ
Cui Cælum pariet diuini Solis ab ore,
Imbribus exactis, properis argentea bigis
Antiquos ordine dies,radijſque retexe
Aurea ſecla nouis, factis dimenſa decoris.
Te vocat vndarum magnis ſtridoribus æquor,
Tyrrhenũ,Adriacum,quod ſupra,atque alluit infra.

Luſia-

Luſiadæ, Latium, Germania, Gallia, toto
Oceano exultans Hiſpania, totaque bellis
Dilacerata diu generoſa Polonia, pacis
Nomen amant. hoc omnia nomine reſpirabunt,
Ante tamen pacis dabit argumenta propinquæ,
Pamphiliá quæ deſcendet de turre Columba,
Atque ſuam Fabij cum Quercu iunget oliuam.
Nam dum Pamphilio ſenium curæque vigorem
Mutabũt, membriſque cruor viſque omnis hebeſcet;
Accipiet regnaturi mox Principis omen
Virginis è Templo, dederat cui nomina Quercus.
Ille, vbi Virgineæ venerabitur Arboris aram,
Hauriet inſolitum ſacro de robore robur;
Vaticinuſque, mouente Deo, ventura docebit.
Virgo, Fabi, tibi Regna parat: tua Quercus Oliuæ
Succedet noſtræ. Quæ ſuſtinet icona Quercus
Atque meas renouat vires, tibi robora ſubdet,
Prælia quò rumpas. Poſt hæc exordia pacis
Ille domi ponet celebrans connubia Neptis,
Et ſocias ſibi iunget apes, vt fœdere in vnam
Conſpirent Quercum, tenueſque ex arbore cellas
Franciſcus Card. Barberinus. Mellaque diſtendant. Nuptis paranymphus amoris
Flos oſtri Franciſcus erit, cui regnat honeſtâ
Fronte pudor, pietaſque animo, ſapientia mente,
Pectoreque inuicto patientia, neſcia frangi,
Antonius Card. Barberinus. Et ſcelerum impatiens. Aderit tunc redditus Vrbi
Pontificum ſplendor, Charitum flos, gratia Regum,
Atque refloreſcens antiquæ gloria Romæ,
Ex vno cum fœta ſinu fera fulmina belli,
Diuitias, pacem, ferrum euoluebat & aurum;
Hæretis? titulis, tacito vel nomine, claret,
Romanis maior faſtis, Antonius, armis

Et

Et pietate potens, multis Heroibus vnus
Grandior: in Latium, domitâ ceruice, Leones
Quem non magnanimi ducent; amor ipſe Quiritum,
Ipſa feret, patiens quæ tendit in ardua, virtus;
Magni quæq;animi eſt animus;quæ poſcit honores,
Ne iaceat probitas, opibuſque æraria complet,
Pleniùs vt iaciat. Redeuntem hunc Roma, triumphi
Non curru, ſed corde feret: non flore coronas,
Collibus at ſeptem finget, quibus illa ſuperbit,
In cunctas dominata plagas. Curuabit Atlanti
Illa ſuo Montes: etiam ſe ſubdet, Olympo
Quæ tantùm inclinata caput ſubmittit, & Orbem
Curuat ad obſequium. Cæli vix attrahet auras
Auſonij Princeps; cum Romæ Roma reuulſa,
Mœnibus erumpens, lacrymas, ciueſque profundet
Illius ante pedes. Plauſu vectante, per Vrbem
Incedet; reddetque ſuæ ſua lumina Genti,
In Gallos diſperſa diù. Veſtigia Solis,
Dum graditur, calcare putes, qui dona reuiſit
Et renouat, dum luce vias, & munere ſignat.
Hìc ædes, & Templa videt; quæ veſtijt auro:
Inde graues argento aras: hìc igne plateas
Quæ feſto micuere; inopumque hic agmina, quondã
Fulta opibus. Strepitum populi, ſtudiũque fauentũ
Omnibus attonitus Tyberis mirabitur vndis.
Plebs & Nobilitas ab amore mouebitur vno,
Lætitiâque fremet ſimili. Sic Nilus arenas
Indignatus, in antiquos dum voluitur agros,
Munificuſque vndâ reuehit refluente Canopi
Fortunam; plaudunt ciues, fluuiumque ſalutant:
Murmure conſpirant populi fluctuſque ſecundo;
Et reducem criſpant lætis clamoribus amnem.

Antonij præcipua virtutes, fortitudo, liberalitas, & magnanimitas. Antonio è Gallia redeunti Roma plaudit.

Ille

Dominante Canicula creſcit Nilus calidis eius vaporibus excitatus. ex Luc. Plin. & alijs.

Ille tumet, terramque beat; cum Sirius agmen
Excitat vndarum calido ſuper arua vapore.
Non ſecus Antoni pretioſa fluenta laceſſit
Diluuium moturus amor, dum creſcit in ignes,
Et fremitu excipitur raptæ cum flumine gentis.

Lauretana Domus plauſus Antonij Principis in aduētu, cuius ille Patronus erat.

Laureti tunc alta Domus, de vertice collis
Principis ora videns regnis obiecta propinquis,
Et Ligeri Tybrim lugente agitare ſonoras
In plauſus venientis aquas, ſua tumida riſu
Saxa colorabit; plauſu vocalia reddet.
Quæ mora, clamabit? te Gallica regna morantur,
Qui me conſilijs, & mentis mole tueris?
Patronum legiſſe meum quid profuit; Alpes
Si tranſuectus, & Italiæ confinia, rupes,
Arua aliena rigas auro, vultuque ſerenas;
Romanique decus Regni, gentiſque togatæ
Vnâ fro. te refers, par eſt quæ pluribus vna

Romana Curia cum Pontificibus propter Romæ tumultus diù nobili exilio regnauit in Gallia.

Regibus & populis? Vidit iam Gallia Romam,
Et vidiſſe ſemel ſatis eſt, dum nobilis exul
In Pyreneos ſua ſeptem culmina montes
Verterat, exilio latè ſpatiata ſuperbo,
Nominis atque nouum reſerans fugitiua Theatrum.
Te ſeruatorem nunc illa repoſcit, ab armis
Quæ defenſa tuis, & mê tunc auſpice victrix,
Tê gaudet præſente frui. nunc illa quadrigis
Exultat, gaudetque tuo floreſcere cultu,
Doctrinas qui luce nouas, atque alluis auro.
Te mihi, te Romæ, Princeps, largire parumper,
Fertilis ingenio atque manu: noua fundere dona,
Addere teque ſuper donis mê diſce magiſtrâ,

Antonius Sancti Spiritus Eques.

Pauperie quæ diues, opes, atque Æthera fundo,
Largior atque Deum. Collo pendere Columbam,

Quæ

Aſpiciam, Patris & Nati quæ pectore pendet,
Infinita agitans niueis incendia pennis.
Hæc me bulla refert. volucris quæ nidus Amoris
Concepi niueo flammas ex ore Columbæ,
Hoc Equitem formo donatum munere: dignum
Hoc probo militiâ Superûm; ſi ſeminat ignes
Prodigus in miſeros, pietatis largus & auri.
Hæc animata olim referet Domus hoſpite Verbo.
Nec tua Roma ſilet. Nunc,inquit, Principis oſtro
Roma triumpho iterũ,chlamydẽq; atq; ora coloro.
En redijt Princeps,mea cura, Parentis imago,
Romulidumque decus, ſequitur quẽ Gloria,Virtus
Cui vallat generoſa latus, cui gratia ſeruit,
Cuius felici compleuit nomine Fama
Mille tubas,mille ora; pauet quod liuor, & horret
Turpis auarities. Antoni macte: repoſtum
Spargere perge aurum. baſis aurea in aſtra Coloſſos
Si pedibus teritur, maiores inſerit aſtris.
Congere diuitias, pelagus ceù congerit vndas,
Qui non creſcit aquis, ſed flumina fluctibus auget.
Quiſquis calcat opes, meritis æquatur Olympo:
Si gerit affixas cordi; captiuus ad ima,
Atque catenatus trahitur de culmine Regni.
Imperitare opibus qui nouerit, imperet. hoc eſt
Principis ingenium: quantùm ipſa pecunia creſcit,
Si decreſcit auarities. hunc ambiat aurum;
At non ille aurum; Non vectigalia quærit
Flumina, ſed ripis recipit mare. Mundus, & Æther
Fluxit in Imperium noſtrum reuolutus; in omnes
Flumine donorum terras quia fluximus. Artes
Has te Roma docet: ſed,tê quoque Principe,Roma
Diſcit adhuc artes regnandi. Regna parari

Roma plaudentis Antonio vox.

Roma munificentia ſibi ſubdidit orbem terrarum.

Non ferro, ſed amore doces. Regina mariti
Te colit Oceani; te nominat Adria Ciuem,
Hoſtium ipſorum amor, & liberalitatis contentio cum Antonio.
In ſua bella tonare olim quem viderat hoſtem.
Belligerat nunc illa iterum. ſunt claſſica laudes;
Martius ardor amor; barritus plauſus amantum;
Munera tempeſtas chalybis; ſunt aurea tela.
Vinceris, & vincis: victoria vincit vtrumque
Nexibus auratis, dum prælia pace mouentur.
Experiere ſequuturæ præludia pacis
Quartum vicina pacis ſignum Ferdinandi IV. in Regem Romanorum electio
Exhilarans quoque, Rhene, nouo cryſtalla nitore.
Lux tibi ridebit fugitiua è nube doloris,
Cum Ferdinandus, fato rapiendus acerbo,
Gaudia Romano communia pinget in oſtro,
Hæreſis atque oculos cæcabit lumine Regni.
Attamen ô quales radios vel cæca videbit
Principe in Auſtriaco! præconia liuida fundet,
Hoſtis & inuicti virtutem inuita probabit.
Sic diuina Dei, mortalibus indita membris,
Progenies terram dum curſibus ambit amoris,
Inferni domitorem Erebi ſenſere profundis
Corporibus clauſæ Eumenides, Lemureſque minaces
Sopiti furias, crudo de gutture virus
Proijciunt, tremuloque genu & clamore fatentur
Quid nobis, et tibi Fili Dei? Matth. c.8.
Eſſe Deum; tortorque inſtat; celebrantque dolentes,
Quem diris odere animis. vis omnia vincit
Scilicet omnipotens Virtutis, & ipſa colubrûm
Colla iubet meritas pro peſte reponere laudes,
Quam vacuant pede preſſa. hoſtis dû vincit, amatur;
Dum regnat, colitur. Diſcordia cæca dolore
Sola ſilet: timet antra Erebi ſedeſque nigrantes
Rurſus adire; manu pro ſceptro fulciat Orbem
Si Ferdinandus, qui maieſtate domare

Om-

Omnia bella poteſt, captiuaque ducere corda.
Hæc ſperat dum Roma, tonat, tonitruq;ſecundo
Principis ingenium ſignat, quo territat hoſtes,
Et Fidei plaudit. Turri globus ardet in alta,
Quem ſuper impendet pedibus Iouis aliger vncis
Fronte coronatâ: monſtratque volatus & ignis
Imperium latè volitans, velut ardua flamma,
Magnanimâ ſpirant quatuor quam fauce leones.
Scilicet Auſtriacus, veluti leo feruidus æſtu,
Quadrifidi partes Orbis replebit amore
Numinis, & magnâ populorum ſtrage nocentum,
Atque ſui fulgore animi, qui parcere nouit
Mitior abiectis, & debellare ſuperbos.
Roma etiam grauidas flammis, crepituq;columnas,
Feſtiuo, & reſono Tritonas in igne natantes,
Ignitiſque Aquilas alis ſuper alta locabit
Pegmata. victores oſtendet machina curſus
Herculis Auſtriaci, cuius veſtigia famæ,
Et decorum greſſus, peregrinaque gloria vaſtum
Alcidæ ſuperabit iter, tædamque vibrabit
Pro claua, qua crinitam ſerpentibus hydram
Hæreſis exurat, ne ſpiret ab ore ruinas.
Machina Romano fabricabitur altera Regi;
Relligione Fideque Stygis qui monſtra domabit.
Aëre terribilis Draco pendet: ſemina mortis
Cæca ſuæ geſtans vtero, grauiduſque nitrato
Puluere, per medias auras irrumpit, & halat
Faucibus ardores, & ſibila: concipit angues
Corpore mille vno; gremioque vteroque morantes
A latere à tergo, laceratæ à vulnere frontis
Parturit in mortem. Sed bellica Virgo Draconem
Relligio aggreditur iaculatæ turbine flammæ:

Ignes feſti, et artificiati in Collegio Germanico.

In ædibus Card. Columnæ Germanorum patroni moles incendiaria.
Hercules Mũdi globum humero fulciẽs, ſuperuolantes aquilæ, & Tritones natantes.
Alia moles.

Sulphureos calamos & viſcera fœta fauillis
Vulnerat, atque aperit. calidis tunc miſſa querelis
Fulminat, atque perit rabies ignita colubri,
Flammatamque animam per ſpiramenta furoris,
Proijcit indignans, & fumo funeris arcem;
Funereumque rogum ſibi fabricat, atque ſepulchrũ.

Anno poſt electionem vix abſoluto moritur Romanorum Rex.

Quò vates agor infelix? mors omnia vertit
Turbine, quem ſpirat. feſtis ex ignibus vmbra,
Caligo tantùm & lacrymæ cinereſque ſuperſunt.
Tolle cupreſſe comas: virides areſcite lauri.
Roma gemit; quis non vlulet? iacit illa coronam
Vertice; ſceptra manu: miſcet ſeſe omnibus vndiſ
Danubius Romæ lacrymis. Sola impia ridet

Ferdinandus IV. Hæreſim vicit in morte ideoque gaudendum.

Hæreſis & plaudit, vibrato fulmine plauſum
Ferdinandus at abrumpet; cæloque locatus
Romanum reget Imperium. ſublimior arces
Hæreticaſque acies & clariùs inde videbit,
Fortiùs & feriet. Non errant fulmina, cælo
Quæ mittuntur. erit frons Hæreſis ardua ſignum,
Vulneris atque locus. tibi ſeruiet, armaque & ignes
Suggeret è cælo frater poſt fata parentis,
Parue gigas Leopolde: patrem fratremque virili
Tu referes virtute; manu ſed fortis vtrumque
Belligerâ vinces, quam ducis ab Æthere, flammâ.
Huc agite Imperij, Fideique, Deique rebelles.
Signa mouet belli iam Ferdinandus ab aſtris.
Ille ignis micat in bellum plauſumque triumphi,
E Lauretana rapuit quem Virginis ara.
Huius in illuſtri rem colloco lumine: luctus
Soluite, Germani, lætoſque reſumite cantus.
Vt ſe componet ſolio regnator auito
Ferdinandus, & Imperij geret arma Latini

De-

Ferdinandi IV. in Hæreſim voces minaces, ſi perſeueret in ſcelere, & ſi reſipiſcat, amabiles.

Defenſor Fidei , ſic voce minabitur hoſti .
Nulla mihi tecum ſint fœdera , flammea peſtis,
Hæreſis , agrorum , Chriſti qui ſanguine vernant .
Ipſe tuis vram ſed te vulpecula flammis .
Tænareum ſubſterne caput : ceruice ſuperbâ ,
Et colubros ſuper eliſos mea regna locabo .
Cor micat in bellum : motus præſentio primos :
Ex alto meliùs pugnabo vertice Regni .
Vt pereas, viuam ; fugias vt ab Orbe, ſedebo
In ſolio , velut arce tonans , Aquilæque miniſtrans
Fulmina Romanæ , quibus Hæreſis vſtulet hydras .
Aurea in Auſtriacos,in te ſed ferrea dextra
Sceptra geret . non placabor niſi ſanguine , cæde ,
Exitioque tuo . lacrymas da : proijce virus :
Sit tibi Roma caput , pedibus quam perfida calcas :
Viciſti . hac tantùm Cæſar ſuperabitur arte .
Corde meo Regina ſede : te veſtiet oſtrum
Cæſaris atque animus . Meditantem talia ſenſit
Hæreſis ; & ſecum : Quæ prælia concipit , inquit ,
Ante ortum elidam : fraudes verſabor in omnes ,
Vt cadat ante diem nullo certamine . dixit ,
Inque dolos acuit mentem , tempuſque moratur .

Regi venanti Hæreſis parat inſidias.

Vt in venando nimio labore fatigatus morbum contrahat, multarum ferarum vultus induit, quas ille fruſtra perſequitur.

Venatum in ſiluas Rex, & Germana iuuentus
Ire parat ; campis vt belli exordia ponat ,
Hæreſis atque latus iucundâ in cæde ferarum
Addiſcat penetrare ferox . At , nacta nocendi
Illa diem, volat in ſiluas : ſe vertit in omnes
Inſidioſa feras ; prædæ vt dulcedine captus ,
Difficiliſque viæ patiens, Soliſque maligni,
Per ſata, per montes,excurrat anhelus , & inde
Quadrupedes agat in valles, atque inuia luſtra ,
Puluerulentus , & irriguus ſudore , necemque

Approperet properando; calor dum viſcera paſcit
Noxius, & vires tacitè febris ignea carpit.

Hoc factitare ſolebat in venatione Ludouicus Pius.

Vt lucos ſubijt venator; ab arbore Matris
Icona virgineæ ſuſpendit. tu mea, dixit,
Virgo Diana; feras ſed dum venabor, amorem
Ipſe tuum votis, cordiſque indagine quæram.
Poſt hæc fatali ſtrepuerunt cornua cantu;
Et plauſere canes. Proteus ruit ecce ferarum
Hæreſis, aggrediturque fugam ſub imagine cerui:
Tranſmittit curſu valles, monteſque requirit:
In gladios, in tela furit, Regemque fatigat:
Mox fugit, atque redit. fit aper: venabula ſaltu
Præterit, & fallax ſe montibus abdit opacis:
Præcipiti greſſu de rupe reuertitur vrſa;
Denſâ venantum quæ circumſepta coronâ,
Fraudibus eripitur, repetitque agitata cauernas.
Miratur Ferdinandus torpentia tela,
Indocileſque canes, atque irrita vulnera. vultus
Cordaque conuertit, niueæ quà Virginis icon
Arbore pendebat lauri. Mea Cynthia, dixit,
Venatrix animi, tu lumine diſijce fraudes,
Si quæ fortè latent. vox reddita: lumine vinces:
Cerea tæda feras feriet, Proteuſque ferarum
Induet inſidias, quas fabricat. Æthere ſummo
Noſtris armatus radijs, venaberis hoſtes.

E venatione Rex ægrotat.

Virginis exarſit dictis bona flamma per artus
Sed mala vulgatur, quam ventilat Hæreſis ore
Cædibus innumeris tumido; geminumque calorem
Ille animo membriſque tegit. Febris vrget: in ædes
E ſilua migrat patrias. collapſa recumbunt
Membra toro. Iubet acciri, qui pectora noxis
Expiet, & mentem Regnis cæleſtibus aptet.

P. Bernardum Geyer Confeſſarium ſuum iubet accerſiri: ſed interim veterno corripitur. Hiſt.

Nun-

Nuncius exequitur dum iuſſa , heu ferreus vrget
Te, Fernande , ſopor : pigrum vis nulla ſoporem
Excutit . inuigilat , gemituque obmurmurat aula ;
Totaque tam duro Germania concita ſomno ,
Et perculſa nouâ mentem formidine luget .
O Deus , o cuſtos regni vigil Aliger ! oras
Princeps extremas vitæ , non fonte piatus
Sanguinis auguſti tanget , quem dextera rorat ,
Æternæque Sacerdotis vox nuncia pacis ?
Hæc Pietas , hæc caſta Fides, hæc vita meretur
Et cælo,& vobis , Superi , deuota ? Pudendâ
Labe caret . leuiora tamen contagia culpæ ,
Pulueris & iactum ſceleris ſæpè attrahit humor
Primæui , quem flamma rogi Purgantis adurat ;
Donec longa dies pœnarumque orbita cunctas
Eximat ex animis maculas,puroſque relinquat .
Nil Fidei valuere faces ; nil bellicus æſtus ;
Nil iurata Deo Pietas ; nil ardor honeſtus,
Quo Patriam , Patremque colit ? non excedit ignis
Hic labes ſi fortè leues ; flagret igne cruoris
Chriſte tui , facibuſque bonis,age, diſcute ſomnum.
Hæc inter , Ducis ante torum,clamore vocatus ;
Cum lacrymis aderat , luctu comitante, Sacerdos.
Sæpè vocat, dextrâque trahit . ligat omnia ſomnus
Membra: ſed hæc ſoluit libertas aurea Mundi ,
Virgo Parens . Quæ Laureti vigilauerat arâ ,
Cerea Fax ſomnum, Lemureſque fugauit inertes,
Hæreſis atque dolos . Myſtæ mens incidit , ignem
Vt faculæ admoueat, quæ Virginis icona quondam
Luce coronarat Laureti ; extinctaque , rurſus
Seruabat flammis alimenta ſalubribus . Illa
Vt recipit redditque diem,cum luce decorâ

Populi Germanici vox indolentis Regem mori confeſſione non expiatum.

Cereæ facula partem , quæ ante Lauretanæ Virginis ſimulacrum exarſerat Laureti, Sacerdos iterum accendit: ſopiti Regis dexteræ inſerit. Euigilat ille, peccata confitetur generaliter, et piè, hilariter, ſanctèque moritur. Hiſt.

Gaudia ſparguntur. Stupet aula vndantia circum
Flumina lætitiæ: Barathrum, Mors, Hæreſis horret.
Oſcula dat, tollitque manu ſacra dona Sacerdos;
Inſerit in Regis dextram. mirabile dictu.
Fit terræmotus Hiſt. Inſolitis tremuit Germania motibus: imis
Tota vacillauit latebris humus: atria, montes,
Tectaque nutarunt, & fundamenta domorum.
Scilicet armipotens in fulmen Virgo, niualem
Verterat ipſa facem, quam Ferdinandus in ipſum
Hæreſeos caput excuſſit, morienſque peremit
Vertice ſerpentes ſtabulantes. Funere victor
Haud aliter Samſon ſua damna, ſepulchra, necemq;
Seque Philiſthæâ ſuper in ceruice locauit.
Namque vbi corripuit tædam, Rex preſſa leuauit
Lumina: deſeruit ſopor irreuocabilis artus:
Riſit, & hoc riſu gemuit Mors: Hæreſis vmbras,
Triſte fremens, moribunda, ferox, ictuque vibrato
Saucia quæſiuit, numquam ſananda, cauernæ,
Dum fugeret, pauido ſe laxauere fragore.
Ille fugam ſequitur dictis moriturus amaris.
Aſtra patent face, Virgo, tuâ; tibi Tartara, mortis
Hæreſis æternæ genitrix & filia. perge:
En morior, morienſque ſequor te fulmine: cælo
Perdere te pergam facibus. Fax Virginis ardet;
Semper & ardebit. vigil eſt hic Ætheris ignis,
Imperijque mei. Veſtalem extinguite flammam:
Hanc Regni ſeruatricem nutrite, Quirites:
Hac iterum flamma feſtas accendite flammas.
Nunc me, nunc Regem geminatâ montibus echo
Dicite. regnabo. flamma hæc eſt nuncia Regni,
Sed melioris: erit mihi regia Virgo corona.
Nunc Aquilas, Mundique globos fabricate: volabo.

At-

Atque globum pede telluris calcabo. peruſta eſt,
Et cadit in cineres euanida gloria; viuit
Gloria, quæ Chriſti parta eſt in ſanguine Regis.
Hanc non mortales nitrato è puluere flammæ,
Sidera ſed celebrant. Moriamur. Virgo tenebras,
Et mortis luctus illuminat. hac face clarus
En iter ingredior. Ceram hanc, Leopolde, pudicam,
Ardentemque ſecuturi ſume omen honoris.
Corde manuque faces cape Virginis: excipe amorē,
Atque tuere manu. dixit, rurſuſque beato
Lumina compoſuit ſomno; Regnoque potitus
Æthereo, Auſtriacis Heroibus additus, altâ
Hæreticos ex arce domat, ſolioque tenet ſe.
Sæpè latet, rurſuſque patet ceu Cynthia nocte,
Nubila dum cogunt pluuias; ita ſigna futuræ
Pacis erunt. Lætum variabit pallida vultum,
Ceu dubitans Fortuna, rotam quo turbine vertat.
Sentiet Auroram vicinæ Aſia vltima pacis,
Atque effuſa ſuper murum, qui meta furori eſt,
Hoſtiles acies, cælo defenſa, fugabit.
Crux canibus vallum Scythicis opponet, & arces
Ariete non vllo quaſſandas. Ibit in hoſtes,
Atque retentabit noua prælia Conſtantinus,
Victor in hoc ſigno. Luſtralis lymphula ſontis,
Quæ frontem tinxit, cum fœnore, ſanguinis æquor
Hoſtibus è victis poſcet. Peregrina migrabit
Ad Sinas Romana Fides, atque inclyta Roma
Cum Labaris; Helenamq; ſuam venerabitur Indus,
Damaſio quæ monte Crucem Imperiumq; locabit;
Ne Sinis deſit Caluaria, culmen honorum.
In delubra Deûm, flammas torquebit Amazon;
Sparget & in cineres idola carentia luce,

Aliud vicinæ Pacis ſignum Sacerdos è Soc. cum nobili adoleſcente Romam miſſus à Regina Sinarum.

Sinarū Imp. de hoſtibus primùm victor.

Reginę Sinarum Helenæ nomen inditū eſt in baptiſmate, regio vero infanti, Conſtantini. Hiſt.

Dum

Dum Fidei ſtellata focis incendia ducet.
Tunc Romæ ad ſolium Sinarum in veſte Sacerdos
Adueniet; refertetque Fidem pubeſcere fructu,
Pluſquam centeno, Regeſque ad iuſſa venire
Pontificis, pedibuſque procul ſubmittere frontem,
Quam ſuper Europam tollunt Aſiamque, potentes
Gentibus, Imperijs, opibuſque, & robore belli.
Hunc vbi Lauretana Domus, ſociumque videbit
Maturum factis iuuenem tellure profectos
Orbis ab extrema: Mea pergite ſidera, dicet:
Roma vocat; Sol vnde micat, qui lumine Regnis
Candidus Auroram veſtris præmiſit, & ortum
Perpetuæ lucis: facili vos tramite ſiſtam.
Solis ego Domus æterni. ſpe vincite curas,
Qui pelagi viciſtis aquas, & mille voraſtis
Aëris & terræ diſcrimina. diſcite, vbique
Augeri tolerando Fidem. Patientia tantùm
Atque labor, Fidei diuina negotia tractat.
Ibitis ad Sinas, portumque intrabitis, aucti
Mercibus innumeris, queis Roma Vicaria cæli
Diuos, atque homines, & cælum prodiga ditat.
Ibitis: in Sinis Sinas quæretis. Olympus,
Dum mouet aſtra, mouet quoq; regna: & ſæpè caducis
Imperia Imperijs, vel Regna perennia ſaltem
Ætheris imponit. Superûm ditione beatâ
Terræ iacturam compenſat. ab arbore ramus
Vellitur, vt creſcat meliori fœnore pomum.
Arcibus heu victis, in cæca recedite, Seres,
Antra: Scythæ volitant face, ferro, ſanguine, cæde,
Fluminis in morem. Sinarum regna fuiſtis:
Hoſtis habet muros. eritis vos rurſus: & vnà
Et Scythici & Sinæ Fidei iuga celſa ſubibunt.

Laur. Domũ inuiſent.

Sinarum Regnum penè totum à Scythis occupatum.

Hæc

Hæc rerum ſeries, ſeclíſque hic ordo futuris
Vertitur, Aligeri; donec Pax aurea regnet.
 Sentiat interea noſtras Diſcordia vires,
Pellere quæ terris nos deſtinat omnibus. Ite:
Diſſimulaſſe ſat eſt. timidam vincite catenis;
O Superi, pedibuſque meis aduoluite monſtrum.
 Lucus erat, Solis radijs creſcentibus vmbras
Opponens, & valle premens nigrante paludes.
Non hic ſuſpirat Zephyrus; non feruet ab Auſtro;
Humenti non rore madet; ſed in arbuta craſſas
Oblimatus aquas ſine Sole, Notoque volutat.
Nulla grauant ramos felicia poma: nec audet,
Dum folijs incumbit auis, canere otia ſiluæ:
Sed ſubitò capit inde fugam. Latet aſpera luco,
Et magno in pelagus rupes diſcedit hiatu.
Hic inſtructa ſuas fabricat Diſcordia fraudes,
Atque animum tacitè partes obuerſat in omnes,
Picenis excludat agris vt Virginis Ædes.
Et tunc fortè videns primos feliciter auſus
Fraternis ceſſiſſe odijs, Cellamque migrare;
Geſtit; at immixtâ ſecum formidine muſſat.
Cur lento fugit illa gradu? cur torpet in arno
Lauretæ ſuſpenſa diù? quid? fortè ruinis
Expectat noſtris fundari? quis timor intus
Corda fodit præſaga mali? Dum talia ſecum;
Irrupit Michael, flammis armatus, in antrum;
Inuehiturque ſimul pubes, ſeptumque tenebris
Detexit ſplendore locum: Diſcordia ſaxis
Dat ſonitum occultis, atque atro vortice fumi
Tecta fugit, qua prona mari ſpelunca recumbit.
Iam pede præcipiti tremefactas preſſerat vndas
Rupe fugax. Tunc Oceanus, atque omnia circum

Pax iubet ligatam Diſcordiam ad ſe adduci.

Lucus, & antrum, in quo latebat Diſcordia.

S. Michael luce armatus irrumpit in antrum Diſcordiæ.

Diſcordia viſo Michaële verſus mare ſub antro fugit.

Lit-

Littora cum fluuijs tremuere. inſueta rudentem
A Michaële retrotrabitur, & ligatur. Retraxit ſubitò Michaël, colloque catenas
Iniecit. Tumuit potato guttur Auerno:
Palleſcunt malæ: maculis horrentibus artus
Inſolito terrore labant, crineſque rigeſcunt:
Lumina fumiferam noctem flammata ſubinde
Fronte vomunt: rabiem ſuffocant frena loquacem:
Ira coërcetur labris; ſuſpiria corde;
Dira venena ſupercilijs, & lacryma flammis,
Et manicis arma, & morſu fuga compedis: æſtu
Sibilat occulto, queriturque, ſiletque furore.
Protrahitur, monti quà luminis accubat vmbra,
E ſacrâ proiecta Domo, quà fulgurat ore
Pax Superûm ſtipata choro. Ceu noctua nictat
Ad Solis radios, & languida lumina voluit;
Sic pauet obiectâ Pacis Diſcordia luce,
Quam de fronte iacit. Cui Pacifer: Alma Virago
Diuini ſoboles cordis, cui Regna paraui
Regalemque Domum tot per diſcrimina rerum,
Tolle caput, monſtri victrix ſed percute frontem
Calcibus: æternam ſub te trahat inde ruinam.
Erue calcatis vitam cum ſanguine venis,
Quod venas hominum bellis crudelibus hauſit.
Sic Dauid viridi proſtrauit in æquore monſtrum,
Inceſſitque ſuper guttur, quod cæde tumebat.
Audijt illa: pedeſque vibrat ſuper ora iacentis,
Et vota in Superos. Hîc, dixit, Regna locabo.
Quam premo, quam ferio, ceruix inimica leuabit.
Pronas in Barathrum terras. i, cornua tolle,
Excute Regnantum ſacra è ceruice thiaras,
Bellua multorum capitum, prope littora vidit
Quam pelagi Daniel turbare tumultibus vndas,
Pro-

Proque anima ſpirare Notum, eructare procellas ?
Sublimi ſto celſa loco ; dum vertice ſurgo
Et regno Regina tuo ; dum tollo triumphi
In cælum monumenta mei. Poſt verba comarum
Implicat in læuam Pax dira volumina monſtri,
Et guttur pede contritum ter pulſat oliuâ,
Quam magis exhorret,gladio quam vulnus adactū.
Vt caput irati ramo Pax ardua preſſit;
Exiluere oculi caueis ; vacuaſque lacunas
Nubila complerunt : putres rubigine dentes
Sanguine commixti, patulo eiectantur ab ore,
Fulmine oeu fracti ſcopuli, dum perfurit æquor.
Attritu coſtæ patuere; euulſaque neruis
Oſſa pependerunt lapides ceu rupe caduci.
Defuit os ori: tabo rubuere colubri,
Qui coma ſunt, ſanieque liquant vnguenta capillis ?
Sic rota quadrijugos agitans per deuia currus,
Si quem fortè terit; ſine forma informe cadauer
Protinus apparet, funditque in ſanguine vitam;
Talis in Hippolyto ſpecies, cum feruidus axis,
Imparibus raptatus equis, candentia rupit
Pectora, & immeritum turpauit ſpina decorem.
Strata ſuper ſpinas Diſcordia triſte gemebat,
Atque volubilibus ſinuabat nexibus artus,
Ponderis impatiens, velut hydra molaribus icta,
Sepibus obliquat longos quæ lubrica tortus.
Obluctata diù frenoſque coërcita quaſſans,
Denique diſcuſſit. ſed fundere verba parantem
Impreſſis prohibet pedibus Pax;monſtraq;monſtrū
Diuini pedis impulſu Diſcordia fudit.
Rictibus euomuit patulis nam mixta veneno
Claſſica, thoraces, galeas, vexilla, pharetras,

Caput Diſcordiæ à Pace cõteritur.

S.Domus adhuc in aëre pendebat ſuper ſepē. ſub S.Domo; ſuperque ſepem erat Diſcordia ſpinis,& pondere lacerata.

Excutit pondus S.Domus, & parantem loqui Pax pede cõprimit.

Ex ore compreſſo monſtra euomuntur, arma, venena.

Scuta, enſes, haſtas, arcus, & miſſile plumbum,
Noxiaque impuro natitantia ſanguine tela.
Quæque meant ſciſſo ſuſpiria dura palato,
Cornua vel referunt ſonitu, vel tympana Martis,
Quot videre nefas bellorum ſecula, monſtrant
Sanguineis hoc ſcuta notis, vel mota, vel annis
Bella mouenda ſequuturis. Sic ſæpè videmus
Per portenta magos oculis imponere, & ore
Attrahere armatas acies, puteoque vel arcto
Claudere cum populo proceres. ſic faſcinat ira
Quos fera ſagarum, ſanie polluta veneni
Ferramenta piloſque vomunt, mala femina luctus.

Anno 876. Sedecias Iudæus ſic oculis imponebat, arma extrahens ab ore, & acies militum.

Pacis ad Diſcordiam vox.

Pacifer vt vidit parere hæc miracula Ditis
Monſtrum prodigijs Furiâ de coniuge fœtum,
Enſe petit iugulum, & vocis ſuperintonat ictu,
Deſine: ſume tui nunc vltima frena furori.
Te ſuper ecce loco cæleſtia Tecta. Sepulchri
Hic lapis eſto tui. tali ſub pondere iacta
Immanes artus, & regibus extrue funus.
Sat tibi, militibuſque tuis, quos fraudibus armas;
Sat bello furijſque datum. Pax regnat, & Orbem
Virginis Æde tegit. Sed te, quæ pœna ſequetur?
Quæ Syrio Solymam vaſtas, & ſedis auitæ
Cedere me ſolio cogis; mediaſque per vrbes
Quæ bacchata, Ghibellinos committere Guelfis
Æternis audes odijs; quæ ſanguine fratrum,
Cæde viatorum Heſperijs me pellis ab oris?
Lethum ne timeas hac Virginis Æde ſepulta.
Ne dubita: te vincla manent, non fata, nec vnâ
Te nece dignabor: viues moritura: Caini,
In quo prima tuas agitaſti, perfida, tædas;
Exemplum viuentis eris: latrare licebit,

Paci Diſcordia ſeruiet.

Non

Non Italos mordere meos, non dente vorare.
Gutture deluſo prædas captabis inanes:
Prælia ſuccendes: correpta cremaberis igne
Attamen ipſa tuo. Petri cæleſtia ventis
Carbaſa iactabis; ſed motis obruet vndis
Te tua tempeſtas: quaſſabis turbine Romam;
Pontificeſque procul, ſaluâ ſed puppe, Latinos
Gallica diſijcies ad littora: firma procellis
Roma tuis ſtabit. Paci famulaberis armis;
Et mea, quem fundes, floreſcet ſanguine oliua.
Dixit; & iniecit, collo nutante, catenas.
Mox feritate grauem, pubeſcentemque nitore
Terribili vultum placidâ clementior aurâ
Mulcet, & alloquitur Superos, Mare, Tēpora, Vētos,
Aſtra, Elementa, triumphales comitata Penates.
O mecum terræ, & Pelagi dimenſa labores,
Indonata meis, acies, haud Sedibus ibis.
Dona manent. Tu Phœbe, oriens, moriēſque, caducâ,
Erectâ mox fronte Domum introgreſſus Amoris,
Augebis flammas formamque in funere; & Indos,
Nobis occiduus, meliori luce beabis.
Te, Mare, dignabor quo munere, vertice prono
Nazareæ ſupplex quod ſæpiùs affluis aræ,
Votaque cum lacrymis deſcendis in omnia, pondus
Vt cæleſte feras? Hæc littora lambere cæli,
Littoribus vicina tuis; dare brachia muris,
Oſcula, complexus, æqui ſint præmia voti.
Huc iras confringe tuas: da carbaſa portu,
Tranquillo ſuſcepta vado, ſuccedere noſtro.
Hinc nautæ veri venerentur Apollinis Vrbem,
Nauibus egreſſi: iaciatur & anchora cordi
Fixa meo: poſitis oneraria pectora donis.

Pax comites itineris ſui alloquitur, & digna laboris præmia rependit.

Præmium Solis naſci, & mori in S. Domo.

Sol ſub occaſum per feneſtram ingreſſus, &c.

Oriens poſteriorem reſpicit partem, vbi Ara eſt, &c. ex Turſ. l. 1. c. 10.

Maris præmium S. Domus vicinia.

Im-

Impleat æternâ merx commutanda ſalute.
Æquato, Venti, vicino monte ſalubres
Virgineos afflate Lares: hinc mite per omnes
Ingenium transferte agros. ne vellite flores:
Vrite ne ſegetes: ne dulcia ſternite poma:
Arboribus, vitiſque nouis ignoſcite gemmis:
Ne iactate rates: impulſibus excita veſtris
Non tellus, vrbeſque tremant. Hac diſcite ab Æde,
Quæ terris immota manet, non Regna mouere;
Non quaſſare domos: ſed diras flatibus iras
In Stygios difflate ſinus, & parcite Regnis.
Tempora, ſit veſtri pretium immortale laboris,
Quòd vultus gerat hæc veſtros. Nuda, horrida fumô
Exprimit horrores Hyemis. Ver inde Pudoris
Floret in Autumni fructum: calet æſtus Amoris.
Vos peregrina meæ melior pars, Sidera, pompæ,
Virginis auguſtos radijs luſtrate Penates:
Excubias agite illuſtres. Decet Aſtra tueri,
Flammarumque haſtis æterni cingere Solis
Immortale latus, patriâ regnantis in Ara.
Nunc, intempeſtâ placidè labentia nocte,
Splendorum largos ſuper extima ducite ſulcos
Templa: ſerenatis nunc atria mergite nimbis:
Nunc alto radiate tholo; rutiliſque pyropis,
Non ſpectata priùs, diademata fingite lucis.
Occulat haud veſtram Solis præſentia pompam:
In media lucete die, dotataque vultu
Virginis, auratam Solis contemnite dotem.
Dum Lauretano Mariæ præconia Templo
Præco celebrabit Verbi, cum voce fluenta,
Eloquijque vibrans incendia ſacra, repoſtos
Vos intrate aditus, crinemque volantia circum

Du-

Ventorum præmium ſalubritas maior quã antea

Italia magnis concuſſa terremotibus fuit, ſed aduẽtu S. Cellæ Bonifacio VIII. Pontifice tandem quieuit. ex Turſ. l. 1.

Temporum præmium, exprimi à S. Domo.

Stellarum præmium S. in Domum ſæpè deſcendere.

Viſa non ſemel eſt per noctem ſubita de cælo effundi flãma, &c. Viſum, & ſæpè crebris luminibus collucere tectum. Tur. l. 1. c. 15.

Ignea per noctem velut columna viſa, etc. an. 1555 ignes quidam ſupra Sacerd. concionantẽ viſi. ex eod. l. 3. c. 11.

Ducite: nam cæli vos eſtis, Sidera;linguæ.
Dicite Virgineas, homini nec cedite, laudes.
Lux erit eloquium, vis flamma, ſilentia ſermo.
Sidera ſic laudant: decet hæc facundia Numen,
Numinis & Matrem. Sed, cum Natalis ad aras
Illius adueniet; feſtis tunc Limina flammis,
Et totam redimite Domum; conſumptaque veſtro
Lumine nox, læto ſtellarum ferueat æſtu.
Vos natalitiæ nocturna in gaudia lucis,
Sed peritura breui, flammas accendite, Reges,
Quos perimat nox vna: globos euoluite, & angues
In cælum ignitos, colubriſque volucribus alas
Addite arundineas: laſsâ ſed fronte, ruinam
Cum penna pompaque ferent, faſtuſque caducos
Præpete ſignabunt caſu. Vos, Sidera, Sedem
Virginis æternam, & ſemper viuacia Pupæ
Gaudia naſcentis ſtabili decorabitis igne.
Quod ſupereſt, mecum, Superi, bis mille, quietos
Hic agitate dies. Michaël, tu cætera cælo
Agmina redde. Subinde tamen deflectite pennas;
Noſtraque dum redeunt terris Solemnia, plenis
In Cellam properate choris, populumque frequentẽ
Diuinis donate opibus. Sit amabile Limen
Terribilis lapis, & ſcalæ ſuppoſtus Olympi.
Hunc terite, Aligeri: deſcendite, & Æthera rurſus
Inceſſu faciles aſcendite. Vidit Iacob
Hos olim feruere gradus examine Diuûm,
Greſſibus & multis terras intexere Cælo.
Nunc agite; immotoque ſolo deponite pondus.
Dixerat. Ecce iterum, cæli de parte ſerenâ
Dum tonat; ingeminat pubes dum candida cantus;
Sidera dum plaudunt; Tellus dum ridet; Auernus

Sidera concionantur.

Solitarius natali B. Virginis die notauit ſæpiùs cæleſtem flãmũ longè latèque diffuſam inſtar ingentis cometæ, quæ B. V. Cellæ incumberet. Tenet fama ſpectaculum hoc ad Pauli III tempora perduraſſe. Tur. l. 1. c 17.

Mortalium Principum natalem diem turbo igneus, & caducus, Virginis verò immortalis ſtabili luce ſtellæ celebrãt

Vidit in ſomnis ſcalã, &c. Gen. 28.

Inter Cæli Terraque plauſus in eo loco, vbi nunc viſitur, S. Cella conſedit.

Dum fremit horriſonis vlulatibus; Itala geſtit
Conſcia dum facti Regio; dum Tempora, Venti,
Sol, Mare, Roma, Virago Parēs, Deus, omnia gaudēt;
Virginis Hoſpitium Domus, & cortina ſalutis,
Non fundata, ſed Italiæ fundamen honoris,
Orbis apex, & præſidium, Charitumque tribunal,
Iuſtitiæ ſolium, tranquillæ Regia Pacis,
Aligerûm dorſo placidè demiſſa curuli,
Preſſit humum, ſtabilique iugo defixa quieuit.

LAVS DEO.

Digitized by Google

INDEX.

A

ABimelech. pagina 120.
Acilius. 130.
Adami culpa.9.284.
Ademarus Epiſc.123.
Ædificium admirandum S. Domui ſimile.417.
Agnes cum prole fugiens & deſperans.225.
Alexander Farneſ. victor Turcarum.258.
Alexander Epiſc.Terſact.379.
Alexandri Magni corona.275.
Alexander VII. 510.
B. Alexandra.601.
S. Alexius.67.
B. Aloyſius Gonzaga.375.
Ambitio.113.441.
Amethyſtus.605.
Amor Mortis vice functus. 73. 88. 89. prædator. 268.69. 76. venator. 195.249. faber 268. aquis incubans. 371. pictor.215.
SS. Andronici & Athanaſiæ geſta.85.88.&5.
Angelus cæli motor.278.cuſtos Paradiſi. 387.
Angeli 17.illorum diſſidium innocuum.216.
Anicetus Pont.46.
Annibal.265.
Arabes.65.
Aſia.37.
Aſmodeus.301.
Audacia plurimorum a S. Domo punita.230. & ſ.

B

Baltaſſar.599.
Barbaricus.251.
Bellarminus.505.
Bennus 454.
S. Bernardus.588.
S. Birgitta.70.
Bonifacius VIII. 518.
B. Borgia.319.

C

Cæſaris infantulus habitu Cupidinis pictus.559.
Calidnus flumen.136.
Calinoskus.579.
Capitolium.494.
Cardinalis Antonius Barber. 670.
Card. Dreteſtainius.577.
Carualius.334.
Caſimirus Rex Polon.306.578.

Digitized by Google

S.*Cataldus* 46. *miracula*. 47.
S.*Catharina Sen*.627. *& ſ*.
Cedrus verſa in ſtatuā B.V.214
Cerinthus.49.
Chriſtus.2.81.*ſupra mare*.374. *eius vita myſteria*. 12.14.22 60.81.*victor Diſcordiæ*.426
S.*Clemens*.373.
Clemens III.132.
Conipolskus.582
S.*Conſtantius*. 594.
Conſtātinus Cōſtantin.Imp.642
Conſtantinus M.50.57.433.
Conſtantinopolis excidium. lib. 27.
Contemptus Mundi. 87. *& ſ*.
Corcutus.584.
Cynegirus.130.
Cyprus.76.
Cyrus.138.
Crux. 53. 98. 99. 103. 106. 118.129.135.151.

D

Dæmones.377.
Daniel.109.
Dauid. 153.295.304.409.
Debora.30.81.
Dedicatio S.Domus 24.
Deliciarum inſectatio.104.
Deſiderium cæleſtis patriæ. 20.
Deus. 198. 218. *&c. naſcens* 280.*homo*.296. *Deo cuncta ſeruiunt*.493.*cooperari Deo*.
629.
Diluuium.5.
Domus Laur. 1.5.6.11.14.21. 30.53.56.80.217.202.226 227. 223. 231. 233. 237. 282.*iter triumphale*.286.*& ſ*. 291.305.409.603.
Dona Lauretum miſſa. 568.
Draco.448.
Duces in bello nauali.250.

E

Elias.72.605.
Eliſabetha Regina Angliæ.570.
Euchariſtia.22.23.84.
Europa.37.
Examen conſcientiæ.81.
Exemplum malum.10.
Ezechielis later.121.564.

F

Fauſtus Eremita.166.
Feminæ incredulæ pœna. 421.
Ferd.Columbus.375.
Ferd.Mediceus.360.
Ferd.IV.Roman.Rex.574.
Fidei Regia 604.*& ſ*.
Fons mirus.161.*& ſ*.
Fortuna.253.
Fratrum pro S.Domo ſingulare certamen.539. *& ſ*.
S.*Franc.Xauerius*. 320.329. *&c*.338.*&c*.345.
Fridericus I.Imp.113.132 *etc*.
Fulmen.187.

Ce-

INDEX

G

Gedeonis panis.569.
Gioioſæ Princ.*donum*.570.
Godefridus.119.121.
Græcorum hæreſis.642.
Gregorius VII.470.
Guelphi, & Ghibell.440. *& ſ.*
Gulielmus Bauariæ Dux. 575.

H

Hebræi.109. *& ſ.*
S.*Helena*.50. *& ſ.*
Henricus mi.440.*&c*.473.
Henricus III. 436.471.473.
Heraclius.65.
S.*Hieronymus*.84.
Hieroſolyma.2.198.*ſæpè capta*. 65.122.125.
Hippolyti Sacerd. pietas.129.
Hungari militis cum Turcu cōflictus in turris apice. 657.
Hunniadis Ducis *triumphale funus*.664.

I

Ieremias.564.
Ieſus puer matri ſubditus.317.
S.*Ignatius Lo*.319.
Imago B.V.à Quercu. 502. *à Populo*. 502. *à Conſolatione*.503.
Inuidentia.109.
Io: Auſtriacus.264.
Io: Baptiſta Maſtrillus ſolus multorum victor.252.
Ionas.273.
Iordanis.35.
S.Ioſeph victor mortis. 301.
Ioſue.410.
Ira Dei.44.184.189.
Iſaias.564.
Italia.80.*Itali*.226.
Iter varium Laur. Domus. 550.586. *& ſ.*
Iudicium extremum.81.
Iudittha. 153.176.

L

Labor.85.
Leontari & filiorum in pudore tuendo conſtantia. 632. *& ſ.*
Licinus.64.
Luca.475.
S. Ludouicus victus & victor 114.137.151.148.220.
Luna Turcarum.236.
Lycidæ viſio.143.

M

Mahometes naufragus. 290.
Mahometes alius ſui euerſor exercitus ex errore.660.
S.*Marcellinus*.593.
Marcellus Maſtrillius. 335.
Marcellus Ceruinus.504.
Marci Ant. Columna. 242.
S.Maria Ægyptiaca.96.
S. Maria Magdalena. 226.
Maria Soror Aaronis.49.150.
Mariæ Lau.miracula.267.291
Maria Virg. 14.18.213.224.

267.281.465. *epiſtolæ*.19. *aſpectus*. 20. *mors* 20. *&c. fuga* 13. 72. *vitæ myſteria*. 54.*&c*.309.315.
Martis ſtatua mira. 475.478.
Martyres.48.54.
Mater à lupo lacerata.193.
Maxentius.63.
Mediolanum.453.
S.Melana. 71.
Meleſcrafa dux Turcar.161.
Meſſana.420.
Methildes.473.
Monciskus.582
Monialium piè forma deformata.172.
Morſenus vates.642.
Moſes.118.177.605.
Mundi partes.36.

N

Nauale bellum ſub Pio V.241.
Naufragium Chriſtianor. 180.
Nauis Eccl.46.48.
Nazareth.11 24.
Neruccius architectus diuinitus exanimatus.567.
S. Nicolaus Myr. 51. *eius iter & miracula*.51.
Nicolaus vlt. Patriar. Ptolem. 180.
D.Nicolai Tolent.brabia.599.

O

Opobalſamum.31.
Orion.98.
Orpheus.180.
Otium.8.

P

Parentis amor in filium. 275.
D.Paula,& eius vita 74.
Paulus Michi.334.
Paupertas tuta. 278.92.585.
Pellicanus.154.
Perſæ.65.
Petrus Barbus.501. *& ſ.*
Petrus Eremita.113.
Phœnix.103.
SS.Piceni. 592. *&c. confluunt ad ſeptempedæ montes*. 595.
Picenorum dona.569.
Pius V.221.248.507.
Pius II.507.
Plato.588.
Pontifex ſummus.568.
Ptolemaidis excidij ſigna,& oppugnatio.170.
Pudor monialibus apparens. 174
Pueri poſt baptiſmum vita functi.589.
SS.Pueri. 589. *canunt*.590.
Puerorum bellum.137. *& c.pelago diſperguntur* 590.
Reginæ, quæ pro Fide regna deſeruerunt.605.*&* 5.
Remora.1 8.
Roma triumphans.275. *ab Hē*

rico III. oppreſſa. 467. *à Roberto liberata.* 471.

S

Sacerdos Crucis defenſor. 129.
Sacerdos manu cor ferens. 314.
Sacramenta. 9. *Sacrum.* 38.
Saladinus. 125. 129.
Saladinus alter. 133.
Salomonis lectus. 72.
Samuel. 249.
Sampſon. 173.
SS. ad S. Domũ peregrinatio 67
Sapientia. 8.
Scelerum vituperatio. 97.
Sclauus Templi defenſor. 640.
Sculpturæ laus. 567.
Selimus. 291.
Septempedæ in monte ſedet B. *V.* 595.
S. Sepulchrum. 66. 221.
Serantius ſe incendens & nauim. 251.
Sidera. 110.
Sinæ. 681.
Sol in occaſu. 7. *in ortu.* 7. 110.
Somnus Sanctorum. 418.
Sophonisba vulnerata & à B. V. ſanata. 309.
Spelunca Bethlehem. 78.
Spiritus S. 5. 6. 83. *in Apoſt. illapſus.* 84.
Statua Danielis. 472.
S. Stephani cineres. 30.
Superbia. 106.
Supplicatio Romæ V. Laur. 463
Syllogiſmus. 8.

T

Tatius. 469.
Tempora 300. *varietas.* 284.
Terror panicus. 98. 291.
Terſactum. 376.
Titus Imp. 44.
Triptolemus. 448.

V

Venetorum dona. 569.
Venus. 176.
Venuſtas Chriſtiana. 600.
Vindicta Dei 43.
Virgo naufraga. 181.
Vota religioſa. 9.
Vrbani II. ſomnium. 117.
Vrbanus III. 132.

ELOGIA.

Barbarici. 251. *Ducis Venet.*
Card. Antonij Barberini. 670.
Card. Franciſci Barberini. 670.
Card. Roberti Bellarmini. 505.
Caſimiri Regis Polon. 306. 578.
Card. Io: Bapt. Pallotti. 463. *&c.*

Chriſtinæ Reginæ Sueciæ.631.
Chriſti vulnerum.347.
Concordiæ.542.
Contemplationis. 459. *Corradi Franciſcani*.179.
Domus Laur.370.&c. 382. & 5.384.&c. 385.392.462. 500.520.521.522.etc.535
Ferdinandi II.*Imp*.405.
Ferdinandi III.Imp.406.
Ferdinandi IV.Regis Rom.674
Florum variorũ.534.537.
S.Hieronymi.83.
Hiſpanorum.241.
Hunniadis Ducis.647.
Ioannis Auſtriaci.243.
Io:Bapt.Maſtrilli. 252.
Ioannis Capiſtrani.647.
S.Ioſeph.310.
Lucæ.475.
S.Ludouici IX.149.
Ludouici XIV. Regis Galliæ. 158.572.
Luſitanorum.242.
Marcelli Maſtrilli. 252.
Marci Antonij Columnæ.242.
B.Mariæ V.19.384.464. 502.
B.Mariæ à Quercu.502.
D.Paulæ.73.
Piceni.560.
Pont.Alexandri VII.510.
Pont. Cæleſtini. 486.6. 496.
Pont. Gregorij VII. 437.456.
Pontificis Iulij II.237.
Pont. Marcelli Ceruini. 504.
Pij II.506.
Pij V.247.&c.
Sixti V.509.
Puerorum militum.147.
Romæ.468.
Sacerdotalis manus.313.&c.
Senæ.475.
Seranzij Ducis.251.
Solitudinis.499.
Venetorum.236.
Virtutis.504.
Vrſinorum.243.
In aulam & aulicor.518.
In bella.400.
In Caluinum.404.
In Guibertum.451.
In Henricum III. 438.469. 473.
In Henricum minorem.440.
In Lutherum.404.&c.
In Reges otioſos.641.

DE-

Digitized by Google

INDEX

DESCRIPTIONES.

A

Adoleſcentis honeſti. pag.632.
Ægrotantis grauiter. 149.511.
Affectionum variarum. 357. 386.514.635. *in fratre iræ & amoris præſertim*. 542.
Africæ, Aſiæ, & Americæ. 205.
Agni cæleſtis in Throno ſedentis. 345.
Albæ ſitus. 649.
Ambitionis. 491.
Amoris diuini. 32. 355. *& ſ. Virginis in ſinu*. 300. *ſuper aquas in exordio Mundi*. 471
Amoris intrepidi. 219. *& ſ. in ſpeciem militis*. 388. *cum Timore certantis*. 389.
Angeli cæli motoris & effectuũ ipſius virgæ. 278.
Angeli quatuor anni tempora regentis. 281.
Angelorum. 16.24. *& c*. 210. 228. *apud quos elementorum eſt cura*. 209. *Laur. Domum ferentium*. 411. *choreas agentium*. 411. *canentium*. 412. *timentium*. 412.
Anguis qui Euam decepit. 441.
Animæ exultantis. 16.
Anniſecularis. 518.
Aræ diuinitus fabricatæ. 34. *eius veſtis*. 37. *in ſpeciem nauis*. 322.
Arboris vitæ. 31. *ſcientiæ*. 32.
Arcæ intrantis in Iordanem. 35.
Arrij. 434.
Artium liberalium. 7.
Aſtrorum multiplicatorum. 280.
Auaritiæ. 530. *eius habitus* 531.
Aulæ & eius malorum. 492.
Auri damna inferentis. 433. *vbique inſidiantis*. 538.
Auroræ ſurgentis è Domo Laur. 385.

B

Balenæ. 145
Belgæ ab octingentis B. V. ope liberati. 577.
Bellandi libidinis. 429.
Bellantis vt ſe defendat. 643.
Belli. 308. *quod precibus fit*. 229. *compreſſi*. 240. *Ludicri*. 397. *Sacri*. 403.
Belli Guelphici. 450. 452. *vrbium vbi arſit*. 475.

Bel-

*Belli nauali*ſ. 241. 246. *initi*. 250. *in mari feruentis*. 260. *Turcar. in eo cadentiũ*. 261.
Bellorum variorum 667.

C

Cacodæmonum. 361.
Cadaueris. 628. *venuſti*. 306.
Cædis. 124. 179.
Cæli Tellurem amantis. 414.
Caini omnia timentis. 427.
Calamitatis Hebræorum. 112.
Calculo laborantis. 513. & 5.
Caluini. 404.
Camini in Domo Laur. 393.
Campi vaſtati. 456.
Cantus. 466. 488. 603.
Canum certantium. 644.
Choreæ piſcium. 146.
Chriſti Dei, & hominis. 12. *Chriſti miſteriorum*. 17. 303. & ſ. *Sacerdotis in matris vtero*. 22. *Sacerdotis vt deſcribitur ab Ezech. in vtero B. V*. 296. 298. *Luciferum ex vtero Virginis vincentis*. 297. *vt venatoris*. 297. *in ſe contraria mirè vincentis*. 298. & ſ. *infantis in ſpelunca Bethlehem*. 139. *domum verrentis*. 138. & 5. *cruciati*. 215. *eius vulnerum*. 347. *patientis*. 406. *Diſcordiam & Mortem morte vincentis*. 426.
Cænaculi. 358.
Columbæ ab Aquila diuexatæ. 181.
Conciliorum Oecumenicorum. 435.
Concurſus populi. 504. 611.
Conflictus. 481.
Conſuetudinis malæ. 141.
Crateris pueri. Ieſu. 211.
Cuniculi incendiarij. 631.

D

Dauidis caput Goliæ manu præferentis. 565.
Dedicationis Templi. 25. 30.
Dei corporati & Angeli myſt. nunciantis. 299.
Demiſſionis animi. 491.
Deſperati. 663.
Diſcordiæ. 424. *ordinis & progreſſus bellorum quæ mouit*. 431. *eiuſdem & eius veſtium & affectuum*. 526. *eius funeris*. 669.
Diſſenſionis, ſeu factionum variarum 470.
Diuitiarum contemptus. 673.
Dolentis. 482.
Doli. 430.
Domus Fidei & in ea ſimulacrorum. 604. *belli &*

Di-

Diſcordiæ. 424.
Domus Laur. 5. 224. 227. 228. 230. 270. 290. 297. 362. 382. 383. 409. *eiuſdem per partes*. 393. *eius lapidum*. 234. *in ſpeciem nauis*. 266. *in ſpeciē aræ*. 292. *vt humanarum affectionum victricis*. 293. *confertæ delicijs*. 294. *vt Mundi ſimulacri*. 294. *in ſpeciem variæ ſcenæ*. 297. *in ſpeciem domus medicinæ*. 301. *fornacis*. 315. *rubi*. 351. *maris*. 372. *cæli*. 612. *loci vbi vltimo quieuit*. 587.
Dubitantis de ſua fide. 616.

E

Eccleſiaſtici viri. 515. *graduum Eccleſiaſticorum*. 516.
Elementorum quatuor. 201.
Eloquentiæ multiplicis. 506.
S. Emygdij ſectum caput manu ferentis. 594.
Encyclopadiæ. 614.
Energumeni. 377. 479.
Epiſtolarum & ſermonum B.V. 19.
Equi. 256. 630.
Eremitæ. 164. 420.
Eunuchi Arrianiſmum propagantis. 434.
Excommunicationis ſeu anathematis. 239. 451.
Exempli mali. 10.
Exercitus. 53. 238 & 5. *ordinati*. 53. *vrbem inuadentis*. 469. *horrentis & confuſi*. 662. 520. 66.
Exultantis. 520.

F

Fabricæ miræ. 417.
Famæ. 386.
Febri laborantis. 379.
Feminæ gemina cum prole fugientis in media flāma. 154.
Feminæ cum lupo luctantis, vt natas defendat. 192. *à lupo laceratæ*. 193.
Feminæ à vulnere ſanatæ. 312.
Ferarum certantium. 198.
Feritatis. 239.
Fidei. 20. 355. *eius habitus*. 608. *in Chriſtina triumphantis*. 620. 623.
Flagellationis. 635.
Flagellorum Ægypti 652.
Florum ſemper virentium. 532. 534. *variorum*. 536. *eorum in ſpicula metamorphoſeos*. 538.
Fluminum. 203.
Fœderis Chriſtianorum in Turcas. 606.

Fon-

Fontis naz. & eius effectuum. 162.
*Funeris triumphalis.*664.
Furentis. 310. 443. 445. 684.

H

*Habitus humilis & maieſtate pleni.*500.
*Habitus Pontificij.*512.
Hæreſum & hæreticorum. 49.
*Hæreticorum multorum.*435.
*Henrici III. & filiorum ſceleratorum.*436. *& ſeq.* *eius funeris.*474.
*D. Hieronymi in ſpelunca Bethlehem.*83.
*Hieroſolymæ euerſæ.*44. *& ſ.*
*Honoris intimi.*651.
*Hoſtis.*629.
*Horroris.*415.
*Horti cæleſtis.*31. *pulcherrimi.* 455. *ambulantis.*456. *in mari.*370.

I

*Ignium artificiatorũ.*675. *& ſ.*
*Ignorantiæ in Sacerdote.*33.
*Incendij.*508 *naualis.*661.
*Incendium extinguentis.*616.
Inuidiæ ſub Angeli veſte. 538.
*Iordanis.*204. *& ſ. aperti.*35.
*S. Ioſephi cum morte pugnantis, & eãdem ſuperantis.*301. *morientis.*302. *& ſ.* 305.
*Iræ Dei.*183. *iræ inextinctæ.* 401.
*Irruptionis.*631.
*Iudicium vniuerſale præcedentium.*552. *& ſ.*
*Iuſtitiæ diuinæ.*98. 231.

L

*Leonis.*72. 85. 581. 254.
*Linguarum ignearum.*38.
*Litaniarum B.V.*56. *& ſ.*
*Loci inſalubris.*587. 683.
*Locorum variorum.*496.
*Luciferi furentis.*361. *& ſ.*
*Lucis.*625.
*Ludi follis.*477.
*Luminis naturæ.*613.
*Luporum.*231. *& ſ.*

M

Machinæ poſt igneum turbinem emicantis. 40. *referentis Laur. Domum.*466.
*Malaciæ.*200.
Malorum diuinitus depulſorum. 537. *& ſ.*
*Maieſtatis diuinæ.*389.
Mariæ Ægyptiacæ in Eremo. 108.
Mariæ Virg. 311. *& ſ.* 353. 380. *amantis Deum.* 39. *vitæ totius.*59. *& ſ. pulchritudinis.* 115. *myſteriorum.* 315. *& ſ. ad filij dexteram ſedentis.*24.

Ma-

Digitized by Google

Maris exultantis. 263. *& ſ. turbati mox tranquilli*. 276. *turbati*. 291. 374. *æſtuantis*. 376. *tranquilli*. 377. *fluxus & refluxus*. 399.
Martyrum, & Martyriorum. 48. 402. *& ſ. multorum e Soc. qui in odium Fidei interfecti ſunt*. 334. *& ſ.*
Materiæ variarum meditationum. 458. *& ſ.*
Metamorphoſeos hominum in feras. 196. *& ſ.*
Michaëlis. 54. *armati*. 218. *Luciferum vulnerantis*. 364. 367.
Militum armatorum. 476. *furentium*. 478.
Minantis. 365.
Miraculorum. 278.
Modeſtiæ. 104.
Monſtri horrendi 685.
Montis vbi quatuor anni tempeſtates habitant. 282. *& ſ. Bonæ ſpei multarumque adiacentium inſularũ, & vrbium* 322. *Oliueti*. 358. *Caluariæ*. 359. *loci amœni*. 377. *et ſ.*
Mortis. 137. *vbique paratæ*. 400.
Mundi ſilentis. 528.
Mundi partium quatuor matronarum in ſpeciem. 202. *& ſ.*

N

Naturæ & gratiæ. 226.
Naufragij ignei. 320.
Nauis incenſæ. 262. *vndis obrutæ*. 273. *& ſ. miræ in mari cryſtallino*. 346. *duarum in mari certantium*. 258. *& ſ.*
Nauis Epidauriæ e manibus piratarũ miraculo ereptæ. 569.
Nauiculæ Eccleſiæ. 453.
Necis ac vitæ. & doni Ducis Pernonij. 571.
Neronis. 432.
Noctis ſerenæ. 384.

O

Obſidionis, 153. 170. 468.
Obcæcati. 271.
Oppugnationis. 630.

P

Pacis. 4. 5. *& ſ*. 10. *& ſ.* 356. *& ſ.* 360.
Pacis effectuum. 669.
Paciferi. 2. *Orbem pacantis*. 3.
Patientiæ. 160.
Peccati Adami. 9. *& ſ.*
Peſtis. 10. 269.
Petræ ſacratæ. 28. *& ſ.*
Philoſophiæ, & Philoſophicarum quæſtionum. 8.
Picturæ Templi Laur. 562.
Pietatis Chriſtianæ. 152. 185. *generoſæ*. 221.
Planetarum ſeptem. 286. *& ſ.*

Plau-

Plauſus.368.*in creatione Pontificis*.487.
Pœnitentis.157.234.
Poëſis.7.
Politicæ Chriſtianæ.516.
SS Pontificum.512.
Populorum variorum.242.408 *& ſ*. 51... *ſe Fidei ſubdentium*.460.
Praly.581. *& ſ*.
Precum.244.
Prodigiorum variorum. 398. 452.*& ſ*.
Pudoris.174.
Pueri generoſi.137.
Pugnæ 133. *duos inter fratres cõtra*.544.*animæ affectiones*. 403.*fluuialis*.655. *& ſ*.

R

Rabidi.366. *& ſ*.
Religionis.326. *& ſ*.
Romæ.237.460.*& ſ. antiquæ & nouæ*. 619. *prouinciarum olim Romæ ſubditarũ*. 560.
Romanarum rerum inſtabilitatis & fugæ.396.
Roſæ.534.
Rubi Moyſis.351.

S

Sacelli ſculptura & pictura nobilis.517.
Sacrificij. 29. 38. 321. *& ſ*. 345.650.
Salutis in ſpeciẽ matronæ.380.
Scopuli. 376.
Sectæ Lutheranæ.617.
Seculi aurei.555.
Sedium Pœnitentiarorũ *in Domo Laur*. 408.
S.Sepulchri.359.
Serpentis horrendi intra viſcera Henrici III.illapſi.446.
Serpentis Stygij 623.
Serpentũ variorum.444.
Sicariorum.531.
Siderum. 207.
Signorum e marmore varij generis in Templo Lauret. 563.
Siluæ ignitæ.338. 340. *pullulantis*. 340. *combuſtæ*.498. *renaſcentis*.499.
Simulacri B.V. *ex igne*. 38. *ab Angelo ſalutatæ*.566.*eiuſdem, Chriſti* Domini, *& Ioſephi cum aſello in Aegyptum iter habentium*. 566. *Lauret. Virg*.212.*pueri Ieſu*. 212. *cedri mirè conuerſæ in Virginis ſimulacrum*.214.
Solis. 386. 537. *citharædi & cantoris*.293.*fabri*.609.
Spei. 355. *in feminæ ſpeciem apparentis*.49.
Spiritus Sancti.36. *à Patre & Filio inſpirati*.16.*igneis linguis*

guis

guis illabentis. 409. in ſpeciem columbæ. 421.
Statuæ miræ furore ardẽtis. 478.
Stellæ piſcis omnia contactu adurentis. 146.
Stellarum fixarum. 288. 293. 299. arcus triumphales conformantium. 289.
Stragis. 480.
Supplicationis Corporis Chriſti 292. ornatus in ſupplic. 463. &c.
Symphoniæ. 610.

T

Tempeſtatis. 51. 186. 272. 323. 364. miræ à Lucifero in aëre commoræ. 363.
Templi cæleſtis. 25. à columba deſignati. 422. fundati. 423. Lauretani. 561. Laterani. 627.
Terræ in exordio mundi aquis obrutæ. 371.
Terræmotus. 235. 453. 680.
Terroris amici. 615.
Theologiæ. 8.
Timentis. 232. 270. 364. 400. timentis & ſperantis in morte. 665.
Timoris. 232. in ſpeciem militis 687. timoris & lætitiæ. 299.
Tormenti muralis. 237.
Tormentorum in Martyre. 432.
Turbæ confluentis. 393.
Turbinis ignei. 39. 381.
Turcarum ortus. 66.
Tyrannidis. 430.

V

Vaſtationis. 117.
Venantium. 444. 678.
Veneris. 101.
Ventorum quatuor. 200.
Verbi à Patre procedentis, & in Virgine corporati. 15. à Patre geniti. 300.
Veris. 367.
Veſtium Sacerdotis antiqui. 22. Sacerdotalium. 649.
Vexilli arte ventilati. 144.
Viæ in mari triumphalis. 369.
S. Victorini manibus pendentis ex arbore. 592.
Virginis à Delphino vectæ. 189
Virginitatis. 301.
Viri irati mox mitis. 230. in morbum inuicti. 307. à febre perſanati. 383. ſine malis affectionibus. 456. non adhuc perfectæ ſanati. 508. mox ſani. 509. fortis. 640. 659.
Virtutis & ſapientiæ. 7. illius potentiæ. 486. Regni. 401.
Virtutum. 8. 355. 495. 498.

498. *variarum, velut actorum in ſcena*. 298. *variarum*. 456. 615. *& præſertim receſſus, meditationis, voluntariæ afflictationis, tẽperantiæ &c.* 488. *& ſ.* 491. *& ſ.* 495. *adoleſcentiæ*. 144. *in Principe*. 490.
Vitæ B. *Franciſcæ*. 601. *B. Margaritæ Septempedanæ*. 600.
Vitæ ſeuerioris B. Nicolai Tolent. 597. *& ſ.*
Vitæ puerorum cum originis labe defunctorum poſt vniuerſale iudicium. 555. *& ſ.*
Vnionis. 369.
Volucrum variorum. 378.
Vulneris curati, & doni Iacobi Budæ Marchionis. 575.
Vulnerati. 270.

FINIS.

ERRATA.

Vbi repereris Bethlemis, & Bethlæus corrige Bethlei, & Bethleus, vbi Athletæ c. Atlantes, vbi ſibi c. ſibi, vbi Lybiam c. Libyam, vbi Aegiptia c. Aegyptia, vbi cælata, hoc eſt abſcondita c. celata. Cætera Marte tuo, amice Lector, vel corrige, vel excuſa. Quæ enim emendata vides, fortuitò in oculos incurrerunt; quia nullum fuit otium relegendi librum feſtinatò impreſſum; vt illum amici breui Roma diſceſſuri ſecum ferrent.

Digitized by Google

Digitized by Google